BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
4 M
30

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14. 4. H. 30.

FRANCISCI PHILELPHI DE MORALI DISCIPLINA

LIBRI QVINQVE.

AVERROIS PARAPHRASIS IN LIBROS DE REPVB. PLATONIS.

FRANCISCI ROBORTELLI IN LIBROS POLITICOS ARISTOTELIS DISPVTATIO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Berardi Valerii. Solentina

Cum Priuilegio Illuſtriſs. Senatus Veneti ad Decennium.

VENETIIS MDLII.

olim Cynthii Clementis.

PRAESTANTISSIMO VIRO Ioanni Bernardi F. Donato Patritio Veneto Franciſcus Robortellus S. D.

MITTO ad te librum hũc, uir præſtãtiſſ. qui duabus inprimis de cauſis dignus eſt, qui a te diligenter legatur, & plurimi fiat. Primũ.n. eas ſcientias continet à ſummis uiris deſcriptas, quæ iure optimo principem locum tenent. Altera eſt de moribus, altera eſt de repub. adminiſtranda. Nec uerò ſolùm præceptionibus conſtant; ſed & earum omnis uis, natura, origo, cauſæque monſtrantur. Deinde illud non parùm momenti habet, quòd à doctiſsimis uiris Auerroe, & Philelpho conſcriptæ fuerunt, quorum alter inter philoſophos maximè inſignis, & optimus Ariſtotelis interpres ſemper eſt habitus. Alter ætate maiorum noſtrorum Græcarum literarum, ac latinarum, Rhetoricæ, Philoſophiæ etiam cognitione haud uulgari præditus in maximis quibusq; & inſignibus totius taliæ urbibus publicè magna cum laude ſemper docuit. Conſilium utriuſque in ſcribendo eſt ab optima ratione profectum. Videbat Auerroes difficile eſſe Reip. adminiſtrandæ ſcientiam ex Platonis libris percipere; nã crebris illis interrogationibus, ac reſponſionibus diſputãtium ſæpe interturbari legentium mentem neceſſe

eſt; quo fit, ut cum continuatam ſeriem rerum intueri non poſsint, ſæpe aberrent ab eo, quod propoſitum eſt. Huc accedit, quòd non tàm apertæ, & arctè concluſæ argumentationes in dialogis ſunt, ut ſuo ueluti quodam certorum uerborũ circulo currant, ac recurrant, quamuis enim in dialogis fuſius res tota explicetur, nõ tamen ideò apertius explanari eſt, quòd quiſquam credat, quàm ſi in arctam argumentationis formam coniiciatur, & ſuis terminis incluſa circumſcribatur, ac demonſtretur. Redegit igitur eos libros doctiſsimus uir ad eã formã, quæ Peripatet. principi ſummo Ariſtoteli placuit, nullà enim aptior ad docendum, cũ rem apertiſsimè demonſtret. Philelphus uerò defecta iam ætate, cum omnium philoſophorũ libros, non legiſſet tantùm & deguſtaſſet, ſed iam ueluti concoxiſſet, ac in ſanguinem ſuum uertiſſet; animaduerteretq; Academicos, Stoicos, aliasque multas philoſophorum familias de morali diſciplina diſputaſſe, ac præceptiones tradidiſſe longè diuerſam uiam docendi ingreſſos; uoluit omnia euoluere, ac diligenrer perpẽdere, ut ſiquid rectius hi, aut diuidendo, aut definiendo, aut diſſerendo, quàm Ariſtoteles, ſtatuiſſent, in illorum aliquando iret ſententiam pro ſuo arbitratu, quaſi nulli addictus. Huc uero redegit uir doctiſsimus & Chriſtianorum dogmata, & qualia ſint, quãtumq; cum ueteribus illis conſentiant demonſtrauit. quod cũ ego mecum cogito; non poſſum non admirari o-

ptimi

ptimi illius, & eruditiſsimi uiri conſilium, quis enim eſt qui in morum diſciplina percipienda ſtudium ponens, non cupiat intelligere, quid hæc ab illis differant, & à quibus principiis diuerſis diuerſa emanarint dogmata; Quid uero? Nonne uberrime eſt à Chriſtianis philoſophis moralis diſciplina tradita, atque ita tradita, ut non ad ullam ambitionem, & gloriam referrent, ſed ad unicam illam noſtræ ſalutis ſpem, ac firmamentum maximum Chriſtũ. illi enim morali diſciplinæ à ſe traditæ finem ſtatuerunt felicitatem hanc humanam, quæ quàm caduca ſit quilibet uidere poteſt, & uix potuit Ariſtoteles hunc uitare ſcopulum; Ecquæ enim hominis alicuius felicitas proferri poteſt, quæ nõ aliquo aduerſo caſu, & calamitate ſit interrupta. Coactus eſt igitur dicere, non quidem hos εὐδαίμονας, at μακαρίους leuiori nomine debere appellari. Quàto rectius noſtri, qui felicitatem ſupremam ſtatuẽtes in Deo, has res humanas calamitatum plenas nihil aliud homini offerre, quàm occaſionem ſui exercendi, & confirmandi tùm ad tolerantiam, tùm ad ſapientiam, donec ea conſequantur bona, quæ ſumma ſunt; tanto illis iucundiora futura, quanto erectiore animo cõtra humanos caſus ierint, ac perſtiterint. ſic ſtatuente Deo, ut felicitas, quaſi præmiũ, non aliis detur, quàm iis, qui fortiter pugnarint, & fortunæ impetus, hominumq; inuidiam ſuſtinuerint. Hæc uidens Philelphus ſapiẽtiſsime iudicauit, aliam quãdam uiam, ac ratio-

 nem

nem moralis diſciplinæ tradédæ noſtris eſſe excogitandam. atq; hinc factum eſt, ut diuerſa effigies horum librorum appareat, alio enim ordine ſunt partes collocatæ. Nec debet hoc mirũ uideri, quis enim neſcit de eadem re uarias effingi poſſe μεθόδους, nam & Ariſtoteles ipſe ter diuerſo ordine diſtribuens huius ipſius moralis diſciplinæ partes, & particulas, diſſimile ueluti corpus quoddam conſtituit; quod etiam ipſi poetæ in ſuis fabulis ſeruarunt, eandem enim actioné uario modo ſæpe conſtituentes, effecerũt, ut alia toties céſeretur, quoties fuiſſet acta. Nõ longè aberat ab octogeſimo anno, cum hæc ſcripſit Philelphus. Atqui totam ætatem in literis conſumpſerat; qualis igitur hic eius liber, quiuis poteſt per ſe cognoſcere; Dicendi genus nonnulli non probabunt. Ego ut magnopere non improbo, nec multum tamen probo; potuiſſet enim nitidius, ac purius loqui. Sed ſic ea ferebat ætas, ut doctè malluerint, quàm polite loqui, & toroſum magis, ac lacertoſum dicédi genus probarint, quàm leue, & ornatum. & unicuiq; adhuc hac in re ſuum eſt iudicium. Ego quid uelim facilius dixerim, quàm ullum proferam, qui id præſtiterit, nam nec inané ornatum uerborum, ſine cognitione rerum, nec rerum peritiã ſine aliquo ornatu eſſe uelim. & probem tamen, ſi qui in ſcientiis ſcribendis minus cincinnorum adhibeant, & ornamétorum, nam cum certis uocabulis, & appellationibus rerũ omnes artes, & diſciplinæ conſtent, eas omnes in

ſcribendo

ſcribendo ita extare uelim, ut ſemper iiſdem uta-
ris; & ſimplex cum poſſis proferre, duo, aut plura
uelut longo circuitu rem deſcribens non adhibeas.
Verùm de hac re aliàs commodius. Nūc redeo ad
Philelphum. Vocibus ille utitur è media philoſo-
phia ſumptis; nam uſitatis facilius ré declarari poſ-
ſe exiſtimauit, quàm nouis; liber integer non eſt,
quòd dum hæc ſcriberet morte præuētus eſt. For-
tunatior Iſocrates, qui etiam ipſe uergente ætate o-
rationem ſcribere aggreſſus eam confecit tamen.
uoluerunt enim ſapientes uiri ſemper, aliquod
extare ſuæ ſenectutis opus, ut quātum ea ætas ma-
turitatis habeat, quantumq; differret à iuuenili, om-
nes cognoſcerent. Marcellinus Rhetor flacceſce-
re magis orationem dixit Thucydidis in ultimo li-
bro, quòd ſenex illum ſcripſit. imò uerò caneſce-
re magis dicēdum erat. nec enim ſcio cur ſenilem
orationem non laudare Rhetori illi uenerit in mē-
tem; Hæc ego fortaſſe prolixius ad te ſcripſi quàm
oportebat; ſed ignoſcas uelim, non potui enim eos,
ex quibus magnum ceperam fructum, libros etiam
tibi aliqua ratione non commendare. admirabe-
ris legens Philelphi eruditionem. amabis Auer-
rois grauitatem in explicādis uariarum rerum pu-
blicarum formis ex præſcripto Platonis; & cum tu
per te ipſum reip. adminiſtrādæ optimè rationem
teneas, lætaberis hæc uidens tàm ſapienter à uete-
ribus ſcripta, & cognoſcens cauſas in hoc libro de-
ſcriptas Venetam hanc remp. florentiſſimam au-

guraberis

guraberis tanquàm ex certiſſimis ſignis, ſed quid auguraberis dixi? imo prædices uerè, innumerabilibus annis perduraturam, cum tàm præclarè cõſtituta ſit. ſimulq; magnam uoluptatem capies tecum cogitans; te in ea ciuitate natum Patritiũ, quæ in Italia tàm florentem, tàm diuturnam remp. ab hinc innumerabilib. annis habuit, & habitura eſt. Vale. & me, ut facis, ama. Venetiis. Cal. Feb. M D L I I.

FRANCISCI PHILELPHI AD LAVRENTIVM MEDICEM DE MORALI DISCIPLINA.

LIBER PRIMVS.

DE MORALI *diſciplina conſultanti mihi diligentius aliquid ad te ſcribere* Laurenti Medices, *quo uel ipſe delectareris, ſi quãdo à publicis muneribus remittere animum uelles, uel tuis liberis, quos tibi opto quàm ſimillimos fore, ad bene, beateq; uiuendum; ex hoc iam tempore proſpiceres: multa ueniebant in mentem, quibus nõ mediocriter commouebar. Nam quanquam non eram neſcius officium te hoc meum pro noſtra amicitia nequaquã improbaturum; non poteram tamen non ſubuereri futuros nonnullos, qui dicerent fruſtra eſſe huiuſmodi ſcribendi munus à me ſuſceptum: cum & latini uiri docti permulti de* Moribus *præcepta tradiderint, &* Ariſtotelis *libri ad* Nicomachum *filium è* Græco *in* Latinum *ab alijs, atq; alijs interpretibus traducti eloquium; nihil intactum, aut minus lucubratum, excultumq; reliquerint; quod in uniuerſa* Morali *philoſophia quiſquam noſſe deſideret.* Itaq; *audacis, imprudentisq; eſſe hominis me in tanta, & tam illuſtri ſcribentium multitudine quicquam aggredi, quod reprehendi iure queat.* Nam *ſi eadem literarum monimentis mandata à nobis fuerint; quæ uel à* Platone *&* Ariſtotele, *uel à* M. Tull. Cicerone, *&* M. Terentio Varrone, *uel ab* Ambroſio *&* Auguſtino, *ab alijsq; quã plurimis, eruditiſsimè ſimul & diſertiſsimè ſunt tractata; hoc fore tanquam ex ſcribere, non ſcribere. Sin aliud iter inceſſero; non deerunt, qui ſtultitiæ me accuſent, perinde atq; unus inuentus ſim, qui tanquam* Leontinus *ille* Gorgias, *audeam aliquid ſupra uires profiteri; quàm ob rem ridiculo ſim futurus.* Accedit *ad rei difficultatem, quod ne ipſi quidem inter ſe philoſophi de humanæ uitæ inſtitutione conueniunt, quàm ſinguli pro ſua diſciplina aliter, atq; aliter de uirtute loquuti ſint.* Quare *ſi aut hos ſequi, aut illos uoluero, non ſunt defuturi, qui repugnent, ac ultro mecũ pertinacius manum conſerant; num* Stoici *quicquam* Peripateticis *aſſentiantur; cum hi mediocritatem in affectibus laudent, quos illi omnes tum perturbationes, tum morbos appellẽt, radicitusq; extirpandos iubeant, nec ullam in eis mediocritatem ineſſe poſſe concedant.* Quid *enim loquar de* Academicis, *qui nihil uſquam certi afferunt; & in omnem partem ſe acerrimos diſſerendo præſtant?* Nam *de* Epicureis *difficile eſt dictu, quanta in caligine eorum uerſetur opinio; culpa fortaſsis aduerſariorum, quod ſecus quàm illi ſenſerint, quæ ſunt ab* Epicuro *ſcripta, uel interpretentur, uel falsò inſimulent plura.* Nam *& ſapiẽtem* Epicurũ *et uitæ continentiſsimæ extitiſſe conſtat.*

Purgat ſe, quòd de morib. ſcribat poſt tã multos, qui de eadem diſciplina ſcripſerunt.

Enumerat *omnes ſcriptores, qui extant, moralium.*

Diſſenſio eorum qui de morib. ſcripſerunt.

Vide Laërtium *in uita* Epicuri.

Sed hac de re poſtea. Nunc eò noſtra referat ſe oratio unde digreſſa eſt. Num idcirco quiſquam reprehendat hoc meum inſtitutum, quoniam & Græci & Latini quàm plurimi perdoctè & copioſè huiuſmodi materiam ſunt complexi?

Exẽplo ueterum philoſophorum ſe purgat.

Pythagoras Samius qui Philoſophiæ Italicæ annis centum poſt Thaletem Mileſium principium dedit; omnium primus de uirtute diſſeruit. Et is quidem Zoroaſtren Perſen illum ſequutus, qui philoſophorum omnium antiquiſſimus fuit; et cum Magorum princeps, tum nullius inops laudatiſſimæ diſciplinæ. Is inquam Pythagoras non modo dè iuſtitia grauiſſimè eſt ſubtiliſſimeq́; loquutus, quã eſſe numerum diceret æqualiter æqualem: ſed uirtutes omnes ad numerorum retulit rationem. Nec tamen ulla Pythagoræ auctoritas, qua uenerabilius nihil erat, impedimento Socrati fuit, quo minus omnium primus ex Ionica Philoſophia præcepta traderet de uirtutibus, quas ſcientias eſſe affirmabat. Hũc ſequutus auditor Plato, quam diligenter quamq́; per multa cum de iuſtitia tum de cæteris uirtutibus diſſeruerit; non ij ſolum quos decem ſcripſit de Republica, uerum etiam libri duodecim de legibus, & Menon & Alcibiades & Phædrus & Phædon & reliqua eius uolumina, locupletiſſimum afferunt teſtimonium.

Ariſtoteles tria diuerſa uolumina ſcripſit de moribus diuerſam ſequutus methodum.

Ariſtoteles enim non ijs modo qui ante ſe pleriq; de Moribus ſcripſerunt, ſed ne ſibi quidem ipſi pepercit; quin alijs alios eadem de re libros addiderit; qui non ijdem eſſent omnino, ſed nec admodum diuerſi. Id autem ita habere tres eius declarant codices: unus ad Eudemum familiarem, qui octo cõſtat uoluminibus: Alter ad Nicomachũ filium, is, quem noſtri libris decem habent in manibus, ac itẽ tertius, qui duobus uoluminibus continetur, quibus Magnis moralibus nomen eſt. Enimuero ſplendida uſq; ingenia excitantur, uel imitatione ſuperiorum ſcriptorum, uel quo etiam ipſa præclarum aliquid ex ſeſe inueniant, quod cæteris ſit aut uſui aut uoluptati. Et ne id quidem unum inficier me operam daturũ effecturumq́; ne ſi minus cæteri inter ſe philoſophi pro ſua ſinguli diſciplina cõueniunt; ipſe uſquam à me diſſentiam. Quare nolit ſe quiſquam obſecro moleſtum præbere huic noſtro ſcribendi muneri, quin & legat prius animo pacato, atq; æquis oculis, quæ fuerint à nobis excogitata: & deinde conſideret, ac ita iudicet. Quod ſi fecerit, non difficulter futurum ſpero, ut hunc, quem ſuſcepimus, laborem, aut laudet, aut ſaltem non improbet.

Pollicetur ſe nulli ſectæ addictũ fore. Sed ἐκλεκτικόν.

Nam quale de me iudicium ſis facturus Laurenti Medices, ſatis dilucidè mihi uideor animaduertere. Sed iam de re uerba facere aggrediamur, ea tamen ratione, ut intelligas me nulli philoſophorum ſcholæ ita addictum quo minus per omnia eorum præcepta uagari liceat, & quæ meliora, probabilioráue cenſuero; ijs tum addendo, tum minuẽdo, ſi opus fuerit, tum moderando, mutandóue, uti pro meis: Id quod & Platonem, & Ariſtotelem & cæteros item philoſophos tam Chriſtianos quàm Gentiles, quos uocamus, perſæpe feciſſe comperio.

Quoniam

QVONIAM Moralis diſciplina, de qua ſcribere inſtituimus, his uirtutibus conſtat; quibus ciuilis felicitas comparatur, omnium primum, quid ſit Virtus eſt, definiendum. Ita enim certo quodam ordine, ac ſuo, noſtra progredietur oratio. Virtus igitur eſt rectus animi habitus, quo & boni ſumus, & laudamur. Tum enim maxime laudamur, cum ad interiorem uirtutis habitum, exterior acceßerit actio, qua ſola uirtus recõdita prodeat in lucem: At Vitium contra eſt prauus animi habitus, quo quis & malus eſt, & uituperatur. Ea uerò laudamus, quæ ſunt honeſta, & uituperamus turpia. Et uirtutes quidem morales ab honeſtate proficiſcuntur, ut à turpitudine uitia. Honeſtum autem id eſſe dicimus quod ſit populari fama glorioſum, ut Ariſtoteli placet. Nã mea quidem ſententia tanta eſt uis, tanta dignitas honeſtatis, ut omni laude ſit ſuperior. Laudantur etiam ea, quæ ſunt aut uirtutis cauſæ; aut uirtutem ſequuntur; aut fiunt à uirtute, aut eius ſunt opera. Nam contraria dantur uitio. Laus uerò eſt oratio, quæ uirtutis magnitudinem demonſtrat. Contra uerò & quod turpe ſit, & quod uituperetur eſt definiendum eadem ratione. Et quoniam uirtutem ac uitium ex animi habitu definiuimus; animum in ſuas partes ſeparemus neceſſe eſt. ut intelligatur, cui potißimũ parti ſigillatim et uirtutes, et uitia dari oporteat.

Orditur à definitione uirtutis, & uitij.

Honeſtum quid ſit.

ATQVE animi quidẽ partes, nõ eodẽ modo à philoſophis numeratæ ſunt. Pythagoras enim is, quem paulo ante meminimus, dupliciter animum eſt partitus, tum altius, tum propinquius & clarius. Nam cum primo dixiſſet, duas eſſe animi partes; alteram rationalem, & irrationalem alteram: deinde alia quoq; eſt uſus ſecundo loco diuiſione, inquiens animum diſtribui in tres partes, quarum altera in ſe haberet rationem; altera uerò, quæ ea careret, duas diuidebatur in partes. Quarum una contineret animoſitatem (Hanc enim eo loco θυμὸς ſignificat; ſed animoſitatem pro ira accipiebat) In altera uerò parte cupiditatem ponebat. At Democritus atque Epicurus in partes duas animum ſepararunt. Nam rationem inhærentem atq; inſitam in thorace ſtatuerunt: ſed quæ pars ratione uacat, eam diſperſam eſſe uoluerunt per omnem corporis concretionem. Ad hæc ea etiam corpora quæ ſenſu carent, Democritus exiſtimauit aliqualis animi participationem habere. Et hi quidem tres ex Italica fuere philoſophia. At Stoici, qui, auctore Socrate, Ionicam philoſophiam ſequuti ſunt, conſtare hominis animum uoluerunt ex octo partibus, in quibus hosce quinque ſenſus poſuerunt; uiſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum; & ſexto loco partem uocalem; ſeptimo uerò eam partem, à qua eſt ſemen. Partem autem octauam eam eſſe uoluerunt, quæ principatum obtinẽs imperat hiſce omnibus ſeptem partibus per propria inſtrumẽta. At Plato, qui & Socratem in Moralibus audierat, & Heracletum in Phyſicis, & Pythagoram in Diuinis, atque mathematicis ſequutus eſt, eadem eſt uſus, tam primo, quàm ſecundo loco, partitione animi, qua Pythagoram uſum didicerat. Nam & in partem, quæ rationem habet, humanum diſtribuit animum, & in partem, quæ rationis eſt expers. Rurſusq; eundem ſeparauit animum in tres partes, ut pote qui mentem ob eam rationem in capite collocarit;

Partitio potentiarũ animi ſecundum Pythagoram.

Democriti & Epicuri partitio earundem.

Stoicorum partitio.

Platõis partitio.

quoniam ea corporis pars longius abeſt à colluuione & ſordibus. Animoſitatem uero uigoremq; iraſcibilem, qui proprius eſt ipſe θυμὸς quem modo memineram, in corde; & cupiditatem quoque ſubter præcordia. Mens igitur ſecundum Platonem, ut eſt prima uis atque poteſtas animi, in capite tãquam in arce imperat, ueluti regina primæq; dignitatis, eſtq; contemplatiua. Nam ea parte & uigemus maxime & ratiocinamur & cogitamus & intelligimus & ſapimus. Sed altera uis animi, cui Plato ſecundam tribuit dignitatem, ut eſt in pectore conſtituta, præſtat ut agamus quæ ipſa mens atq; ratio imperarit. Vis autem illa, quæ inferius eſt poſita, præſtantioribus illis poteſtatibus paret. Exiſtimauit etiam Plato, per omnes artus corpusq; uniuerſum meare animum, atque ſigillatim per membra omnia, tanquam per inſtrumenta quædam uim ſuam uirtutemq; oſtendere. Præterea ad eundem animum referri omnia, quæcunq; occurrunt ſenſibus. Quæ uero à ſenſibus referuntur, ea eſſe alia atque alia. Sed Ariſtoteles qui annos xx. Platonem audierat, ac ſectæ Peripateticæ principium dedit, Primis quidem temporibus identidem partitus eſt animum, ut à Platone didicerat, id quod ex illius ſcriptis cognoſci poteſt, præcipueq; ex eo libro qui de uirtutibus inſcribitur. Poſtea uerò eum in duas ſecuit partes: Quarum alteram uoluit rationem continere, alteram uerò carere ratione. Et rurſus quæ rationem in ſe haberet, eam quoq; in duas diuidi partes: quarum altera ita contemplaremur ea quæ ſunt (ſic enim in præſentia dicere malo quam entia) quoad ipſa principia ſecus habere non poſſunt, ut parte altera contemplemur ea quæ poſſunt aliter eſſe: cum ad ea quæ alia ſunt genere, partes quoq; ſint aliæ genere, neceſſe ſit. Alteram uero harum partium Ariſtoteles ſcientificam uocat & alteram cogitatiuam. Quandoquidem cogitare aliud nihil eſt quàm conſultare. De iis enim quæ haberi aliter poſſunt, conſultat nemo. Sedem uero mentis atq; rationis, in cordis penetralibus eſſe uoluit. Ad quam quidem mentem Ariſtoteles docet ea referri omnia, quæ ſinguli ſenſus nuntiant, ab eademq; de iis fieri iudicium quæ ſentiũtur atq; examinari cuiuſmodi ea ſint, quæ uarie occurrunt ſenſibus. At ea in parte, quæ ſua natura eſt expers rationis, appetitum poſuit: qui ſi à ratione ſe regi gubernariq; patiatur; plurimarum eſt capax uirtutum, earumq; moralium. Nam ut Plutarchus ait, mores huius irrationalis partis ſunt qualitates, Sin ab affectionibus auertatur diſtrahaturq;, fit officina flagitiorum omnium. Mentem inquam locatam Ariſtoteles docet in cordis penetralibus, ubi alias quoq; animi ſpecies locatas aſſerit, imaginationem, memoriam, appetitionem. Nam quanquam animi potentiæ, in uno loco magis apparent quam in alio; ut aliæ in cerebro, aliæ in iecore, aliæ in teſtibus, aliæq; in aliis membris pro qualitate & conuenientia, atq; aptitudine corporeorum inſtrumentorum; eorum tamen omnium initia & quaſi radices quaſdam Ariſtoteles probat è ſede cordis emanare, quando ſuccus concocti cibi per uenas cordis cæterum corpus irrigat, & motus corporalis, qui localis eſt, à corde ipſo initium ſumit. Venarum enim & neruorum initium, ac ueluti nodus quidam ipſum cor eſt. Penes cor autem uis intellectiua, agitata atq; ignita pro ratione, eodem ſe in loco coaceruare exiſtimatur:

Sedes mẽtis ſecundũ Platonem in capite.

Alia in pectore.

Alia ubique in toto corpore.

Ariſt. alicubi ſequutus Platonẽ præceptorẽ.

Diſſentire poſtea cœpit Ariſt. à Platone.

Sedes partium animæ ſecundũ Ariſtotelem.

tur:

tur: poteſtate quidem illic habitans, operatione uerò effectuq; ad corporis conceptum & uiciniam commeans. Sed de Ariſtotele hactenus multa. Nos quod inſtituimus proſequamur.

QVANTVM *ad animi partes attinet, ea mihi diſtributio probatur maxime, qua & Pythagorã ſecundo loco, & Platonẽ uſum legimus. Quæ tamen à prima, quantum ad rem attinet, non abhorret. Separamus inquam animum tripliciter, in Mentem, qua rationem complectimur; & in Iram & cupiditatem; ut mens ſeu ratio in toto ſit capite, & ira in corde, & cupiditas ſubter præcordia. Quam quidem ſententiam familiaris noſter Maro ſequutus eſt cum cecinit:*
» *Celſa ſedet Aeolus arce, Sceptra tenens, mollitq; animos, hoc eſt cupiditates, & temperat iras. Quid autem animus ſit, multiplex eſt diſſentienſq; philoſophorum opinio, ut alio loco ſcripſimus. Cæterum mea quidem ſententia, animus eſt creata ſubſtantia ſpiritalis, ſimplex, rationis atq; intelligentiæ particeps, quæ ſeipſam mouens, naturale inſtrumentaleq; corpus tam diu afficit ea ui quæ & uitalis eſt, & ſenſibilia admittit, quoad eorum natura capax elementalem ſeruat conuenientiam. Hic ſanè mihi uidetur hominis animus, cuius rectus habitus uirtus eſt, ut uitium prauus. Et rectum quidem habitum rectam uocamus eorum diſpoſitionem, quæ neq; moueri, neq; tranſmutari facile poßint. Differre autem ab affectione habitum, nemo uel mediocriter doctus ignorat: quum is quàm affectio & permanentior ſit & diuturnior. Quales ſunt, tum ſcientiæ tũ uirtutes, quas ubi tibi uendicaueris difficulter amittas. Contra uerò affectiones. Nam & faciles ſunt & celeriter mouentur tranſmutanturq;. Et eſt ſanè affectio, ea materia, quã circa moralis uerſatur uirtus; cuius forma ratio eſt. Haud enim obſcurum reor homini docto & erudito uirtutem etiam dari quandam à materia ſeparatam, per ſequẽ ſubſiſtentem, ac planè meram. Sed de habitu nunc uirtutis habetur ſermo. Per huiuſmodi ergo habitum tametſi boni ſumus, non laudamur tamen niſi actio ipſa acceſſerit. Parum enim apparet nos animo eſſe uel temperanti, uel forti, uel iuſto, uel liberali, ni liberalitatis, iuſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ opera conſequantur. Itaq; nõ abſurdè ij monuiſſe uidentur mihi, qui dicunt rectam operationem eſſe, uirtute ipſa præſtantiorem: ea ſcilicet ratione ducti, quod ignorata animi ſententia, ignoratur etiam electio, quæ ab habitu ad actionem proficiſcatur, neceſſe eſt. Nam ut prudentißime monet Cicero, omnis uirtutis laus in actione conſiſtit.*

Probat animi potẽtiarũ partitionem Platonis.

Author ipſe definit animum.

Vide in prædicamento qualitatis apud Ariſtotelem.

Circa affectiones animi uirtus moralis.

Laus nõ ex habitu, ſed actione.

AT QVA *bonitate nos deceat bonos eſſe uidetur cõſiderandum. Nã bonũ multipliciter dici ſolet: cum ſit bonũ quoddã ſecundum honorem, quoddam ſecundum laudem, & quoddam ſecundum potentiam. Atq; huic quidem parti & imperium tribuunt & diuitias & uires, cæteraq; huiuſmodi, quibus & uir bonus bene, & malus male uti poteſt. Bono autẽ laudabili uirtutes dãtur; ex quarum actionibus laudamur. Bonum uero honorabile uocatur, quod & diuinum ſit & præſtantius quoddam bonum. Quod aſſequutus qui fuerit, eum uirum ſanctum ac perfectum dicimus, iureq; honoramus. Præterea quartum quoddam eſt bonum, quod & ſeruat bonum & facit. Id in exercitatione eſt poſitum bonæ ua-*

Bonum multis modis dictum.

φυλακτικὸν intelligit et ποιητικὸν, de quo Ariſt. lib. 1. Rhet.

 letudinis,

Alia partitio bonorũ.

letudinis,ac ſi quid aliud eſt huiuſmodi. Eſt inſuper alia quædam bonorum par-
titio,cum alia bona ſint & ubiq; & omnino expetenda,alia uero aſpernenda,ut
iuſtitia aliæq; uirtutes, quæ & ubiq; ſunt, omninoq; expetendæ. Vires uerò
& diuitiæ & poteſtas cæteraq; huiuſmodi, neq; ubiq; expetenda dicimus, nec

Item alia,ſecundũ Peripateticos.

item omnino. Præterea aliter partiuntur,cum dicant bona eſſe alia fines,alia ue
rò nequaquam fines: ut ſanitas finis eſt; ſed quæ ſanitatis fiunt gratia, fines ea
non ſunt.Et quæcunq; hoc modo dixerimus; ſemper eorum finis melior eſt.Qua
quidem ratione bona ualetudo melior eſt finis, quàm bonæ ualetudinis effectiua.
Et ne prolixiores ſimus finis ultimus ijs omnibus præſtat; qui huius gratia ex-
petuntur. Quare ipſorum finium perfectior finis ſemper imperfecto eſt me-
lior. Perfectum uero dicimus finem,quem cõſequuti,nihilo amplius egemus. Nã
imperfectus ubi nobis finis contigerit egemus item aliquo: ut ſi iuſti ſimus, mul

Felicitas finis ultimus.

tis quoq; alijs nobis finibus opus eſt. Sola felicitas ea eſt, quam adepti,nihil a-
liud appetentes, contenti ſumus. Sed de felicitate poſtea diſſeremus: hæc enim
eſt finis quem quærimus, optimus ac perfectus, & bonorum omnium ſummum
bonum.Et in hac ſane bonorum diſtributione,Peripateticos ſequuti ſumus.Cæte
rum puto non incongruum fore,nec inutile, ſi antequàm longius noſtra progre-

Definitio boni, & partitio bonorũ ſecũdũ Stoicos.

diatur oratio; breuiter complectar,qui alij illuſtres ac ſumma grauitate philo-
ſophi,de bono ipſo ſtatuerint,& quidnam eſſet & quotuplex. Et omnium pri-
mos audiamus Stoicos, qui magnũ quiddam ac præclarum in philoſophia pro-
fiteri ſunt exiſtimati.Hi enim ſequentes communes notiones bonum eſſe utilita-
tem definierunt,aut non aliud ab utilitate. Atq; utilitatem quidem ipſam uirtu-
tem eſſe dicunt,bonamq; actionem.Non aliud ab utilitate eſſe uolunt bonum ui-
rum & amicum. Virtutem enim quæ imperitantem uim rationis repræſentat,
& bonam actionem, quæ operatio quædam ſit, ſecundum uirtutem perſpicue
prodeſſe. Bonum autem uirum atque amicum, qui & ipſi è numero ſint bono-
rũ,neq; utilitatẽ eſſe dicere oportere,nec ab utilitate alios. Et id quidẽ ob huiuſ-
modi cauſam.Nã ſectatores Stoicorũ partẽ dicũt,nec eandẽ eſſe cũ toto,nec aliã
à toto: ſicuti manus neq; eadẽ eſt cũ toto homine, Non.n.totus homo eſt manus,
neq; alia à toto.Nã tota cũ manu totus ẽt homo intelligitur homo.Ita ergo pro-
pterea quod boni uiri,et amici pars eſt uirtus;pars uerò nec eadẽ eſſe cũ toto poſ

Bonus uir, & amicus idem cũ utilitate.

ſit,nec alia à toto: dicunt Stoici bonum uirum & amicum non eſſe alium ab uti
litate. Itaque omne bonum ea definitione comprehendi putant,ſiue cõtinuo uti-
litas ſit,ſeu non ſit ab utilitate aliud. Quapropter conſequenter bonum tripli-
citer dicunt appellari. Vno enim modo id bonum dici ex quo aut à quo fit utili
tas,quod certe principaliſſimum exiſtit & uirtus. Ab hac enim tanquam à fon
te quodam omnis naturaliter manat utilitas. Secundo autem modo id,per quod

Bonum tripliciter.

utilitas contingit. Sic enim non ſolum uirtutes dicentur bona,ſed etiam quæ ſe
cundum uirtutes actiones proficiſcuntur, ſi quidem per haſce utilitas contingit.
Vltimo uerò modo bonum dicitur illud, quod utilitatem afferre poteſt. Et hæc
quidem aſſignatio complectebatur, tum uirtutes,tum actiones ſecundum uirtu-
tes,tum amicos,tum bonos uiros, tum etiam & Deum & bonos angelos. Ob
quam

quam quidem cauſam aliter atque aliter, tum apud Platonem & Xenocratem, tum apud Stoicos bonum nominatur. Nam illi cum dicunt aliter dici bonum ſecundum ſpeciem quæ idea eſt, & aliter ſecundum participationem ſpeciei; non quid ſit bonum oſtendunt; ſed boni ſignificata multis modis uidentur exponere, & quæ inuicem plurimum diſcrepent, nec habeant quicquam inter ſeſe commune. Quemadmodum intueri licet in hac uoce canis. Vt enim ex hac ipſa uoce prolatio quidem ſignificatur, ſub quam & animal latrabile cadit, & aquatile, & aſtrum, & quod unicum eſt in teſſeris punctum (Nihil autẽ huiuſmodi prolationis commune inuicem habent, neque ſecunda prolatione prima continetur, neque tertia ſecunda, neque quarta prolatione tertia) Eodem etiam modo cum dicitur bonum ſecundum ideam & bonum quod eſt particeps ideæ: expoſitio quidem eorum bonorum eſt, quæ ſignificantur uerorũ & ſeparatorũ, & quibus ne ullum quidem bonum contineri oſtendatur. Et hi ſanè hoc pacto de bono loquuti ſunt, de quorum celebri, peruagatáque ſententia quod meum iudicium ſit, non multò poſt, ut ſpero, diſſeram; & ita diſſeram, ut homini nõ pertinacius, quàm par eſt, contendenti, nullum omnino dubium relinquatur. Nam neque Stoicis, neque ipſi Peripateticorum principi Ariſtoteli maximo in philoſophia grauiſſimóque uiro in ijs aſſentior, quæ contra huiuſmodi bonum ſubtiliter magis, quàm uere diſſeruit. Cæterum ut redeam ad Stoicos, uolunt illi quidem ſecundum ſignificatum complecti primum, & tertio quoque duo contineri, eademque ratione quarto contineri tria. Fuerunt autem qui dicerẽt id eſſe bonum, quod ſit propter ſe expetendum. Alij uerò bonum id eſſe definiunt, quod ad felicitatem adiuuat. Et quoſdam fuiſſe legimus qui bonum id eſſe uellẽt, quod felicitatem compleret. Eſſe autem felicitatem ſecundum Zenonis, Cleanthe & Chryſippi aſſignationem uitæ facilem, amœnúmque decurſum. Veruntamen genus eſſe huiuſmodi uoluere, quo bonum aſſignatur. Sed cum bonum tripliciter dicatur, conſueuere nõnulli continuo ad definitionem primi ſignificati inquirere ſecundum quod dicebatur; bonum eſt id, ex quo, aut à quo utilitas proficiſcitur; ut ſi uerò bonum eſt id, à quo utilitas fit, ſolum generalem uirtutem dicere oporteat bonum exiſtere. Ab hac enim ſola utilitas fit. Excidit autem ab ea definitione quælibet uirtus particularis, ut prudentia, ut temperantia; cæteræquè uirtutes. A nulla enim ipſarũ huiuſmodi utilitas proficiſcitur. Sed à ſapientia ſapere, prouidereue procedit, & nõ quod communius eſt, prodeſſe. Nam ſi hoc ipſum prodeſſe acciderit, non eſt ſecundum definitionem prudentia, ſed generalis uirtus. Et à temperantia, quod de ipſa prædicatur, temperãtem eſſe, non quod commune eſt prodeſſe. Eodemq; modo de cæteris uirtutibus dici poteſt. Contra ij cupientes quã definitionem poſuerant ſuſtinere, ita reſpondent. Cum à nobis id dicitur eſſe bonum, à quo utilitas proficiſcitur; idem eſt ac ſi dicatur bonum id eſſe, à quo ad aliquid eorum, quæ in uita ſunt, proficiſcitur utilitas. Hoc enim pacto quælibet etiam particularis uirtus bonum erit, quæ quidem nequaquam communiter utilitatem afferat, ſed eorum aliquid præbeat, quibus utilitas fit. Harum enim uirtutum alia, ut ſapiamus, prouideamúsue præſtat, ſicuti prudentia: alia ut temperã-

Qui de bono in idea loquuntur & alio per participationẽ, ſignificata tantum oſtẽdunt.

Declaratio definitionũ à Stoicis allatarum.

Oſtendit errorem Stoicorum.

tes ſimus ſicuti temperantiæ. At hi quidem Stoici dum uolunt huiuſmodi reſponſione primum crimen effugere, in alterum mihi uidentur crimen incidere. Si bonorum enim alterum eſt quod dicitur bonum id eſſe, à quo utilitas ad eorũ aliquid proficiſcitur quæ in uita ſunt, generalis uirtus quæ bonum ſit, ſub definitionem minime cadet. Non enim ab ea ad eorum aliquid utilitas proficiſcitur, quæ in uita ſunt: quoniam una è particularibus fiet; ſed ſimpliciter utilitas. Verum quanquam ij alia multo plura in hanc ſententiam ſunt loquuti, non minus ſuperuacanee, quàm acutè exeogitata, cum de uerbo potius quàm de re ipſa diſceptare cõſueuerint, nobis tamen ſit ſatis, ſi oſtendimus qui definit bonum id eſſe, quod prodeſt, uel quod per ſe expetendum eſt, uel quod felicitati eſt adiumento, aut huiuſmodi aliam aſsignationẽ affert; eum non quod bonum ſit docere, ſed quod bono accidit declarare. Qui uerò quod bono accidit oſtendit, haud is mihi bonum uidetur oſtendere. Continuo igitur & quod quidem conducit bonum, & quod expetendum eſt, ſecundum quod bonum id circo hoc appellatur nomine, quod labore ſit dignum, πόνος enim unde bonum deductum puto, laborem ſignificat, et quod

Alius error Stoicorum.

item bonum ſit felicitatis effectiuũ nemo eſt qui diſſentiat. Quod ſi rurſus quæratur, quid tandem eſt hoc prodeſſe, & quod per ſe ſit expetendum, felicitatemq́; efficiat, non modo non conſentient, ſed diſſentient maxime, ob eam ſcilicet rationem quod de ſubſtantia nõ de accidente quæreretur. Nam alij bonum dicent uirtutem, alij indolentiam, alij uoluptatem, & eam quidem tum mentis bene compoſitæ rectæq́; rationis, tum diſſoluti ſenſus petulantisq́; appetitus. Alij uerò aliud quippiam uel ſimplex uel coniunctum. Quod ſi ex ſuperioribus definitionibus patuiſſet quod eſſet bonum, haud quaquam diſſentirent perinde ut ignorata natura boni. Non igitur eæ definitiones quod ſit bonum, ſed quod bono accidat omnes docent. Itaquè non ſolum ob hanc cauſam reijciendæ ſunt; uerumetiã quia rem quandam impoſsibilem appetunt. Nam qui aliquid eorum quæ ſunt ignorat; hic nequé illius accidens poteſt cognoſcere, uti ſi quis ad eum qui equus quid ſit ignorat, dixerit equus eſt animal hinnibile; id quod eſt equus minime docet. Qui enim equum ignorat, quid etiam ſit hinnire quod equo accidit ignoret neceſſe eſt. Et qui audiat bouem eſſe animal mugibile, nec teneat quid ſit bos: huic bos haud monſtratur. Nequé enim mugire quod boui accidit is comprehendat, qui bouem ignorarit. Identidem igitur cui quid eſt bonum obſcurum ſit, ei fruſtra & inutiliter dixero bonum id eſſe, quod expetendum eſt, aut quod utilitatem affert. Nam primum quæ ſit ipſius boni natura diſcendum eſt, deinde intelligendum quod & utilitatem affert, & quod expetendum eſt, & quod felicitatem efficit. Natura uerò ignorata boni, huius quoq; definitiones quod quæritur docere non poſſunt. Et de his quidem ſatis ac ſuper. Non enim longiores eſſe poſſumus.

Mali definitio.

EX HIS *autẽ quæ breui oratione pſtrinximus, quod iſtiuſmodi philoſophi malum eſſe definiant, abũde patere cenſeo. Malum eſt enim ea ratione quod bono contrarium, aut detrimentum affert, aut non aliud à detrimento. Et detrimẽtum quidem eſt quemadmodum uitium atque mala actio. Sed non aliud à detrimento,*

mento, quemadmodum malus homo & inimicus. Inter hæc autem duo bonum et malum, quæ & uirtute duntaxat, definiuntur & uitio; id eſſe Stoici uolũt quod ἀδιάφορον ipſi nominant, nos recte indifferens appellamus. Id autem eſt quod neutrum habet. Nam quod indifferens fuerit, id neque in malis eſt nec in bonis numerandum. Quæ enim in triplici illa bonorum partitione animi, corporis & fortunæ Peripatetici, Academiciq; bona aut mala minima & perexigua eſſe uo lunt, corporis & fortunæ quæ dicuntur, ea Stoici neque in bonis, neque in malis aut numerant aut ducunt; ſed tum indifferentia, tum commoda, uel incommoda, tum prælata, aut reiecta uocant. Hæc enim ſunt προηγμένα & ἀποπροηγμένα. Sed quoniam boni ſubſtantiam quærimus potius quàm accidens ullũ; illud omnium primum intelligamus oportet, quo de bono nobis ſermo habendus ſit. Nam alia bona ſunt quæ in hominis actionem non cadunt: alia uerò cadere dicimus. Quædam enim eorum quæ ſunt, ut nullam habent cum motu communitatem, ita ne cum iis bonis quidem quæ cadunt in actionem. Et hæc indubitato natura ſunt optima, ut pote diuina. Quædam uerò habent cum motu communitatem, quare etiam cum actione ſed nequaquam noſtra, qui mortales ſumus, uerum cum eorum actione, qui mortem pati non poſſunt. Et ij quidem à Græcis δαίμονας, ut ait Philo Iudæus, à noſtris dicuntur ἄγγελοι & ſi qui alij ſunt cæleſtes ſpiritus præter angelos. Quæ autem in humanam cadunt actionem, ea rurſus duplicia dicimus. Alia enim eiuſmodi ſunt, ut ſui ipſorum agamus gratia. Alia uerò non propter hæc ipſa in actionis participationem ueniant. Vt bonam ualitudinem & diuitias in eorum genere ponimus quæ propter ſe agantur: At ea quæ ad bonam ualitudinem pecuniasq; pertinent in iis numeramus, quæ non propter ſe, ſed horum gratia in actionem ueniant. Quod cum ita ſit haud eſt obſcurum felicitatem ex iis omnibus bonis, quæ in hominũ actionibus ſita ſunt, & perfectum eſſe & optimum & ſummum bonum. Ad quod tamen qui peruenire per media quæ dicimus bona inſtituerit, neceſſe eſt ut cum illa ſibi etiam proponat bona, quæ in noſtram actionem non cadunt, ſed immortalis cuiuſdam ſunt angelicæq; naturæ; tum ad ea omnem mentis aciem intendat; quæ nulli motui ſunt obſtricta, ſed incommutabilem habent natura ſtabilitatem, ſuntq; ſempiterna ac plane optima, & ita optima ut nihil nobis ſine illis non modo optimum, ſed ne minima quidem ex parte bonum eſſe poßit. Hanc noſtram bonorum diſtinctionem ſi quis recte conſiderare uoluerit; inueniet nos nec à Platone & Ariſtotele diſſentire, & cum Chriſtiana philoſophia maxime conuenire. Vt autem exploratum nobis ſit, quid bonum eſſe definiamus quod quærimus, ita paratimur, ut intelligamus illud bonum aliud eſſe, quod & per ſeſe bonum eſt, & ſecura ſua tranquillitate ineffabiliq; præſtantia gaudet, non modo motionis atque actionis expers, quæ aliunde motum accipiens, non ſua ui ſuaq; natura & mouetur & agit; ſed ita omnino bonorum omnium quæq; ſunt quæq; dicuntur & fons eſt & cauſa, ut nihil quod eo careat, bonum eſſe poßit. Et alterum quoq; bonum eſſe quod æterniore moderatioreq;, quàm noſtra eſt actione utitur. Nam horum inferiorum noſtrorumq; bonorum, quis adeò amens ſit qui neſciat longe magis

Quæ ſint ἀδιάφορα quæ Stoici ſtatuunt inter bonũ, & malum.

Bona aliqua non cadunt in actionem hominum.

Diuiſio boni humani.

Felicitas quale bonũ.

Definitio, et partitio boni de quo au thor loquitur,

magis atq; magis illud bonum præſtare cuius gratia cætera expetuntur? quàm id quod non propter ſe, ſed propter aliud ex petendum ſit? Sed quoniam paulo ante dixeramus, aliud eſſe bonum perfectum, aliud medium; id quodammodo intereſſe uolumus inter felicitatem & uirtutem, quod inter hominem & hominis partem, ut hominis bonum ſit felicitas, bonum uerò hominis partis ſit uirtus ipſa. Cæterum quo facilius teneamus & dilucidius hominis bonum in eo quo homo eſt, quid cuiusq; rei ſit bonum ſciamus oportet. Nam ut rem declaremus exẽplo, & homo alia quadam perfectione perfectus in eo dicitur, ſecundum quòd homo eſt; & alia leo, ſecundum quod leo eſt. Atq; bonum eſt cuiusq; rei quando in ſubſtantia & potentia (quam enim Græci δυνάμιν, nos modo uim, modo potentiam, nonnunquam etiam tum poteſtatem tum uirtutem dicimus) Quando inquam in ſubſtantia & potentia poteſt agere, quæcunq; ſunt ſecundum naturam. Id uerò in animalibus quibusq; intueri licet. Nam potentia quæ inſtrumentale bonum eſt tempore antecidit operationem, at ratione ſequitur. Si ad doctrinam enim referatur operatio & prior eſt & nobis certior cognitu, quàm potentia quo ad perfectionem. Alicuius enim rei perfectionem uel potentia dicimus uel operatione. Nam huius gratia potentia eſt. Id autem cuius gratia aliud eſt, prius hoc eſſe quis neget quod eſſe conſtat propter illud? Et cuiusq; rei finis, tempore quidem poſterior eſt at ratione prior. Nam ratione finẽ proponimus nobis, & ita ad finem quæ ſunt quærimus ac paramus. Omnia igitur primo ex potentia procedunt ad operandum. Verbi cauſa, Ex ſemine generatur homo, qui tamen neq; in quantitate inſtrumentorum, nec in membris, quæ in ipſis ſunt inſtrumentis continuo perfectus eſt. Sed ubi membra paruam quandam acceperint quantitatem & quod humidius eſt deſiccatum fuerit & qui per membra ſpiritus defluit perſeueranter conſtiterit; perficitur paulatim in corpore ad corporales operationes. Atq; ita de puero uir efficitur. Idem quoq; in animi potentijs, tam notionis quàm motionis quæ naturales ſunt animi partes eſſe animaduertitur. In ipſa enim hominis generatione ea boni ſemina ſparſim hæ uirtutes accipiunt, in quibus inchoatio quædã ad humanum bonum accõmodata ſita eſt. Huiuſmodi uero ſemina experimẽto paulatim & tẽpore aſſuetudineq; coeũt perficiunturq;: & ita quæ natura ſunt optima poſſunt agere. Non enim philoſophus ille mihi uel habendus uel nominandus uidetur, qui ignoret nullam eſſe potentiam, quæ ex ſeſe perfecta ſit. Neceſſe eſt enim ut per habitum perfectionem capiat ad agendum, uel innatum uel comparatum. Nam ut ipſam animi ſubſtantiam agilitatemq; mentis in aliud commodius tempus reijciamus, tria in animo ineſſe quæ operationum actionumq; noſtrarum principia ſint Philoſophi omnes conſentiunt, Potentiam, Affectionem, Habitum. Et Potentiam quidem principium eſſe materiamq; affectionis, ut iracundiam, uerecundiam. Affectionem uero inſurgentem quandam potentiæ motionem, ut iram, pudorem. At Habitum eſſe partis irrationalis robur atque conatum aſſuetudine ingeneratum. Et eum quidem, ſi recte à ratione inſtituatur, uirtutem fieri, ſin autem praue uitium. Quæ autem loquimur de Actiuorũ potentijs quæ perfectione carent nunquam

Quid interſit inter felicitatẽ, & uirtutem.

Perfectio duplici modo.

Tria principia noſtrarum actionum.

quam intelligi nolumus. Quibus ſane rationibus ſequi arbitror ut bonum humanum ſit ſecundum hominis naturam perfecta poſſe optimaq; perficere. Neq; illud quoq; ignoremus oportet id eſſe in partibus etiam accipiendum, quod in toto ſit. Nam ſicut animus eſt natura ſua corpore perfectior; ita animi partes longe præſtãt corporis partibus. Sic oculi uiſio, ſic pedis perfectio eſt ipſe inceſſus. „ *Itaq; non ab re apud Ariſtotelem legimus; Si oculus animal foret, eius animus* „ *uiſus foret. Et ita aliud eſt hominis bonum, ſecundum quod homo eſt, aliud ſe-* „ *cundum hominis partes. Atque illud quidem perfectum, hoc tãquam medium &* „ *imperfectum. Inde fit, ut aliud ſit cupiditatis bonũ, aliud iræ, aliud rationis, aliud intellectus, & mentis ipſius aliud. Quare cum de hominis bono quæritur pro ut homo eſt; ita eſt id bonum definiendum, pro ut eſt hominis bonum, & pro ut eſt partium eius. Vt felicitas enim eſt hominis bonum, ita uirtus nequaquam eſt hominis ſed partis hominis bonum. Sed poſteaquam quid eſſet ſingularum rerũ bonum oſtendimus; quidq; tum partis, tum etiam totius hominis: reliquum eſſe puto ut idem faciamus de bono illo, quod bonis omnibus ſit commune ac per ſeſe exiſtat & bonorum omnium primum ita dicatur eſſe, ut ante id bonũ aliud nullum reperiatur, ac idẽ in bonis omnibus boni cauſam eſſe pateat. Videmus.n. ſecundum Platonem, id bonum exiſtimari, quod à prima Idea boni ſecundum boni formam proficiſcitur. Quod ut manifeſtius reddatur, non erit à noſtro inſtituto alienum, ſi quam potero breuiſſimè in medium referam; & quid Plato, quem unum hac in re iure meritoq; ſequimur; & quid cæteri philoſophi Ideam eſſe ſtatuerint. Nam quoniam aliter atq; aliter de Idea locuti ſunt ex ea definitione qua ſingulos uidemus uſos omnem Ideæ rationem intelligemus. Fuerunt enim nonnulli qui Ideam eſſe dixerunt ſubſtantiam incorpoream; quæ quanquã ipſa per ſeſe non exiſtit, format tamen informis materias, cauſaq; eſt ut oculis ſubijciantur. At Zenonij Ideas eſſe uoluerunt aliud nihil quam notiones cogitationesq; noſtras. Peripatetici uerò Ariſtotele auctore ita de Ideis locuti ſunt, ut eas à materia ſeparatas eſſe noluerint. Qua quidẽ re factum eſt ut alterius fundamenti ij ratione uſi minus uideantur cum Academicis Platoneq; ſentire. Plato enim Socratis auditor, imitatorq; Pythagoræ Samij arbitratus eſt Ideã eſſe ſubſtantiam à materia ſeparatam quæ per ſeſe in ipſius Dei intelligentia imaginationeq; exiſteret. Et hæ ſane de Ideis ſententiæ ſunt, quas antiqui nobis philoſophi ſcriptas reliquere. Nam neq; ipſius rei Platonem neq; nominis Ideæ auctorẽ extitiſſe, ſatis ſuperq; eo demonſtratur libro, quem Pythagoræ diſcipulus Timæus Locrus, multo ante Socratis atq; Platonis tempora acutiſſimè ſcripſit de Mundi animo & natura, cuius nos alio loco multam mentionem fecimus. Quãquam hũc Cicero non tam Pythagoræ auditorem quàm Platonis doctorem aſſerit extitiſſe. Cæterum ut perſpicuum reddatur, & quo pacto Socrates ac Plato, & quo pacto cæteri philoſophi Ideam accepere, duplicem eſſe mentem intelligamus, neceſſe eſt: Alteram Diuinam & humanam alteram. Et humanæ quidem mentis Ideam ut Zenonij & ij omnes qui putauerũt Ideam eſſe ſubſtantiam incorpoream, quæ licet ipſa per ſeſe non exiſteret, informis tamen materias formaret,*

Bonum hominis quomodo definiendum.

De bono cõmuni, et per ſe.

Orditur ſuam diſputationem ab Idea.

Quid ſit Idea ſecundũ diuerſos.

Plato nõ loquutus eſt primus de Ideis.

maret, & ut eæ apparerent exterius eſſent cauſæ. Voluerunt hi ſane huiuſmodi Ideam aliud nihil eſſe, quàm noſtram cogitationem atq; notionem, eam ſcilicet quam Græci ἔννοιαν *appellant. Quam quidem ſententiam mihi ſequutus uidetur, tum M. Antonius orator, tum Iuuenalis his uerſibus.*

Locus Iuuenalis declaratus.

Sed uatem egregium cui non ſit publica uena
Qui nihil expoſitum ſolcat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triuiale moneta.
Hunc qualem nequeo monſtrare, & ſentio tantum
Anxietate carens animus facit.

Vide Cic. in Oratore.

Quibus uerſibus acutiſſimus poëta Iuuenalis oſtendit cogitatione inuenire qualē eū eſſe poëtam oporteat, cui ad perfectionem nihil deſit, cum talem monſtrare neminem queat. Nam M. Antonius in eo libro, quem unum legendum reliquit poſteritati, ſcripſiſſe fertur, ſe diſertos uidiſſe multos, at eloquentem omnino neminem. Quam enim eloquentiæ ſpeciem animo uidere uidebatur, cum eius effigiem ad aurium iudicium referret intelligebat fruſtra quemquam è uiuis eloquentiæ ſibi laudem aſſumere. Et hi ſane duo Zenonem ſequuti, Iuuenalis poëta Antoniusque orator cogitauerunt ſpeciem quandam & oratoris & poëtæ excellentem atque perfectam prorſus, ad cuius imitationem poëticæ & eloquentiæ dignitatem ac magnificentiam retulerunt. Quod eius rei opifices quoq; ſequutos arbitramur. Intueri licet uel hac tempeſtate Romæ & equos duos marmoreos, & item iuuenes iuxta duos factos è marmore utroſque miræ pulchritudinis, magnitudiniſq; eximiæ; quos Praxiteles & Phidias nobili opificio elaborarunt. Non enim aut in equis Cillarum atque Arium, aut in iuuenibus fingendis Herculem aliquem & Iaſona ante oculos habuerunt; ad quorum ſimilitudinem, tam præclara opera poſteritati admiranda relinquerent; ſed ingenij acrimonia & cogitatione ſua pro exemplari ſunt uſi. Idem exiſtimandum eſt de Scopa & Polycleto. Idem quoque de nobiliſſimis illis pectoribus Euphranore, Aſclepiodoro Pliſteneto Phidiæ fratre & Apelle cum pingerent, Alij Deas, alij heroas, alij pugnas, alij uictorias. Quanta uerò in cogitatione fuiſſe Niciam putemus, qui ſeruos perſæpe inter pingendum interrogaret ſi lotus eſſet & pranſus? Huiuſmodi autem, de qua loqui cœperam notio atque cogitatio, quāquam per ſeſe non exiſtit, utpote quæ & oriatur & occidat; materias tamen informis inſignit forma effigieq; figurat atque efficit, ut uideantur exterius. Nec tamē inficier Ideam quoque aliquid eſſe quod oculis uideri poſſit: ut ſi quod ſibi exemplar artifex propoſuerit ad quod reſpiciēs operetur, quidquid tandem operatur. At in Diuina cognitione non illud eſſe dicimus ad quod reſpicit D E V S, *ut inſimulat Ariſtoteles Platonem uoluiſſe; ſed id potius quo reſpicit. Quare longe omnino ſecus in* D E O *fit quàm in artifice, ut & Plato ſentit & ueritas ipſa docet. Eſt enim Idea quod modo dicebatur ſubſtantia à materia ſeparata, quæ per ſeſe in ipſius ſummi* D E I *intelligentia imaginationeque exiſtit. Et Idea quidem ab* εἶδος *deſcendit, quod ſpeciem formamq; ſignificat. Idem etiam cum ſæpe alias tum in præſentia pro ratione accipitur. Ideam enim*

Exemplum ab ijs ſtatuis, quæ nunc Romæ uiſuntur.

Falsò reprehendit Ariſtot. Platonem.

Vnde Idea dicta.

enim eſſe intelligimus principalem quandam rationem rerum, quæ diuina continetur intelligentia, & eam quidem ſtabilem atq; incommutabilem, quæ cum formata non ſit; Sed æterna, eodemq; modo habeat ſemper, quippe quæ neq; oriatur nec occidat unquam, tamen ſecundum eam conuincit Plato formari omnia, quæ ortui ſint interituiq; ſubiecta. Quamobrem ut ea ſpecies, ea forma, ea ratio, hoc eſt Idea quæ principium nunquam habuit, finem eſt nunquam habitura (Quicquid enim in DEO eſt, id ſit æternum oportet) Ita cætera quæ naſcũtur, ea interire natura omnia, fluere, labi, diſſipari, neq; diutius eſſe poſſe uno atq; eodem ſtatu demonſtratur. Enimuero quis adeo fuerit aut impius, aut fatuus, qui negare audeat DEVM immortalem pro abſolutiſſima ſummaq; ratione omnia creaſſe, omnia condidiſſe? Nec tamen ſe quiſquam debet tantæ ſtultitiæ obnoxium facere, ut exiſtimet animalia quæ ratione carent, ſicuti aquilam, taurum, delphinum, cæteraq; huiuſmodi eadem eſſe creata ratione, qua hominem: quem cum feciſſet DEVS ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ratione certe intelligentiaq; muniuit. Et ne prolixior in re perſpicua iudicer; Idea ſemper habet eodem modo, ſicut etiam ſubſtantia ipſa diuina; quæ ut una eſt, ita quoque unam eſſe Ideam eſt concedendum. Vt autem Ideas atq; εἴδη hoc eſt ſpecies plurali nominemus numero, aliæ atq; aliæ rerum rationes ſecundum Ideam productarum ſunt in cauſa. Cui minus cognitum eſſe debet, exempli gratia, eadem Idea & pilæ & uorticuli, & alias plures productas eſſe rotũditates, quã & cœlum et terram & uniuerſum mundum percipimus? Qui ergo negari queat, quin ſingula rerum genera proprijs producta ſint rationibus producanturq; quotidie? Huiuſmodi autem rationes, ſi in mente diuina non inſunt, ubi ineſſe poſſint, non intelligo. Errant profecto illi, qui Platonis gloriæ inuidentes, ſe ingratitudinis reos faciunt, cum eius ſummi Philoſophi ſententiam deprauantes DEVM inſimulent intueri ſolitum, aut hominem quemquam uniuerſalem aut aliud quicquam huiuſmodi extra ſe poſitum; quo tanquam hebes artifex quiſpiam ad illud exẽplar aut hominem, aut aliud quod uelit producat. Satis mihi uideor oſtendiſſe has Ideas, has ſpecies, has formas atq; rationes in mente diuina per ſeſe exiſtere ab omni materia ſeparatas atq; incorporeas; ubi cum nil ineſſe poſſit, niſi incommutabile, niſi ſtabile, niſi æternum planeq; abſolutum, atq; ex omni parte perfectum, conſequens eſt ut eas rationes & perfectas eſſe fateamur & ſtabiles & omnino æternas. Quid igitur mirum uideri cuiquam debet, ſi Plato ut erat ingenio diuino potius quam humano affirmabat tãtam uim ineſſe in ijs Ideis, ut nemo ſapiens eſſe poſſit, qui eas minus animo percepiſſet intellexiſſetq;? Nam eum uirum contemplabatur Plato cui nihil deeſſet ad ſapientiam. At ſapientiam altius metiebatur, quàm indocti ſolent, cum eam referret ad ipſius ueri perſpicientiam atq; cognitionem. Quare ita in rebus cœleſtibus id poſitum & conſtitutum iudicabat, ut nemini contingeret, qui diuinam ſubſtantiam ignoraret. Solum igitur eum ſapientem & dicendum arbitrabatur & iudicandum, qui Ideam ueritatemq; calleret. Et cogitanti quidem accuratius mihi uideri ſolet idem Platoni de uiro ſapienti accidere potuiſſe, quod & M. Antonio de eloquenti orato-

Idea ſemper eadem, ſicuti ſubſtãtia diuina.

Defenditur Plato.

Magna uis in Ideis.

Cic. in effingendo oratore Ideam ſequutus.

re,& Iuuenali de egregio poëta modo memineramus. Nam cum inſideret in eius mente abſolutiſsima quædam,& excellentiſsima ſapientiæ ſpecies, quam & ſi optandam potius homini quàm ſperandam eſſe cenſebat; qualem tamen eſſe o-porteret,cernebat animo,abunde uiſus eſt monere,quid deſiderãdum foret in ſa-piente. Non enim ignorabat Philoſophus acutiſsimus quicquid eſſet, de quo ra-tione & uia quæreretur, id redigi oportere ad ultimam quandam formam atq; ſpeciem ſui generis. Quapropter animo comprehenſam perceptamq; habebat eam ſapientis formam cui nihil deeſſet ad intelligentiam Idearum,quamuis eam uideret in nemine. Non igitur minus ſapienter,quàm ſanc̃te Paulus Apoſtolus cum de hac intelligentia loquitur, qua diuinam ſubſtantiam contemplamur, ad tertium ſe uſq; cœlum idcirco raptum affirmat, quod interiore mentis ſincerio-req; acumine Diuinæ illi atq; ineffabili intelligentiæ cohæreret. Non enim cor-poreis oculis fas eſt cuiquam DEVM aſpicere; ſed cunctis terrenis ſordibus defecatæ atq; purgatæ ac nitidæ mentis luminibus eum licet intueri. Id ſibi con-tingere qui uelit (quis enim uelle non debet) huic eſt omni cura, omni opera, om-ni ſtudio, omni deniq; induſtria atq; diligentia annitendum, ut ſeſe uendicet ſibi, cogatq;,ut proſtratis, ac domitis cũctis animi perturbationibus,mens ſua omnis libera,ac ſui compos,cum mente diuina,unde creationem,atq; ſplendorem,uimq; omnem accepit,& ratiocinandi & intelligendi cõueniat, ab eaq; nuſquam diſce-dat. Nam ita qui fecerit,certò ſperare poteſt, ut intelligibili illi circunfuſus at-que illuſtratus ſummæ ſapientiæ lumine, cernat uim omnem, naturamq; Ideæ. Atque huius quidem Ideæ non Plato, id quod oſtendi antea, ſed Pythagoras in-uẽtor omniũ primus fuit,quotquot uel in Ionica,uel in Italica philoſophia cla-ruiſſent; ſequutus is quidem magis doctores, quibus cum apud Chaldæos con-greſſus eſt, Zoroaſtrem philoſophorum omniũ primum, quem Plutarchus tra-dit anteceſsiſſe bellum Troianum annis quinq; milibus. Sed hæc de Idea,& quid, quotuplexq; ſit,& quo pacto ſecundum Platonem accipienda, nos dixiſſe ſuffi-ciat. Nunc eò redeamus unde digreſsi ſumus.

Hæc eadem Cice. de ſuo Oratore in eo loco qui inſcribitur orator. uide ĩ principio.

PRINCIPIO id ſtatuo eſſe bonum maximũ,ac ſummũ bonorum omniũ, cui ultima ſui perfectio contigerit. Nam ſi bonum huiuſmodi ab ultimo ſuæ bonita-tis fine rationem capit,& huiuſmodi finis ubi acceſſerit, nihilo res eget,cum ni-hil ad id,cuius gratia ſigillatim ſunt cætera, appetit ſibi adijci. Non enim ulti-mum foret, ſi qua fieri poſſet adiectio. Id igitur eſt ſummum bonum, quod ulti-mum ſit ſecundum naturam finem conſequutum. Si id præterea bonum non eſt, cui uitium ſit admixtum,& cuicunq; minus contigerit; huic uitij quippiam in-hæret; quantum autem habet uitij,tanta caret bonitate; Quonam igitur pacto id ſummum dici conuenit bonum,quod ultimam ſui ipſius perfectionem cõſequu-tum nondum ſit? Ad hæc nihil cuiq; rei addi poteſt, præter huius ipſius rei bo-num. At bonitatis quatuor ſunt cauſæ,quæ efficiat, quæ materiam præſtet,quæ formam tradat,quæ finem imponat. Quare cum ſola ipſius finis cauſa ſit, quæ ad poſtremum accedens rem perficiat; quis ambigat ſolam finalem cauſam eſſe illam,ad quam accedere nihil queat? Si enim id perfectum eſt,quod nulla re eget, eo ſit, ut

Sũmi boni, deſcriptio.

Bonitatis quatuor cauſæ,& fi-nalis præci-pua.

eò ſit, ut id nihilo egeat, cui quod ex finis cauſa ſit, nihil addi poßit. Quo ſit, ut id eſſe oporteat ſummum bonum, ad quod ultimi finis acceſſerit perfectio. Rurſus ſi illud ſtatuunt eſſe ſummum bonum, quod ab omnibus appetitur, hoc ultimum ſit oportet. Nam niſi ultimum eſſet, aliud quiddam appeteretur amplius. Nũquã enim quieſcit appetitus, quàm diu eorũ aliquid deſit, quæ addi poſſunt. Aut igitur nullum eſt ſummum bonum, aut eſt hoc neceſſariò, cui ultima cõtigerit perfectio. Inſuper ens uerum & bonum ſecundum ſubiecta quidem conuertuntur, at ratione differunt: Id enim ens dici putant, quod, quamcumq; demus differentiam entitatis, eam ſit quodãmodo aſſequutum. Verum autem id quod per entis formam, ueritatem, ratitudinemq; acquiſierit, quod ipſum tamen in uirtute & operatione nõnunquam eſt imperfectum; Sed poſt ens & uerum id quoque addatur oportet, quod uirtute & operatione perfectum eſt. Vltima ſuæ perfectionis forma ac ita continuo ſit ſummum; Quæ ipſa re ſit ut non abſurde ſummũ bonum eſſe uideatur; quod ultimi finis acceßione perfectum eſt. Id ut dilucidius pateat confirmemus exemplo. Eandem habet proportionem bonum & uerum ad ens, quam homo qui generare iam poteſt, & puer is cui nondum generandi facultas adſit, habet ad ſemen ex quo generatur. Vt hominis enim ſemen primò eſt in potentia tantum, ut ex eo generetur homo, neque ſub forma ſeminis adhuc eſt quicquam, quod operatione hominis formam habeat: Eodem modo entis ratio propter ſuam tranſcendentiam, communitatemq; nihil dicit definite. Dicit autem communem quandam rationem duntaxat, quæ ad definita, perfectaq; entia potentiam habet. Atqui ſicut homo ſimul ac è ſemine generatus, & ortus eſt, mollibus adhuc membris, & inſtrumentis corporeis nondum ſua quantitate perfectis, eſt tamen uerus homo. Habet enim quæque hominis principia interiora, ut animum intelligentiæ, rationiſq; capacem, habet corporis ſecundum naturam inſtrumenta, neque tamen perfectus eſt; quippe qui non poteſt omnia operari, quæ humanæ ſunt perfectionis; ut generare ſimilem ſui, nam ita quodque perfectum dicimus, ubi tale quicquam poßit efficere, cuiusmodi ipſum eſt. Eodem etiã modo id uerum eſt, quod iam ſit conſecutum entis ratitudinem & perfectionem ſubſtantialem atque ſpecificam. Quod ipſum tamen quoniam nondum ad uirtutem, perfectamq;, ac ſuã operationem peruenerit, neceſſe eſt his bonum addatur. Id enim ſecundum propriam rationem ita habet, ut homo perfecta ætate, ſi aut cum eiuſmodi puero, aut cum ſemine conferatur. Quare cum omnibus in rebus appareat, bonum eſſe ab ultima perfectione: Tum enim quodque bonum eſt, cũ ea optime poteſt abſoluere; quæ ſecundum ſuam ſunt naturam: cui ſit ambigendum, id eſſe ſummum bonum, quod ita ab ultimo ſuæ naturæ fine perfectum ſit; ut omnia pro abſolutißima ſuæ naturæ bonitate perficere poßit? Cæterum ſunt uerſuti nonnulli, callidiq; ſophiſtæ, qui argumententur, bonum ab ultima perfectione differre nihil, inquientes, quicquid eſt in eo quod ſit, bonum eſſe: cum ſint certe permulta, quæ licet ultimam ſuæ naturæ perfectionem conſecuta non fuerint, ea tamen eſſe bona nemo inficietur. Et Aurelius Auguſtinus ſumma eruditione ac ſapientia uir non ab re ait: In quantum ſumus boni ſumus. Ad ea facilis eſt

Ens, uerum, bonum quo modo eadẽ.

Proportio, ſeu analogia boni, & ueri ad ens.

Similitudo.

Bonum ab ultima perfectione.

Obiectio.

Solutio.

lis eſt ſolutio. Haud enim negauerim unum quodque bonum eſſe in eo quod eſt. Nam quod ſimplicem habet entitatem, id in ipſa inchoatione bonum habet. Entitas enim ſimplex in potentia eſt & in primis entis principijs. Quod ſi entitatis perfectionis ueritatem per formam conſequitur, habet bonitatem ad eſſentiam in ſpecie definitam. Sin autem entitatem per ſpeciem habet in ſpeciei forma, & ijs quæ ad formam perfectam conſequēter accedunt, tum bonitatem perfectam habet. Quælibet enim res in forma, & in ijs, quæ deinceps ad formā ipſam accedunt, perfecta & terminata eſt. Nam quæcunque natura perfecta ſunt, modo uirtus impedita non ſit, ſecundum proprium & generalem habitum operantur. Quæ uero conſequuntur ad formam, qualibet in ſpecie ſunt, & uirtus tum naturalis, tum propria & operatio non impedita. Qua quidem re fit, quidquid eſt in eo quod ſit, bonum eſſe. Tantum uerò bonitatis habet, quantum eſſentiæ. Itaque nihil eſt ex omni parte bonum, niſi quod ad ultimam ſui perfectionem peruenerit. Et quoniam quid eſſet per ſe bonum quærebatur, ante omnia intelligamus oportet per ſe, ut uel Ariſtoteli uidetur dupliciter dici. Eſt enim p ſe quod non eſt per accidens, & eſt per ſe, quod non eſt per aliud. Non igitur parum intereſt, utrum quod dicitur per ſe bonum ſit ne per ſubſtantiam & non per accidens, an ſit per ſe ipſum bonum & non per aliud. Enimuero inter omnia bona, unum quoddam bonum dandum eſt, à quo ipſo bona omnia tanquam à cauſa proficiſcantur. Nam ſi ſecus fiat, néque omnis multitudo ad unitatem redigatur, nec etiam omnis multiplicitas ad uniuocationem, nec id rurſus, quod eſt per accidēs ad id redigi queat, quod per ſe ſit. Quæ quidem omnia philoſophiæ præceptis contraria ſunt. Eſto igitur quoddam per ſe bonum, quod & ſubſtantialiter & non per aliud bonum ſit. Præterea cui dubium eſſe debet in omnibus participātibus eam eſſe naturam, ut quiddam neceſſariò ſit, quod per ſeſe id habeat, quod participans per accidens habet, ſicuti in uiſus diſgregatione eſt ipſum uidere, quod homo albus per accidens habet, Neque id ſanè per accidens haberet, niſi quam participat albedo ipſa haberet per ſeſe. Cum bonus igitur uir habet boni operationem neceſſe eſt ut unum quiddā proponatur, quod eādem per ſeſe operationem habeat. Hoc autem illud eſt, quod dicimus per ſe bonum. Rurſus quicquid eſt bonum aliud, illud per quod hoc dicimus bonum eſſe, aut per ſe bonum eſt, aut per aliud. Quod ſi per aliud eſt bonum, infinita erit progreßio. Sin per ſe dixerimus eſſe bonum, tum aliquid eſt per ſe bonū, cuius participatione quicquid participat bonum redditur. Vnum igitur per ſe bonum eſt, per quod omnia bona efficiuntur. Et hæc eſt illa Idea boni, cuius Plato quod ante oſtendimus, non tam inuentor fuit, quàm adamator & confirmator. Quam ego ſententiam non ſolum amplector ac ſequor, ſed ita facile ac libenter ſequor atque ueneror, ac ſi ex aliquo diuino ueritatis oraculo emanarit. Nec me mouēt Ariſtotelis captiones, qui ægrè & iniquè ferens ſibi prælatum ad docendum in Academia à cæteris condiſcipulis Xenocratem condiſcipulum item ſuum, non eſt ueritus, quo illis moleſtiorē ſe præſtaret, quum alias pleraſq; grauißimas, optimaſq; Platonis ſententias inuertere, atque deprauare; tum præcipue hanc de Idea, qua nec

Bonum per ſe.

Per ſe dicitur duplici modo.

Bonum per ſe eſt idem cum bono in Idea poſito de quo Plato.

Ariſt. lib. 1. Ethico. hæc tractat, Vide.

acutius quicquam, nec ſanctius, nec melius, uel dici potuit, uel excogitari. Quid enim affertur cõtra? Si ponatur (inquit) unũ quoddam bonum, quod omnia quæ bona ſunt participatiuè contineat, hoc ſit unum neceſſe eſt aut indiuiduo, aut ſpecie. Sed indiuiduo cum non ſit unum, ne ſpecie quidem unum eſſe poteſt. Non *enim bonorum omnium bonitates ſpecie unum ſunt. Nam equi bonitas, ut eſt bene currere, bene ſeſſorem uehere, & bene hoſtem expectare, eumq; terrere, quæ omnia Alexandri regis Bucephalum præſtare ſolitum legimus, non eadem, quæ bonis eſt bonitas, quæ leonis, quæ canis, quæ cuiuſquam huiuſmodi animalis quo ad ſpeciem. At ne genere quidem una eſt. Quotquot enim genera eorũ quæ ſunt argumentatur, tot ſingillatim reperiuntur bonitates diuerſæ. Quare ſi neque in diuiduo, nec ſpecie, nec genere eſt unum bonum, uidetur nullum eſſe primum bonum. Verum ad iſtiuſmodi Ariſtotelis, Peripateticorumq; omnium argumenta, perfacilis eſt uel cum ipſo Ariſtotele reſponſio. Nam primum ad omnia ſequentia relationẽ habet. Et quo plus aliquid eſt, eo eſt relationibus multiplicius. Itaque dupliciter accipi primum poteſt, Proportione, & natura. Quod autem aut generis, aut ſpeciei, aut indiuidui natura nihil ſit per ſe bonum, à quo bona omnia dicantur, aſſentiẽdum puto. Sed eſſe proportione aliquid per ſe bonum, quod neque per accidens bonum ſit, nec per aliud; Ad quod quidem ipſum ſi reſpiciatur, per quandam ſimilitudinem habitudinum, bona omnia bona ſunt; quis tandẽ ſit, qui diſſentiat? Et eo bona hæc, uel meliora dici poſſunt, uel optima, quo ſunt illius boni Idealis ſimiliora. Eiuſmodi uerò bonum, eſt primum bonum, quod ſubſtantia perfecta, omnia perficit ſecundum proprias, & (ut ita dixerim) connaturales attributiones. Et id quidem ad propriam operationem, modo impedita nõ ſit. Ad illius enim proportionem, bonum quodlibet tum melius, tum optimum licet appellari. Nam hoc per ſe bonum eſſe dicimus, quod ita per ſe bonum ſit, nec per accidens eſt, nec per aliud. Quod non ſit per aliud bonum, id intelligi uolo, uel tanquam per cauſam, quæ eiuſmodi bonitatem efficiat, uel tanquam per ſuæ bonitatis formam. Hoc enim utroq; modo primum bonum eſſe per ſe bonum, & dicimus & uolumus: quoniam nec cauſam habet, quæ ſuam bonitatem efficiat; nec etiam ſpeciem ante ſe, quam participet: cum illud tamen ſit, tum omnis boni efficiens cauſa, tum ad eius bonitatis rationem, quæ et in ipſo eſt, et ipſum eſt, omne bonum proportione ſit bonum. Quod ipſum certè primum bonum ſecundũ Ideam ita primum eſſe cenſemus, ut ante id nihil aliud boni ſit. Et cum æquè in alijs omnibus bonum eſſe cõſtet, tum bonitatis cauſa in bonis omnibus. Nam primum quidquid eſſe in multis dixeris, quod nõ æquiuocè in illis ſit; id in uno primo quodam ponas oportet, quod ſit alijs omnibus bonitatis cauſa. Nõ enim æquiuocè eſt in multis, quod ſecundum proportionem ad unum ſit in omnibus. Nam ad unum æquiuocatio proportionem non habet. Proportio enim ad unum, eſt habitudinum ſimilitudo ad unum, quod diuerſa in ſpecie, & in una proportione participatur: quemadmodum eſt nauis ad gubernatorem, & regni ad regem gubernatio. Nam neq; eiſdem præceptis, nauis gubernationem gubernator ſolet, quibus regni gubernationem rex perſequitur; ni forſitan eadem Typhis, quæ Iaſon præ-*

Argumentũ Ariſtotelis.

Solutio argumenti.

Bonum per ſe quale ſit.

Quid ſit proportio.

ciperet,& quæ Aeneas,Palinurus.Nec idem ſpecie eſt,gubernatio nauis et regni, cum ſimilitudo tamen habitudinum una ſit in utráque ·

Concluſio.

Cum huiuſmodi ergò ſimilitudinem in omnibus unam eſſe uideamus,ut unum ſit primum bonum,ad cuius proportionem,& ſimilitudinem,cætera bona dicuntur bona,intelligere mihi uideor cum Platone eſſe unum primum bonum, quod ſubſtantialiter bonum eſt, & efficiens cauſa cuiúſque bonitatis. Cuius quidem boni forma,ſecundum proportionem ſeruatur in omnibus.

Aliud argumentum.

Ad hæc ſi omnis multiplicitas, ut Arithmetici docent,ad unum redigitur, quod primum eſt totius multiplicationis principiũ, cúmque magnam adeò bonorum multiplicitatem cognoſci liceat,ut ferè ad infinitatem tendat, id quod in omni & arte & ſcientia eſt uitandum,huiuſmodi ſcilicet infinitas contrahatur oportet. Qui autem contrahi quicquam poſſit,niſi ab uno proficiſcatur,redigaturq́; ad unum? Quod eſt enim à pluribus, non contrahitur,ſed diffunditur potius. Quam obrem primum quoddã bonum detur eſt opus, à quo ſimilitudo ipſa ſubſtantialis boni,in bona omnia diffundatur.

Aliud argumentum.

Inſuper,omnis reſolutio in uno eſt poſita, ſiue poſterius reſoluatur in prius,ſiue compoſitũ in ſimplex, ſiue effectus in cauſam efficientem. Sed cum multa bona eſſe uideamus; quæ neque priora ſunt,nec ſimplicia,ſed compoſita; nec etiam cauſæ efficientes,ſed effecta; ea neceſſariò ſunt in unum reſoluenda ſecundum omne reſolutionis genus. Eſto igitur reſolutio in uno primo, quod indubitato bonorũ omnium primum eſt: At poſtremum,quod eſt in quouis ordine. uel primum eſt,uel à primo. Quo fit ut in eorum ordine quæ bona ſunt, aut quódque bonum primũ eſſe,aut à primo concedendum ſit. Et quum eorum quodq; bonum primum eſſe, aut à primo concedendum ſit, Et cum eorum quodq́; primum eſſe non poſſit,neceſſariò eſt à primo. Igitur unum quoddam primum ſtatuẽdum eſt, quod ſit aliorum omnium cauſa. Et id certè ſecundum Ideam eſſe ſi quis ignorat, is rationem omnem ignorare bonitatis mihi uidetur.

Solutio argumenti allati à Peripateticis.

Nec me ſanè fugit, quod à Peripateticis dici ſolet argutius. Primum,quod eſt conſequentium cauſa,ita eſſe in conſequentibus,ut de eorundem eſſe ratione putandum ſit. Nihil autem unum eſt,quod de ratione bonorum omnium,quæ numero, ſpecie,ac genere differunt, putari oporteat. Nam eorum, quæ genere differunt,nullo modo una ratio eſſe poteſt. Quod ſi ita eſt (ſicuti certè eſt) fit ut aliquid bonum eſſe nõ poſſit, quod aliorũ omnium cauſa ſit & ratio.

Reſponſio Stoicorum.

Cæterũ ad ea Stoici, qui nihilo ſunt quàm Peripatetici obtuſiores, ut ſolent omnia & acutè & diligenter; Primum dupliciter partiuntur,tum principij,tùm generis ratione. Sed quod eſſe dixerint ſecũdum generis rationem,id quidem,& de conſequẽtium omniũ ratione, & eorum eſſe cauſam dicant neceſſe eſt: Nam indè ſuæ eſſentiæ principium capiunt. At primum, quod eſt ſecundum principij rationẽ, nulla fit neceſsitate,ut de eius, uel eſſentia,uel ſubſtantia quicquam ſit. Vt punctum enim eſt lineæ principium, neque tamen quicquam eſt, nec de eſſentia, nec de ſubſtantia lineæ,quo ſubſtantia ſcilicet eſt ſubiectum,ſed eiuſmodi principium eſſe cõſtat, in quo ponatur lineæ inchoatio; quamuis huiuſmodi inchoatio,néque ad eſſentiam lineæ,nec ad ſubiectũ terminata ſit: Eodem etiam modo in alia quaque natura uſu uenit, ut principiũ

id ſit

id ſit, quod eſt id illius generis eſſentia: Hoc aũt uocamus genus. Ac rurſus principium ſit, quod ſimplex eſt formæ incohatio, & ea quidem neque ad eſſentiam, nec ad ſubiectum terminata, hoc uerò principium dicimus, non genus. Quare hoc modo qui poſuerit unũ principium eſſe bonorum, haud errarit. Et id quidem genus, neque in genus, nec in ſpeciem, cum bonorum aliquo queat incidere. Atq; ſub hoc huiuſmodi bono, cætera bona omnia continentur, communitate principij, nõ generis. Quod ipſum unum ac primum, & ſimplex, & ſeparatum, & ſua natura bonum, immenſum, ſempiternum, nulli mutabilitati, nulli motui, nulli actioni ſubiectũ, qui ſibi proponere, ſequiq; uoluerit, nõ ſolum bono medio, quod in triplici illa uirtute intelligentiæ, & rationis, morumq; ſitum eſt, ſed perfecto etiam bono, quod bonorum omnium eſt ſummum; ſe bonum, planeq; felicem, atq; beatum intelliget. Neque dubitabit quid ſibi ſit potius expetendum, honeſtúmne, an utile, uel nunquid magis uoluptatis ratio id efficiat. Nam præſtãtiſsimo illo, ineffabiliq; ſecundum Ideam bono, tum hæc omnia abſolutiſsimè continentur, tum quæcunque alia uel dici poſsint, uel excogitari. Id autem nuſquam eſt, ſi in mente diuina minus eſſe conceſſerimus. Eſt id (inquam) in diuina mente, diuinaq; ſapientia, & in ea quidem ſapientia, quæ non multiplicitate, ſed unitate dicenda ſapiẽtia eſt, cum ipſa tamen infinitos bonorum theſauros complectatur. Aliud autem bonum eſſe, quod alio bono dicatur bonum, aliud uerò quod ſeipſo bonum ſit, puto eſſe iam perſpicuũ omnibus. Et hoc profectò bonum ſolum eſt ſimplex, incõmutabile, proptereaq; & æternum & immortale, & ita ſummum ac perfectum; ut eo ſuperius nihil eſſe poſsit, nihil perfectius. Cætera enim bona omnia ſunt à DEO, ſed de DEO certè non ſunt. Nam ſi de DEO ea eſſe dixerimus, neceſſariò fateamur idem eſſe quod DEVM. Non enim quod à DEO factum eſt, idem eſſe quod DEVM, par eſt dicere. Itaque ſi ſolus DEVS, & incommutabile & ſemplex eſt bonum, quæcunque ab illo bona ſunt facta, quoniam ex nihilo facta eſſe conſtat, hoc eſt ex eo quod ante non eſſet ſiue chaos id, ſeu ſit alio appellandum nomine; mutabilia certè ſunt, & non ſimplicia. Facta enim ſunt, non genita. Nam quod de ſimplici bono genitum foret, id etiam foret ſimplex, idemq; omnino, quod illud eſt, de quo ſit genitum. Quare ſi totius quidem hominis bonum felicitatem eſſe uolumus; Hanc uerò aliud nihil eſſe quàm DEVM, At felicitatem aſſequi poſſe neminem, niſi quod per medium bonum fieri dicimus uirtutis ad eam iter, & eundi & perueniendi antè didicerit, Virtus certè omnis tenenda eſt, atq; exercenda quàm optimè.

Concluſio.

Deſcriptio boni illius primis & præſtantiſſimi.

Eſſe à Deo & de Deo differunt.

Felicitas ipſa eſt Deus in Morali diſciplina.

FINIS LIBRI PRIMI.

FRANCISCI PHILELPHI AD LAVRENTIVM MEDICEM DE MORALI DISCIPLINA.

LIBER SECVNDVS.

Contra hãc ſententiã diſputat Ariſtoteles lib. 3. Ethic.

SOLEO PERSAEPE cogitans ipſe mecum Laurenti Medices, illos mirari plurimum, qui non modo arbitrentur, ſed contendant etiam pertinacius, fruſtra quemquam doctrina ad uirtutem niti, qui talis natura non ſit; quaſi ita natura naſcantur boni, ut & magnos, et paruos, coloreq́; differentes homines uidemus. At ego certè ſentio longe aliter. Idq́; animaduerto non uſu uenire ſolum, ſed ratione quoq; poſſe cõtingere. Nemo eſt uſque adeò deprauato ingenio, qui minus ex ſeſe & bonum appetat, & laudari cupiat. Quod ſi ſecus in quopiam accidat; id per imprudentiam fit. Nam certò ſi noſſet non bonum id eſſe, ſed potius malum quod appetit, aſpernaretur illud ſané, ab eoq́; abhorreret. Quod ipſum ita habere, per incontinentem intelligi poteſt. Is enim quam diu cognoſcit malum eſſe quod cupit, ab eo certè tam diu ſe continet, quoad perturbatione ſuperiorem ſe geſſerit. At ea ubi deniq; ſuperatus fuerit, redditusq́; inferior, ac plane inſipiens; tum ueluti cæcus, atq; præceps proruit in flagitium. Nam ſi doctrina hic foret ita inſtitutus, ut à ueritate nuſquam diſcederet, perpetraret quicquam, cuius ſe poſtea reſipiſcentem pœniteret? Per imprudentiam, inquam, per imprudẽtiam mortales malum affectant, id bonum eſſe falsò iudicantes. Hi ſi à primis annis infantiæ ieciſſent, parentum diligentia, fundamenta uirtutis, eamq́; perpetua diſciplina perſequi uoluiſſent, num comparato iam bene, atq; honeſtè uiuendi habitu, eodemq́; pro ratione confirmato, tam facilè à recta uia declinaſſent? Quandoquidem intueri etiam liceat aues ipſas, fieri doctrina, alias ſermonis participes, alias domini iuſſis præſto eſſe, aut ad rapinam, aut ad inſidias, aut etiam ad ludum, ad aliaq́; permulta pro imperantis arbitrio. Quid enim loquar de quadrupedibus animalibus, quæ (mirabile dictu eſt) quàm multa reperiantur, quæ ita erudiuntur, ut humanum repreſentare uideantur ingenium? Nec tamen negauerim eſſe alium ad doctrinam capeſſendam, alio natura magis accommodatum: Cæterum ipſam doctrinam, laudem ſibi totam uẽdicare: ad quam ſi actio exercitatioq́; acceſſerit, uirtutem reddi alacriorem.

Probat homines p imprudentiam eſſe malos.

Haud enim de illorum mihi uirtute habetur oratio, qui diuino afflati ſpiritu, uiri boni ſanctiq́; habentur: quales fuiſſe legimus Prophetas omnes, & poſt Prophetas, Apoſtolos Chriſtianos. Nam quos νυμφολήπτους & θεολήπτους appellauit antiquitas, hoc eſt nympha Deoq́; correptos, nihil eſt quod meminerim. Huiuſmodi enim, & Tireſias, & Mopſos, & Amphiaraos, Calchantasq́;, & Sybillas, aliosq́;

Exceptio eorum qui afflantur ſpiritu.

las,alioſq; nonnullos numine afflatos priſci tradidere . Nos de humana uirtute loquimur, quæ hominum ſtudio,& induſtria,atq; diligentia comparatur. Hanc inquā per doctrinā maxime uēdicari dicimus,modo ab ipſa uſq; præcipiatur infantia.Nam ſi uernaculus ſermo infantibus nobis traditur,num etiam bonis moribus inſtitui nequeamus ? Ni forſitan duriores ſimus ingenio,quàm quem

Virtus humana p doctrinā paratur.

» Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter,
» Ire uiam quam monſtrat eques, Secundum Flaccum Horatium.

Quis enim ambigat, quibus primis fuerimus moribus educati,eos eſſe permanētiores,magiſq; diuturnos, et tranſmutatione difficilis? In quam quidem ſententiam non incongruenter idem Horatius ait,

» Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
» Teſta diu.

Verum quia nō omnibus contingit ea fortunæ, cœliue benignitas,ut rectè uiuēdi,præceptio ab ipſa uſq; tradatur infantia,ad omnem ætatem doctrina eſt perutilis,ac maxime neceſſaria, cum nihil profectò ſit quod eius ductu aſſequi non poſſimus. Præſertim cum per eam admoneamur, quid eligendum,agendumq; ſit per omnem uitæ uſum. Elige uitam optimam, Pythagorei præcipiunt, nam eam iucundam faciet conſuetudo. Quod ſi per electionem agimus, eligere uerò ſine ratione non datur,nec ratiocinari ſine doctrina ; quis negauerit per doctrinam præcipuè comparari uirtutem?Nam laus quæ debetur uirtuti,& præclari nominis fama, quanti ad honeſtas actiones momenti ſit,Themiſtocles ille Athenienſis oſtendit. Qui cum per omnem adoleſcentiam inter comeſſationes, & potus,nulli ueneręæ libidinis parcens uerſaretur ; tandem poſt Miltiadis de Medis ad Marathona uictoriam, ita ſe ſibi ab omni intemperantiæ genere uendicans,laudi ſtuduit, ut cunctis admirationi foret. Qui etiam interrogantibus cur tanta priſtinæ uitæ, morumq; mutatio facta eſſet, quoniam, reſpondebat, Miltiadis trophæum, neq; dormire me ſinit,nec otioſum eſſe,aut deſidem. Qua æmulatiōe uirtutis,et laudis,Themiſtocles uſus pro doctrina, quales res poſtea, quantaſq; geſſerit,& Græca,& Latina decātat hiſtoria. Nam utriuſq; Africani adoleſcentiam domi impudicam fuiſſe proditum eſt. At Africanus maior,eū deinde ſe geſſit per uniuerſam uitam,ut & grauiſſimus uir haberetur, & optimus. Et minor illius nepos,æque iuſtus,ac ſapiens,& fuit & iudicatus eſt. Sed his cum aliorum exempla non mediocriter profuerunt,ad pulcherrimas actiones,tum præcipue literatura,ac doctrina.Sed hæc hactenus. Iam ad inſtitutū noſtrum redeamus.Iecimus enim perinde atq; fundamenta moralis diſciplinæ proximo libro;qui quoniam ſatis creuiſſe mihi eſt uiſus,iam admoneor, ut ea ſuis ueluti parietibus muniamus ; quo humanæ felicitatis,quod ædificium cœpimus,ad ſummum uſque culmen abſoluamus.

Themiſtoclis exēplū, et dictum.

Exemplum Africani utriuſq;.

Epilogus ante dictorū.

QVID uirtus eſſet,quodq; per eā et boni redderemur, & clari,ante docuimus.Nūc uidetur quærendū eſſe,quid facere nos oporteat,ut tales ſimus, qui iure laudemur; & quam hæc mortalium uita felicitatem afferre poteſt aliquādo conſequamur. Sed omnium primum illud diſcutiendum occurrit;Vnáne ſit,an

Propoſitio dicendorū.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

An Virtus una ſit, an plures. plures uirtutes. Nam priſci philoſophi non idem omnes de uirtute ſenſere, cum neq; de nomine, neq; de diſtinctione conueniant. At nobis certum quoddam iter tenendum eſt, quò ad eum quem nobis finem proponimus, recta & non circũuaga, atq; incerta perueniamus uia, intelligamusq; & obſeruandum nobis quid ſit, & quid cauendum. Menedemi opinio. Menedemus Eretrienſis dixit unam duntaxat eſſe uirtutem, ſed quæ pluribus uteretur nominibus. Nam & temperantiam, & fortitudinem, & Iuſtitiam idem dici, quemadmodum & mortalem & hominem. Ariſtonis. Ariſto autem Chius ipſe quoque unam dixit eſſe uirtutem, quo ad ſubſtantiam, Sanitatemq; eam appellauit, ſed quo ad aliquid; & plures eas eſſe, & inter ſe differentes, nominibus ab obiectis acceptis. Qua ratione uirtutem quæ faciunda, & non faciũda conſiderat, prudentiam uocari. Quæ autem cupiditatem ornat, uoluptatesq; moderatur, atq; componit, huic temperantiæ nomen eſſe. Qua uerò in mercimonijs, rebusq; uterentur contrahendis, eam appellari iuſtitiam. Sicuti gladiolus, is quidem eſt unus, qui tamen aliàs ſeparat aliud. Et ignis quoque eadem qua eſt natura, circa diuerſas materias operatur. Zenonis. At Zeno Citteus idem quodammodo uidetur ſenſiſſe, qui ſcientiam prudentiæ nomine ſignificans, hanc in diſtribuendo Iuſtitiam, in diuidendo temperantiam, in tolerando fortitudinem eſſe definiuit. Chryſippi. Nam Chryſippus, qui ſecundum propriam qualitatem uirtutem conſtare exiſtimauit, inepte referſit philoſophiam permultis, abſurdiſq; nominibus. Is enim (ut ait Plato) Virtutum quoddam uelut examen excitauit, neque uſitatum, nec proprium, qui diceret, ſicuti à forti fortitudinem, & à manſueto manſuetudinem, & à iuſto iuſtitiam, & à gratioſo gratioſitatem, & à probo probitatem, & à magno magnitudinem, & à pulchro pulchritudinem, aliaſq; huiuſmodi dexteritates, comitatis, facilitatis, facetiæq; uirtutes eſſe uoluerit. Definitio uirtutis ſecũdum prædictos. Et hi quidem omnes, uirtutem communiter eſſe putauerunt, principatus animi diſpoſitionem quandam, atq; potentiam à ratione profectam, uel rationem potius ipſam indubitatam, firmam, ac ſtabilem. Iidem etiam arbitrantur paßiuam, irrationalemq; partem, nequaquam eſſe ulla animi differentia, à parte rationali ſeparatam; ſed eandem animi quoque partem, quem intellectum, & principatum uocant, uerti undique, & tranſire, & ita tum in affectionibus, tũ in habitus diſpoſitioniſue mutationibus, & uitium fieri, & uirtutem, nec habere irrationale quicquam in ſeſe. Quid ſenſerit de rationali, et irrationali. Irrationalem uerò dici partem, cum appetitus excreuerit, ualidiorq; redditus, & uictor cum fuerit; ad abſurdi quippiam præter rationis imperium efferatur. Affectionem enim eſſe uolunt, rationem improbam ac flagitioſam, quæ ex malo, errantiq; iudicio, uehementiam roburq; acceperit. Si hac illi ducti opinione, hominem totum conſiderare accuratius noluiſſent, nunquam abſurdè adeò tã multa locuti eſſent. Contra prædictos. Sed ignoraſſe uidentur mihi hominem quemq;, & duplicem eſſe, & compoſitum, quoniam animo ſimul conſtemus & corpore; Quam quidem illi compoſitionem, duplicitatemq; naturæ, quia in aperto eſſet, nõ difficulter intellexere. Verum quia ipſe in ſeſe animus eſt compoſitione, atque duplici dißimiliq; natura, conſiderare noluerunt, cum ignorare non debuiſſent partem eam, quæ ratione caret, perindè quaſi alterum corpus, neceßitate quadam ac na-

tura commixtam eſſe, atque coaptatam, cum ea animi parte, quæ rationem in ſe continet. Cuius quidem rei Pythagoras non ignarus (ut erat in omni artium, & diſciplinarum genere, ſcrutator & examinator acerrimus) idcirco mihi uidetur tantū ſtudij diſciplinæ muſicæ impertitus; ut quem, uel cupiditate nimia elatum animum, uel iræ feruoribus excandeſcentem, uel alia perturbatione irritatum, per Philoſophiæ doctrinam præceptaq́; nō ualeret, eum ui quadam, & ſuauitate muſica, tanquam demulſum atque delinitum, in quam uellet partem facillimè uerteret, & huiuſmodi ſuaſionis adiumento, eum pro arbitrio ſuo moderaretur. Idq́; ad omnem animi motū mirificè ualere iudicauit. Etenim cum tres matheſeos diſciplinæ, circa ueritatis inueſtigationem uerſentur, Arithmetica, Geometria, Aſtronomia; ſola muſica eſt, quæ non modo ueritatem ſpeculetur; ſed moralitatis etiam ſtudio ſit perutilis, & ad omnes animi affectiones, uel incitandas, uel ſedandas, maximè accommodata. Nam quis dubitet animi noſtri corporiſq́; ſtatum, eiſdem quodammodo proportionibus eſſe compoſitum, quibus modulationes harmonicas, coniungi, copulariq́; uidemus? Id quod ex infantibus licet comprehendi: Nam hi ut cantilenæ dulcedine delectantur; ita ſiquid aſperum, inſuaueq́; audiant, ilicò turbantur. Quare nobis liquidum eſſe debet, animi noſtri corporiſq́; compaginem, coaptatione coniungi muſica. Vt corporis enim habent affectiones; ita etiam ipſi pulſus, incitari cordis motibus demonſtrantur. Quod ipſum perhibent Democritum illum phyſicum acutiſſimum Hippocrati medico tradidiſſe, cum hic eſſet ab Abderitanis accerſitus, quo eum, quem inſanientes ipſi opinabantur inſanum, ſanandi gratia uiſeret. Itaq́; non ſolum in rebus lætis, ſed triſtibus quoque uſui eſt muſica. Hoc autem ita eſſe uidemus, & hoc tempore, & apud Priſcos uſurpatum. Nam & in Græcia, & in Sicilia, & in quibuſdam item Italiæ regionibus, luctus ipſos modulationibus proſequuntur, ut quodam cum cantico, deflendi ratio uideatur conſolationis gratia eſſe ſuſcepta. Et Papinius Statius idē quoq́; ipſe teſtatur in Archemori funere cū cecinit.

Coagmēta-tio irrationalis, cū rationali.

Quàm utilis Muſice ad inſtitutionem.

» Cornu graue mugit adunco
» Tibia: cui teneros ſuetum producere Manes.

M O V E N T V R (inquā) mortaliū animi cātu ac ſono, ſimilitudine quadā harmonica. Quā certè rem Pythagoras ipſe ſuis declarauit, & cōfirmauit exemplis. Nam cum noctu ſicuti conſueuerat, ſtellarum curſus inſpiceret, accepiſſetq́; adoleſcentem quendam Taurominotanum, ad Phrygij modulum incitatum, furētemq́; libidine, uelle ſui riualis ædes, quibus ſcortum clauſum didicerat, amburere; nec ullis amicorum adhortationibus, ab eo quod anhelabat facinore, abduci poſſe, mutari modulum iuſſit; & ita ſuccinente Spondeo, ad ſtatum mentis pacatiſſimæ reuocauit, ac ſui compotem reddidit. Idem Pythagoras, ubi uinolenti quidam adoleſcentes ſub tibiarū cantu inſtincti, ut fit, pudicæ mulieris fores effringerent, admonita tibicina Spondeum ut caneret, mox illorum omnem furentem petulantiam, tum modulorum tarditate, tum canentis grauitate, facilè temperauit, ad ſanitatemq́; redegit. Quid enim Timotheum Mileſiū meminero, qui Mineruæ (quem uocāt) uſus modulo, ut Alexander Macedonum rex inter cœnādum

Moueri animos hominum Cantu probat exēplis ductis à Pythagora.

Exemplum Timothei.

repente exiliens ad arma,tanquam afflatus raperetur,effecit, eundemq; rurſum per molliorem modulum ad conuiuas reuocauit? Nam de Terpandro Leſbio,& Arione Methymnæo nota res eſt,qui Leſbios,atque Ionas grauiſſimis affectos morbis,ſolo cantus præſidio liberarunt. Tyrtæus uerò ſimili diſciplinæ muſicæ ratione,Meſenios iam uictores Lacedæmoniorum iugo ſubiecit. Et Empedocles Agrigentinus adoleſcẽtem, qui ira percitus eius hoſpitem gladio aggrederetur, quo accuſante pater damnatus fuerat, ubi inflexiſſet canendi modulum, eum ab omni iræ impetu retraxit, tum mitem,atque placatum præſtitit. Quid enim miremur Iſmeniam Thebanum,quod Boëtijs pluribus,qui Iſchiatici doloris cruciarentur aculeis, moleſtias cunctas beneficio modulorum eripuerit, cum Prophetarum maximus ille Dauid,inſaniẽtem Saulem immanitatis afflatu,ad ſaniorem mentem ſuauiſſima quadam citharæ harmonia,ſedatum, trãquillumq; redigeret? Atqui Theophraſtus etiam refert,ſcitam atque aptam modulationem tibiarum,uiperarum mederi morſibus. Docet inſuper Democritus accommodatas tibiarum intentiones,moribus etiam hominum prodeſſe plurimũ;ob eam affinitatem, quæ eſt corporibus mentibuſq; humanis. Quò fit ut æquè animi, atq; corporis uitijs muſica medeatur. Et haud miramur Platonem,qui uoluerit mũdi animam cõuenientia muſica eſſe coniunctam:haud Ariſtoxenum Ariſtotelis auditorem,qui animam ſenſitiuam,corporis harmoniam eſſe definierit, ſequutus is forſitan Platonem,qui dixiſſet ita animum eſſe uas,& receptaculum mentis humanæ, ut ipſius animi corpus; cum intelligamus tantam in muſica uim ineſſe, ut ſine ipſa nihil uideatur in mũdo poſſe conſtare. Nõ igitur ab re ueteres Græcos illos audimus,maximè omnium muſicæ ſtudium adamaſſe;quoniam arbitrarentur iuuenũ animos,fingi,componiq; oportere muſica ratione ad decorum. Et cum alijs omnibus in rebus perutilis eſt muſica bene morata; tum præcipuè ad rationem bellicam. Itáque Lacedæmonij in periculis ineundis Caſtorio ad tibias utebantur; alij ad lyram collatis ſignis, congrediebantur cum hoſtibus. Id quod à Cretenſibus obſeruatum traditur diu, priuſquàm tuba ſunt uſi. Apud Argiuos quoq; tibia fuit in uſu. Apud Perſas autẽ cornu. At Romani tubam (cuius inuentorem Tyrrhenum acceperant) maximè omnium ſunt amplexi. Ex quo eſt illud Ennij.

Terpander. Tyrtæus. Empedocles. Iſmenias. Dauid. Theophraſti, & Democriti ſententia. Platonis, et Ariſtoxeni opinio. Veteres omnes multum tribuiſſe muſicæ.

,, At tuba terribili ſonitu taratantara dixit.

Noſtri uerò propè omnes huius tempeſtatis exercitus, non ſolum tubis utuntur & tibijs,cum manum conſerunt cum hoſtibus,ſed etiam tympanis,& omnis generis muſicis inſtrumentis,ad animos excitandos, alacrioreſq; reddendos,non hominibus modò,uerumetiam equis ipſis. Sed quid de re loquimur militari,cum & Pythagoram,et Archytam,& Platonem,cæteroſq; priſcos præſtãtiſſimoſq; philoſophos,in ea ſententia fuiſſe audiamus,ut affirmarent,& impetum eorum quæ ſunt & aſtrorum motum,neq; fieri neque conſtare ſine muſica ratione,atq; omnia ſecundum harmoniam à DEO,eſſe fabricata: Itáque mirari oportet neminem,ſi Socrates iam ſenex muſicæ uehementer adeò ſtuduit,cum noſſet tantam in ea ineſſe,& utilitatem,& dignitatem: Et Themiſtoclem minus doctum

Opinio ueterum philoſophorum de motu cæli harmonico.

eſſe

eſſe iudicatum,cum lyram in epulo , quæ circumferebatur, recuſaſſet: Et *Ateã quoque regem* Scytharum *non indoctum modo, ſed ineptum, ac plane barbarum ab omnibus exiſtimatum audimus; qui cæteris admirantibus* Iſmeniam, *optimũ,clariſsimúmque tibicinẽ,cum eius iuſſu, ita ut erat captiuus, tibiã pulcherrime ceciniſſet,iuratus eſt equeſtrẽ hinnitũ,ſibi auditu uideri lõge iucũdiorem. Nã eiuſdem diſciplinæ* Platonem (Homerum *philoſophorum quem uocãt) ſtudioſiſsimum extitiſſe tradunt, præſertim* Doricæ,*utpote quæ maxime conueniret uiris bellicoſis,& temperãtibus.*Lydium *enim,&* Phrygium *modulum iccirco non probaſſe,quoniam cum ſuæ* Reipub.*conſtitutione haud conſentirent.* Doricam *uerò muſicam propterea ſecutum;quia (ut inquit* Ariſtoxenus*)ad tuẽdam rempublicam probaſſet plurimũ.Præceptoribus uerò muſicæ diſciplinæ,eũdem uſum* Draconte Athenienſi,& Metello Agrigentino . Non *igitur imperite* Platonis *auditor* Ariſtoteles,*harmonia(inquit)cœleſtis eſt,quæ naturã habet diuinam,& pulchram,& angelicam.Ipſi & angelos uocamus eos,qui à priſcis,ut paulò ante dixeramus,appellati ſunt dæmones.Et ſi hoc nomẽ,conſuetudo ſacerdotalis durius fecit,fereq; immane; ſed nos recte loquendi morem,& ueritatem ſequimur,ineptitudinem omnem perindè,atque peſtiferum morbum aliquem fugientes.Cæterum de Muſica hæc ſatis, ad propoſitum reuertamur. Animum in tres diſtribuimus partes.In quarum prima conſtituimus mentem.Alias duas,iræ alteram eſſe uolumus, & cupiditatis alteram. Et mentem quidem nobiliſsimam, atque primariam uim animi eſſe iudicamus; ita nominatam uel quia immineat, uel quia maneat ſemper,nec ulli interitui ſit ſubiecta. Nam* μένειν *Græce manere ſignificat:Vel quia per eam omnia metiamur,iudicemusq;, Vel à* μήνη,*quod lunã ſignificat; ſicuti enim luna creſcendo decreſcendoq;, ac uariæ commutatione quadam uiciſsitudinis,in id ſe tandem,quod paulò ante fuit,mirabili atque tẽpeſtiua nouitate reſtituit:*Eodem *etiam modo mens ipſa,à qua tum intelligentia manat(hæc enim* διάνοια *eſt)tum ratio,nunc perindè ac uolitans, ab inferioribus ad ſuperiora tollitur, nunc deſcendit ad infima:modo ſe referens, ipſa ſibi à falſis uera diſtinguit, modo ab ea regenda,atque moderanda,quæ uel tẽpori,uel corpori ſunt tributa circumflectitur; cum æternis rationibus contemplandis tota intenditur.*Et *ut neminem fugiat,& ordo, & ſentẽtia totius huius noſtræ diſciplinæ,*Ego *mentem uoco,quæ* νοῦς *à* Græcis *dicitur.At hãc noſtræ huius tempeſtatis philoſophi nõnulli, qui & Græcas literas neſciunt, & Latinas ignorãt, intellectum nominant.* Eſt *autem mens,ea uis animi,quæ inſeparate atque indiuiſe,ut* Platonicis *placet,in ijs uerſatur intelligẽdis,quæ intelliguntur.Sed intellectus, & eadem quoque inlligentia tranſitio quædam eſt ex propoſitionibus in cõcluſiones,*Et *ea quidem ratiocinatione utens ad rem eam, quæ intelligitur cõprehendendam. At ratio ipſa quid ſit,non parua queſtio eſt. Vt enim quæ de hoc nomine ab ijs traduntur, qui* Grammatici *uocantur,breuitatis gratia prætereamus,ea breuiter perſtringamus quæ à philoſophis diſſeruntur.Sunt qui rationẽ, eam uim animi eſſe dicant, quæ cauſam facit in effectum diſcurrere. Alij uolunt rationem eſſe eam uim animi,quæ rerum corporearum naturam,formas,differẽtias propria*

Plato quod muſicæ genus probarit; & non probarit.

Ariſtotelis dictum.

Dæmones qui.

Hactenus ꝑ digreſsionẽ de muſica, nunc redit ad rem, & diſtribuit animum in ſuas partes.

Diuiſio animi triplex.

Mens quæ, qualis,et unde dicta.

διάνοια quæ.

Error noſtratiũ philoſophorũ, ut & in primis uerbis lib. 1. Poſt. ubi διανοητικὴν doctrinam uocant intellectiuã.

Quæſtio uaria de ratione.

tias,propria,& accidentia percipit,& ea quidem incorporea omnia;ſed nequaquam extra corpora,niſi ratione ſubſiſtētia, cum abſtrahat à corporibus, quæ in corporibus ſunt fundata. Non actione quidem illa; ſed ſpeculatione quadam. Natura enim corporis, qua corpus omne dicimus eſſe corpus,nullū ſanè corpus eſt. Sunt etiam qui rationem definiāt,eſſe animi aſpectum; quo per ſe ipſum quid ueri ſit,non per corpus intueatur. Et ipſam ueri cōtemplationem,rationem eſſe uolunt. Ad hæc ratio,quam alij à corporis ſenſibus inchoatam, alij à mentis intelligentia inuentam exiſtimant,tum animi ſenſus,tum caput, tum oculus dici ſolet; eandemq; ita habere ad mentem, ut aſpectum ad oculum oſtendunt. Nam intelligentiam,tanquam oculi uiſionem eſſe probant. Rurſusq;,& mentem,& rationē, & intelligentiam,eodem ſæpe nomine appellant.

De ratione Chriſtianorum ſententiā probat ac ſequitur.

Sed nos quid cæteri uoluerint, perindè ac ſuperuacanea prætereunda cenſentes, quid Chriſtiani,uerìq; philoſophi,& de ratione,et de intelligentia,ac mēte ſenſerint,cum breuiter exponemus, tum etiam ſequemur. Nam qui acutius de ratione, quam in mente humana ineſſe uolunt,& ſubtilius diſputant, quæcunque tandem uis animi ea ſit,huiuſmodi rationem arbitrantur dupliciter dici,atquè accipi oportere,tum ſuperiorem,tum inferiorem. Atquè illa quidem ſapientiæ eſt,qua æterna,& incommutabilia contemplamur. Inferior uerò ſcientiæ, qua in rerum temporalium, ac mutabilium actione uerſamur.

Scientia differt à ſapiētia.

Scientia enim,non parum differt à ſapientia,ut à contemplatione actio. Id quod etiam eruditiſsimus ille uir,ſanctiſsimusq; Apoſtolus Paulus non obſcurè oſtendit,cum ait; Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum.

Dictum Pauli.

Dictum Iob & eius declaratio.

Idem quoque manifeſto docet innocentiſsimus ille Iob,inquiens; Ecce pietas eſt ſapientia,abſtinere autem malis, ſcientia eſt. Qua certè diſtinctione liquidò declaratur,& ſapientiam eſſe contēplationis,& ſcientiam actionis. Pietas enim hoc loco ea eſt uirtus,qua DEVM colimus; quam Græci tum εὐσέβειαν, tum ſignificantius θεοσέβειαν nominant. Cum ijs in rebus,quæ & æternæ ſunt,et incommutabiles, nihil DEO ſit maius, nihil excellentius,nihil præſtantius,nihil melius; ad diuinum cultum contemplatio noſtra omnis referenda eſt. Hac enim una illuſtri,feliciq; uirtute,ac uia,non cognoſcimus ſolum,quod uerum ſincerumq; ſit, uerum etiā peruenimus ad ſplēdidiſsimam lucem illam diuinæ ueritatis. Eadem hac una denique uirtutum omnium principe,ac regina adiuti deductiq;, ubi abſterſerimus uniuerſas corporis ſordes,omniq; fuerimus loti,atquè mundati labe,nitidiq; redditi, tum omni uacui labore ac negotio;& uidemus DEVM intima mentis acie, & in DEO quàm ſuauiſsimè conquieſcimus. Hæc ſanè ea eſt animi uoluptas,qua aliud iucūdius nihil,nec dici poteſt, nec excogitari. Hoc eſt illud gaudium,quo felices omnes atq; beati ſumus.

Sciētia alio modo ſumpta quā ab Ariſt.

At ſcientia,quam non eorum quæ neceſsitate ſunt,ut Ariſtoteles probare nititur,ſed rerum temporalium eſſe oſtendimus. Nam & quæcúnque à nobis uitia perpetrantur, ſecundum tempus perpetrari dicimus; quorum euitatio ad æterna nos illa,diuinaq; bona dirigit. Et quidquid prudēter,iuſte,fortiter, tēperāter agimus, eius eſt diſciplinæ,qua tum euitamus turpia,tum honeſta expetimus. Et ſcientia quidem,quam definit Plato,eſſe animi exiſtimationem ratione

irroboratam

Definitio Sciētiæ per Platonem.

irroboratam, ac firmam, quoddam ueluti iter paratur humano generi eundi quidem; ſed non perueniendi ad ſummum, & exoptatum bonum, quod DEVS *eſt. Scientia enim, quæ in huius exercendæ temporalis uitæ præceptis eſt poſita, non autem in illius æterni, cœleſtiſq; doctrina, in eo maxime laboramus operamurq́; ut per animi, ab omni terreno cœno, ac ſordibus, mundationem defæcationemq́;,* DEVM *tandem aliquandò corām uideamus, fruamúrque præſentes.*

Scientia aliquando per ſapientia ſumitur.

Nec illud tamen præterire nos debet, ſolere quandoque ſcientiam uſurpari pro ſapientia. Cum idem enim Paulus ait; Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum, huiuſmodi ſcientiam atque cognitionem, non in agendo, ſed in contemplando uerſari manifeſtum eſt; quemadmodum eſt contra illuſtres quoſdam artifices, ut Praxitelē, Scopam, Phidiam, Apellem, Apollodorū, Parrhaſium, Euphranora, Polycletum: Eademq́; ratione egregios quoſdam, præclaroſq; poëtas, ut Homerum, Heſiodum, ut Virgiliū, cæteróſque huiuſmodi ſapiētes uocabat antiquitas. Quos tamē omnes in ijs uerſatos uidemus, quæ & temporis ſunt, et corporis.

Interior ratio.

Superior ratio.

Vt igitur ad rem ipſam, qua de ſermo habebatur, noſtra reditū faciat oratio: Inferior quidem ratio, ea eſt quæ ad haſce pertinet res ſciendas, quæ corporis, ac temporis mutabilitati, atq; lecto ſubiectæ ſunt; Superior uerò, quæ illa reſpicit, quæ interitum neſciunt, mutabilitatem omnem, & incōſtantiam aſpernātur, ſuntque diuina.

Rationis definitio.

Et ut expreſsius diffinitio noſtra omnis appareat; Ratio, ut definiatur à genere, eſt quædā mentis motio, quæ rei eius, quæ diſcitur, diſtinguēdæ & connectendæ uim habet. Rationis uerò inquiſitionem, nunc ratiocinationē appellamus, cū ea non minus in præſentia huic rationis inquiſitioni ſe miniſtrā præbet, quā argumēto illi, quod Græcè συλλογισμὸς dicitur. Aeque enim ratione inquirimus, ut ītelligimus intellectu. Nam et ratio, ut modo dicebatur, eſt mētis tanquam aſpectus quidam, & intellectus uiſio mentis eſt.

Circa multa ſimul nō poſſe uerſari intelligentiam.

Cæterum ne quis ſua fallatur opinione, ita uelim intelligentiæ uti munere, ut intelligamus multa ſimul ſciri poſſe; ſed circa multa ſimul, intelligentiam haud quiquam poſſe uerſari. Vt multa enim uerba loqui ſimul, non poſſumus, ita ne poſſumus quidem cū intellectu circa multa ſimul uerſari. Eſt enim intellectus, quaſi quædam animi oratio, qua ſecum ipſe loquitur. Quo fit ut quiſquis intelligentiæ utitur munere, neceſſe ſit, ut circa unū quoddam eo utatur.

Contra Quintilianum.

Quid enim aut Quintiliano acutiſſimo uiro, aut alteri cuiquam aſſentiar, qui contra nitatur oſtendere, exemplum ſumens à citharista; qui & cantu ſimul, & ſono tripudioq; utatur? Qui ſi pro comparatis iam pridem, firmatiſq; habitibus, difficile admodum illi ſit, ut directo atque intento ad cantus modulum numero, ac intellectu minus, & digitos, & pedes moueat, pro imperantis animi arbitrio, præſertim in tanta habituū cōuenientia, ac ſimilitudine, ut tres unus eſſe uideantur.

Menti ineſt intellectus.

Virtus intellectualis.

Virtus rationalis.

Sed ne in ijs, quæ per ſeſe patent, longiores ſimus quàm oportet, ad cætera quæ ſequuntur noſtra conferat ſe oratio. Etenim menti intellectum, quaſi uidendi aciem, & rationem, ueluti aſpectum tribuimus. Qua quidem animi diſtinctione, alia eſt uirtus intellectualis, qua ſpeculamur, ut ſapientia ac ſcientia, quæ ut loco ſuo docebitur, & actionis eſſe, & contemplationis poteſt; alia rationalis, qua in actione uerſamur, ut

calliditas

Virtus moralis.

calliditas, & prudentia; & alia item uirtus eſt morum, quos qualitates eſſe diximus alterius partis animi, quæ ratione caret, ut iuſtitia, fortitudo, temperantia, liberalitas, et cæteræ mediocritates huiuſmodi. Et ne quis forſitan ambigat, quid differentiæ eſſe putem, inter rationem, aut ſimplicem, aut duplicem, & intellectum: is (inquam) tranſitio quædam eſt, ex propoſitionibus in concluſiones, et ea quidem ratiocinatione utens ad id, quod intelligitur, comprehendendum. Per ea enim, quæ certiora ſunt, obſcuriora concludimus; et ita ratiocinando quæ intelligere uolumus deinceps cōprehēdimus. Quod quidē ipſum etſi ratio quoq; uidetur efficere, idem tamē intereſſe arbitror quodammodo inter intellectum, & rationem, quod inter æternitatem, & tempus. Verum differentiam omnem huiuſmodi haud efficit rationis, intellectusq; natura, ſed obiecta. Nam intellectus, & ratio, eadem ſunt uirtus, ſed officijs diſtinguuntur. Vt eadem enim uidendi uirtute, & album uidemus & nigrū; ſic eadem etiam ui mentis inferiora, ſuperioraq; cognoſcimus. Itaq; eaſdē uirtutes modo intellectuales, modo rationales dicimus. Nonnunquam etiam mentis nomine, rationem intellectumq; complectentes, appellamus eas mentales. Qua ipſe ductus ſententia, quam uocabam nuper rationē ſuperiorem, eandem quoque intelligentiæ nomine appellare, & poßim & ſoleā.

Quid differt ratio ab intellectu.

Vtrum idē ſit intellectus, & intelligentia.

Vtrum idem, intellectus, intelligentiaq; ſignificet, ſi quis forſitan quæſierit, ſanè idem prorſus; id quod maiores etiam noſtros omnes, quotquot Latinè & docte locuti ſunt, obſeruaſſe comperio. Quod ſi doctrinæ gratia, Chriſtianorumq; more philoſophorum, ea quandoq; inuicem intereſſe quicquam uelimus; dicemus intellectum eam eſſe animi uim, quæ inuiſibilia percipiat, ut & bonos & malos angelos, ut animos, ut omnem denique creatum ſpiritū. Intelligētia uerò, ea fuerit animi, uis quæ continuò ſupponitur diuinæ eſſentiæ: Cernit enim nullo medio ſummum ipſum uerum, atque uero incommutabile, & æternum. Ita enim animus hominum, & ſenſu corpora, & imaginatione ſimilitudines corporum, & ratione corporū naturas pcipere dicitur; ſed intellectu creatū, at intelligētia increatum ſpiritum comprehendit. Et ut cætera miſſa faciam, quoniam de ratione nobis, & intellectu, atque intelligentia eſt quæſtio; ratio, cuius ſunt uiſibilium rationes, definitionesq;, & inueſtigationes rerum inuiſibilium, iuuatur interius: ſed intellectus, atque intelligentia, quorum eſt ſpiritalia diuináque comprehendere, atque contemplari, ſuperius iuuantur. Nam tum rationalis ſpiritus, quoniam ex dono creationis facultatem habet, & cognoſcendi ueri, & appetedi boni, niſi radio interioris lucis fuerit illuſtratus, caloréque ſuccenſus, ſapientiæ nunquam caritatisue affectum conſequetur. Tum D E V S omnipotens, qui & ignis, & lux eſſe dicitur, lucis ſplendorem quem in ſe retinet ex ſeſe immittens, intelligentiam ad ueritatis cognitionem illuminat. Ignis uerò de ſe calorem emittens, ſed non amittens, ad uirtutis amorem, uirtutem accendit, atque inflammat affectionem. Et quemadmodum ſol, ab oculo non uidetur niſi in ſolis lumine; ita uerum illud atque diuinum lumen, aliter quàm in ipſius ueritatis lumine uideri nunquam poterit. Qua quidem ratione propheta, inquit; Domine in lumine tuo uidebimus lumen. Et quia rationem eſſe formam uirtutis moralis eſſe diximus, conſentaneum eſt

Deus ignis, & lux.

Ratio eſt forma uirtutis moralis.

neum eſt intellectualem uirtutē, qua de poſtea diſſeremus, formam ſibi uendicare intelligētiam. Atque huic ſane ueritatem eſſe propoſitam, at illi honeſtatem; & ita aliam eſſe felicitatem actiuam, aliam cōtemplatiuam. Affectionem uerò eiuſmodi, exiſtimari materiam uirtutis moralis uolumus, ut intelligamus non ex ea conſtare uirtutem, ſed ut moderatricem, & mediocritatem quandam, uerſari circa affectionem. Cui enim minus ſit dilucidum uirtutem exiſtere poſſe (quod antea diximus) à materia ſeparatam? Et cum uirtus habitus quidam ſit, nō affectio, quam potentia antecedit, hæc tria ineſſe in animo humano ſciamus neceſſe eſſe: Et ſane uis, quam eandem potentiam uocant, principium quoddam eſt, ac materia affectionis, qualem iraſcibilitatē dicimus, & iraſcibilem. Affectio eſt, quæ ex ipſa ui oritur, commotio; ut ira, & iratus. At habitus eſt, ſecundum quem habemus aut benè, aut malè. Vt circa iram malè habemus; ſi aut nimis iraſcimur, aut parum. Nam in ipſius iræ exceſſu, iracundiam ponimus & iracundum. In defectu autem, ſegnitiem & ſegnem. Et quod de ira diximus, idem de cæteris affectionibus tenendum eſt. Vt enim bene iraſci, & manſuetum eſſe, medium tenet inter iracundiam & ſegnitiem: ita bene metuere, & fortem eſſe, mediocritatem inter timiditatem audaciámque tuetur. Eadémque ratio eſt ſigillatim de alijs omnibus affectionibus, in quibus ab exceſſu eſt ſemper defectúque cauendum, atque ſeruandum medium. Rectum ergo habitum, quem uirtutem eſſe definiuimus, circa huiuſmodi affectionem mediocritatis collocauimus. Niſi enim & boni ſumus, & laudamur: Nam per extrema tū uitijs obnoxij reddimur, tum uituperamur. Nec item fugere nos debet, eſſe affectiones quaſdā adeò natura deprauatas, et improbas, ut in ijs nulla ſit mediocritas, quæ flagitio uacet, ut maliuolētiam, inuidiam, imprudentiam. Nulla enim nec diuina, nec humana lege iſtiuſmodi affectiones permittuntur. Eadémque ratio in actionibus eſt ſeruāda, cum nullæ ſint humanæ actiones, quæ affectionibus uacent. Quis enim non continuo abhorreat ab adulterio, à prædicatione, à latrocinio, à parricidio, à cōtumelia? Illud certè eſt exploratiſſimū, morum uirtutes omnes, ac uitia uerſari circa uoluptatum, atque ægritudinum exceſſus, ac defectus, et omnem affectionem, aut uoluptati eſſe, aut ægritudini. Quæ cum ita ſint, nō erit incongruum breuiter percurrere, & quid ſit affectio, & quot ſunt affectionum genera, & quæ horū ſpecies. Quod ab Ariſtotele philoſophorum omnium, ſententia mea, diligentiſſimo magna ex parte prætermiſſum miror. Sequemur autem hac in parte, cum alios quoſdam graues eruditiſſimóſque philoſophos, tum præcipuè Andronicum, uirum ex Peripatetica diſciplina, & acutum & accuratum. Eſt igitur affectio animi, commotio contra rationem: quæ ſine cogitationibus ac iudicio appetitui adhæret. Affectionum genera quatuor ſunt, ægritudo, metus, cupiditas, uoluptas. Aegritudo eſt animi cōtractio cōtra rationem: uel alio modo, Aegritudo eſt recens opinio præſentis mali, in quo cenſeant deijci animo, contrahiq; oportere. Opinio autem hoc loco non eſt ea exiſtimatio, quam dicit Plato à ratione proficiſci; ſed inconſiderata quædam præcepsq; aſſenſio. Metus eſt opinio impendentis grauiſſimi alicuius mali, quod euitandum eſſe uideatur. Voluptas eſt animi ela-

tio aduerſa

Alia felicitas actiua, alia contemplatiua.

Habitus, affectus, et potentia differunt.

In affectionibus etiam medium tenendum.

Quid affectio ſit, & quot ipſius genera.

tio aduerſa ratione, uel alio item modo, Voluptas, eſt opinio recẽs præſentis boni, in quo exiſtiment efferri animo oportere. Cupiditas, eſt appetitus contra rationem: Vel aliter, Cupiditas, eſt opinio impendentis boni, quod expectandum eſſe uideatur.

Diuiditur ægritudo in ſuas partes, quæ ſigillatim declarantur.

Aegritvdinis *uerò ſpecies numero ſunt ſex, ac uiginti: Miſericordia, Cõmiſeratio, Inuidia, Aemulatio, Obtrectatio, Indignatio, Cura, Solicitudo, Cõfuſio, Mœror, Moleſtia, dolor, Luctus, Squalor, Pœnitẽtia, Aerumna, Lamẽtatio, afflictatio, Infortunium, Angor, Singultus, Conturbatio, Ploratus, Planctus, Fletus, Deſperatio: Atque alia in huiuſmodi ſententiam. Et Miſericordia quidem, quæ Græce uocatur* ἔλεος, *eſt ægritudo ex alienis indignis malis. Commiſeratio, quã* οἶκτον *Græci uocant, eſt ægritudo ex alicuius miſeria, ſiue iure is, ſeu iniuria afficiatur. Hoc enim intereſt inter commiſerationem & miſericordiam; quod de illis eſt miſericordia, qui laborent aduerſis rebus iniuſtè, ut eſt de Sinone apud Virgilium:*

» *Quod te per ſuperos & flumina conſcia ueri,*
» *Per ſi qua eſt quæ reſtat adhuc mortalibus uſquam*
» *Intemerata fides, oro miſerere laborum*
» *Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.*

Et *huiuſmodi miſericordiæ ui commotus C. Iulius Cæſar, ut erat ingenio humaniſſimo, à lachrymis ſe continere non potuit, cum in caput Gn. Pompei oculos cõuertiſſet. At commiſeratio, eſt ægritudo de alicuius miſeria, uel iure laborantis, ut eſt apud Ambroſium,* » *In alieno peccato, quiſq; ſui miſeretur.*

Caeterum *hæc cõfundit uſus, ut alterũ ſæpe pro altero accipiatur. Inuidia, eſt ægritudo de alienis bonis, quæ inuidẽti nulli ſint detrimẽto. Aemulatio, eſt ægritudo, quod alij potiantur ijs bonis, quæ nobis eſſe uellemus: uel Aemulatio, eſt ægritudo, quod nos careamus ijs bonis, quibus abundare alios uideamus. Huiuſmodi uerò æmulationem Græci* ζῆλον *uocant. Eſt præterea alia æmulatio, quæ Græcè dicitur* ἅμιλλα, *ex quo æmulatio eſt deductum, quod imitationem ſignificat. Et qualis erit imitatio, talis erit, aut laus aut uituperatio noſtra. Hæc autem ita definitur: Aemulatio, eſt accenſa animi rationalis concalefactio ad bonum & ad malum cum exemplo. Hoc æmulationis genere uſus eſt Lucanus inquiens:*

» *Stimulos dedit æmula uirtus. Idem licet intelligi ex Horatio, cum ait:*
» *Pindarum quiſquis ſtudet æmulari*
» *Iule, cæratis ope Dædalea*
» *Nititur pennis, uitreo daturus*

Nomina Ponto.

Sed *obtrectatio, quæ à Græcis appellatur* ζηλοτυπία, *eſt ægritudo quod alijs quoq; eadẽ bona ſunt, quæ nos habemus. Indignatio, quæ* νέμεσις *Græce nominatur, eſt ægritudo de alicuius bonis, quibus ille indignus ſit, inſolenterq́; utatur. Huius exẽplum eſt apud Naſonem de Narciſſo, qui formæ bonitate efferretur*

tur immoderatè. Hinc illud eſt.

» *Aſſenſit precibus Rhamnuſia iuſtis*

NAM *indignatio dea, cognomento eſt Rhamnuſia appellata, ab Atticæ uico ubi colebatur, qui Rhamnus dicitur. Cura, eſt ægritudo cum cogitatione. Solicitudo, eſt ægritudo cum uehementi agitatione & animi & corporis. Confuſio, eſt ægritudo, quæ diſcernit potius, quàm propulſat malum. Mœror, eſt ægritudo ad flendum inflammata. Moleſtia, eſt ægritudo aggrauans. Dolor, eſt ægritudo inhærens & acuta. Luctus, eſt ægritudo ex obitu acerbo eius ſuſcepta, quem dilexerimus. Squalor, quem Græci ἄσιν nominant, eſt ægritudo cum & ueſtitus, & oris, & totius corporis ſordibus. Pœnitentia, eſt ægritudo de perpetratis peccatis. Aerumna, eſt ægritudo laborioſa. Lamentatio, eſt muliebris ægritudo cum eiulatu. Afflictatio, eſt ægritudo cum uexatione corporis. Infortunium, eſt ægritudo de malorum inquinatione ſuſcepta. Angor, eſt ægritudo adeò premẽs, ut uocem intercludat omnino. Singultus, eſt ægritudo uocem confundens. Conturbatio, eſt ægritudo conſilium omne cogitationemq; eripiens. Huiuſmodi conturbatione affectum Oileum oſtendit Sophocles, qui nuper Telamona de Aiacis filij conſolatus eſſet interitu; idem ubi de ſuo filio Aiace accepiſſet, præ nimia ægritudine, conſilium omne prudentiamq; amiſit. Itaq; de illius mutata mente hæc apud Sophoclem legimus:*

» *Nec uerò tanta præditus ſapientia*
» *Quiſquam eſt, ut aliorum ærumnam dictis alleuans,*
» *Non idem cum fortuna mutata impetum*
» *Conuertat; clade ſubita frangatur ſua,*
» *Vt illa ad alios dicta & præcepta excidant.*

PLORATVS, *eſt ægritudo cum lachrymarum effuſione. Planctus, eſt ægritudo cum uocis emiſſione, ac palmarum percuſſione. Fletus, eſt ægritudo, qua & uox emittitur, & lachrymæ effunduntur. Deſperatio, eſt ægritudo conſequendæ nunquam rei concupitæ. Et hæc ſatis de ægritudine; quam ita uetuſtas animi eſſe uoluit, ut ægrotationem corporis, quæ tamen uſus quandoque confundit.*

METVS *autem ſpecies ſunt quatuordecim, Pigritia, Verecundia, Terror, Timor, Pauor, Exanimatio, Stupefactio, Formido, Strepitus, Concertatio, Negligentia, Horror, Tumultuatio, Superſtitio. Et quæ his ſunt ſimilia. Pigritia, eſt metus futuræ actionis. Verecundia, eſt metus infamiæ, quem rubor conſequitur. Terror, eſt metus pœnæ, quem non modo pallor conſequitur, ſed etiam tremor artuum, & dentium ſtridor. Timor, eſt metus mali iam proximi. Pauor, eſt metus quidam muliebris, quo affectus qui fuerit, redditur mentis inops. Exanimatio, eſt metus, qui pauorem ſubſequitur & tanquam comitatur. Stupefactio, eſt metus ex imaginatione alicuius inuſitati mali ingentisq; ſuſcepta. Formido, eſt metus, quo fit ut deſtituatur officium ob imaginationem grauiſſimi alicuius impendentis mali. Strepitus, eſt metus inanis. Concertatio, eſt metus, quo quis opinatur ſe uictum iri: uel Concertatio, eſt metus quo res eas ſuſpicamur aduerſas* *Metus ſubdiuiditur in partes. 14.*

fore

ſore quas uehementer appetimus. Hanc autem Græci ἀγονίαν *uocant. Negligentia eſt metus, quo ea pigrè facimus, quæ perſpicuè cognoſcimus. Horror eſt metus rei, naturam hominis excèdentis. Tumultuatio eſt metus, cum clamore excutiens cogitata. Superſtitio eſt falſi numinis metus: Vel Superſtitio eſt inanis metus, ſuperuacaneæ uenerationis circa rem diuinam.*

Diuiditur uoluptas in partes v.

A T *uoluptatis ſpecies, ſunt quinque numero. Iucunditas, Demulſio, Delectatio, Maliuolentia, Iactatio. Iucunditas, quam Græci* ἀσμενισμὸν *uocant, eſt uoluptas, quæ de bonis inopinatis uiſu auditúue percipitur. Demulſio, quæ* κήλησις *Græcè dicitur, eſt uoluptas, quam aures aut ex oratione percipiunt, aut ex muſica, aut ex deceptione magica. Delectatio, eſt uoluptas, quæ ad omnem ſenſum deliniendum præſto eſt. Delectamur enim, & auditionis, & uiſionis, & odorationis, & guſtationis, & tactionis gratis uoluptatibus. Maleuolentia, quam Græci* χαιρεκακίαν *appellant, eſt uoluptas, quæ ſine ullo maliuoli commodo ex alterius rebus aduerſis prouenit. Iactatio, eſt uoluptas quæ perindè ac geſtiens inſolentius effertur.*

Cupiditas diuiditur in partes. 17.

C V P I D I T A T I S *ſpecies plures ſunt: ſed hæ ſeptem ac decem imprimis. Ira, Excandeſcentia, Amaritudo, Pertinacia, Ambitio, Mulieroſitas, Laſciuia, quæſtuoſitas, Amor, Odium, Deſideriũ, Diſcordia, Lis, Voluptuoſitas, Vinoſitas, Guloſitas, indigentia, ac cætera huiuſcemodi. Ira, eſt cupiditas ulciſcendi, cũ quis exiſtimat ſe iniuria læſum. Excandeſcentia, quæ Græce* θύμωσις *dicitur, eſt ea ira, quæ & oritur citò, & item citò deficit. Amaritudo, eſt ira, quæ confeſtim ſuſcitatur ac tumet. Pertinacia, eſt cupiditas uincendi aduerſa ratione. Ambitio, eſt immoderata honoris cupiditas. Mulieroſitas, eſt immoderata cupiditas concubitus muliebris. Laſciuia, quam Græci* λαγνείαν *uocant, eſt uiri cupiditas, muliebria patiendi. Vnde apud Naſonem legitur.*

» *Quidq; tibi laſciue puer cum fortibus armis.*

D I C I T V R *autem laſciuus, à* λάσκειν, *quod eſt blandius loqui. Definitur etiam aliter, Laſciuia, eſt uehemẽs concubitus in patiendo cupiditas, in quam ſententiam eſt illud Virgilij.*

» *Malo me Galathea petit laſciua puella,*
» *Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante uideri.*

C AETERVM *& laſciuum animum dicimus, & laſciuum carmen. Quæſtuoſitas, eſt cupiditas cõſequendi quæſtus. Amor, eſt cupiditas amicitiæ. Odium, quod hoc loco* κότος *uocatur Græcè, eſt ira inueterata ulciſcendi tempus obſeruans. Vnde Calchas apud Homerum ait;*

» *Nam potior rex eſt, ira ſi quando minorem*
» *Appetit. Hic bilem quanquam tum continet, imis*
» *Pectoris aſt odium ſeruat penetralibus, olim*
» *Operiens tempus, culpam quo pœna ſequatur.*

D E S I D E R I V M, *eſt cupiditas amatæ rei abſentis. Diſcordia, eſt iræ acerbitas, intimo corde concepta nocendi gratia. Lis, eſt contentioſa cupiditas inferendæ iniuriæ. Voluptuoſitas, eſt immoderata uoluptatum cupiditas. Vinoſitas*

eſt inſatiabilis

eſt inſatiabilis bibēdi uini cupiditas. Guloſitas, eſt inexplebilis cupiditas eſculentorum. Indigentia, eſt inſatiabilis habendi cupiditas. Et *quoniam quæ eſſent affectiones, & quæ harum ſpecies numero definitioneq; explicauimus; illud eſt minimè obſcurum, duas affectiones uoluptatem & ægritudinem uerſari circa opinionem præſentis boni aut mali, & duas item cupiditatem & metum, circa opinionem futuri boni, aut item mali. Natura enim fit, ut ea quæ uidentur bona, omnes expetant, aſpernenturq; contraria. Quare ut obiecta ſpecie futuri alicuius boni ad id cupiditas inflammatur, ac rapitur temerè; Ita uoluptas illius præſentia, perindè atq; uoti compos, inſolenter effertur, adeoq; geſtit, ut continere ſe nequeat. Eadem ratio ægritudinis eſt & metus. Quæ mala enim putātur, ut metui ſunt dum expectantur; ita inſtantia animum cruciant ægritudine.* Hæc ex Cic. Tuſc. quæſt. iiij.

S E D *quemadmodum quatuor eſſe oſtendimus affectionis genera, quæ aduerſantur repugnantq; rationi, ita contra quatuor quoq; ſunt genera ſecuritatis, quæ à Græcis uocatur* ἀπάθεια. *Securitas uerò, eſt naturalis quædam animi, ac tranquilla pro ratione commotio. Quapropter ſi animo ſedato & grauiter, quod uerò cēſemus bonum, expectamus futurum, uoluntas dicitur; id dum adeſt, fruimurq; præſenti, gaudium appellatur.* Identidem *quoq; de ægritudine eſt contra metuq; tenendum, ut quod rectè iudicamus malum eſſe, circa id ubi impendeat, cautione ſit opus. Sin forſitan inſtet ea utamur, quàm Græci appellant* εὐπείθειαν, *nos grauitatem potius dixerimus, quàm obedientiam.* Non *enim cū Stoicis arbitror ſentiendum, qui puteut ægritudinem omnem uſqueadeò naturæ, conſtantiæ, grauitatiq; aduerſari, ut nullus rectus habitus queat excogitari. Itáque malim* Peripateticos *hac in re ſequi, qui contrarias affectiones, contrarijs quoq;, ſuisq; rationibus proſequuntur. Quam enim maiorem uim habeat ægritudo quàm uoluptas, cū uideamus multo plures ſubita lætitia, quàm ſubita ægritudine periſſe? Dabunt mihi uix unum, animi dolore uulneratum interiſſe;* Homerum *illum* Poëtam, *aliàs ſapientiſsimum, ſed tum certè minimè prudentē, qui cum in inſula* Io *in piſcatores quoſdam Arcadas ſedentes ad Solem, è ueſtimentiſque pedes diſquirentes incidiſſet, eoſq; rogaſſet; haberēt ne quidquam, reſpondiſſentq; uerſutius homines ruſtici & inepti, ſe quæ ceperunt non habere, quæ autem non ceperunt ſecum ferre. Ad quod quidem ænigma interpretandum cum eſſet* Homerus *intentior; tum ij cæpere poëtam nobiliſsimum, tanquam imperitum atque rudem irridere. Quod ille animaduertens, reque tandē intellecta, quod de pedibus illi fuerant cauillati, nam quos pedes cepiſſent interemerant; quos uerò minus cepiſſent, eos ferebant in ueſtibus; tāta ui ægritudinis eſt affectus, ut animam efflaret.* Id *quod tamen minimè concedit antiquiſsimus pater ille hiſtoriarum* Herodotus; *qui affirmat Homerum ægrotatione quadam corporis, præ nimia ſenectute iam mollioris, cum in humidiore cōſediſſet obdormiſſetq; litore, diem obiiſſe. At ſi & Græcam recenſere, & latinam uelimus hiſtoriam, reperiemus innumerabiles ferè, qui præ nimia animi uoluptate uitam deſeruere. Sed nos paucis contenti ſimus exemplis.* Philomenes *poëta, cum uideret paratas ſibi ficus, & eas in conſpectu poſitas ab aſello abſumi; iuſſit puero inde aſellum*

Quatuor ge nera ἀπαθείας.

Contra Stoicos.

Sequitur Peripateticos.

Maior uis ad perimendos homines habet ſubita lætitia, quā dolor.

Exemplum ab Homeri perſona.

Exempla eorũ, qui mortui ſunt præ nimia lætitia.

ut abigeret, idq́; ille tardius cum obiſſet, dixiſſetq́; ſuperueniens ficus omnes comeſtas eſſe. Da igitur Philomenes facetè ſubdidit, in tua tanta tarditate merum aſſello. Ad quod urbanitatis dictum exhilaratus & effuſius ridens, in eiuſmodi lætitia uitam amiſit. Sophocles Athenienſis Sophili filius; qui propter oris ſuauitatem eſt apis appellatus, cum natus iam ætatis annum ſeptuageſimum aduerſantibus Theſpi, ac Chœrilo poëtis, iniſſet certamen de Tragœdijs octo, quas intra dies quatuor paulò ante obitum recitaſſet; eſſetq́; de euentu ſolicitus admodum; declaratus ad poſtremum una ſententia ſuperior in cauſa; Lætitia tanta elatus eſt, ut repentè è uiuis exceſſerit? Quid enim duas illas mulieres meminere? quarum altera ad nuntium eius cladis, qua ad Thraſymenum lacum Annibal Romanas opes non mediocriter afflixerat; cum redeunti filio ad portam obuiã facta eſt, in eius complexu, quem interiſſe acceperat, præ lætitiæ magnitudine extincta eſt; Altera uerò, quæ ad falſum interempti filij nuntium mœſta domi ſe contineret, cum primum redeuntem eſt illum conſpicata; eadem ſubita percuſſa lætitia animam emiſit. Deſinant ergò Stoici affirmare omnem ægritudinem eſſe contra naturam, cum aliqua dari poßit etiam moderata & conceſſa; qualis eſt ea, quam hoc loco grauitatem diximus appellari. Eſt autem huiuſmodi grauitas is habitus, quo quis rationis ſuaſionibus parens, oculorum pupillas deorſum uertit; id quod certe in rebus triſtibus, tolerabilibus tamen, grauitatem quãdam et conſtantiam repræſentat. Poſſem afferre pleraq́; exempla maximorum illuſtriumq́; uirorum; qui in luctuoſißimo filiorum obitu hac ſunt uſi grauitate. Quales fuiſſe perhibentur & Socratieus Zenophon, & Pericles Athenienſis, & Anaxagoras Claſomenius, et Q. Martius rex. Sed nos unum Paulum Aemylium in medium protuliſſe cõtenti ſimus. Is enim, cum ex quatuor liberis, quos habebat, duos in alienas familias per adoptionem gratificatus tranſtuliſſet; qui duo reliqui domi erant, eos morte amiſit; alterum quatuordecim natum annos, quinto ante triumphum die; alterum quinto item die poſt triumphum, qui agebat ætatis annum duodecimũ. Ob cuius quidem acerbißimi luctus magnitudinem, cum populus Romanus procedenti Paulo Aemylio obuiam factus eſſet & condolendi & conſolandi gratia; Is ut erat uir grauißimus, rationem ſequens, illiq́; obediens; Nunc (inquit) Patriæ ſum metu atq́; periculo liberatus, quandoquidem ſecundarum rerum mearum inuidiam, quam in familiã meam fortuna euomuit, pro omnibus tulerim. Quis enim ambigat doluiſſe Paulum? Nam ſi ſecus feciſſet, & inhumanus fuiſſet & fatuus. Sed doluit quantum debuit, atq́; mediocriter, ob idqué iure laudatur. Huic uerò moderatæ affectioni aliæ nullæ dantur ſpecies; ſed ſuas quaſdam cæteris Peripatetici eſſe uolunt. Nã uoluntatis ſpecies ſunt tres; Beniuolentia, Clementia, Iucunditas. Beniuolentia, eſt qua bona alteri eſſe uolumus huius ipſius gratia. Clementia, eſt beniuolentia permanens. Iucunditas, eſt dilectio indiſſolubilis. Non enim refert, ſi idem quãdoque uerbum rebus pluribus ſubſeruiat.

Non omnem ægritudinẽ eſſe contra naturam.

Grauitas qualis.

Voluntatis ſpecies tres.

Gaudij diuiſio.

GAVDII *ſpecies ſunt tres. Delectatio, Lætitia, Solatium. Delectatio, eſt gaudium decens, quod ex alterius emolumentis ſuſcipitur. Lætitia, eſt gaudium*

de frugi

de frugi uiri operibus. Solatium, eſt gaudium de rerum omnium inquiſitione & diſciplina.

CAVTIONIS *ſpecies ſunt duæ; Verecundia & Religio. Verecundia, eſt cautio rectæ rationis. Religio, eſt peccatorum cautio erga* DEVM.

Cautionis diuiſio.

CAETERVM *poſteaquàm & de ui, & de affectione, & habitu ſatis multa locuti ſumus, conſequens uidetur, ut quæ ſint, quotq; uirtutes, et quæ uirtutum extrema generatim perſtringamus; quo particulatim de iiſdem poſtea, et diligentius diſſeramus, & latius. Animum in tres partes diuiſimus, quarum una eſſet rationis; quæ cum inferior & ſuperior ſit, hanc, quæ tota eſt intellectus, poſt morum uirtutes tractabimus. Partes aliæ ſunt duæ, altera iræ, & cupiditatis altera. Nam ad has partes uirtutes quoq; referendæ ſunt, ſed ſingulæ ut par eſt. Et partis quidem rationalis eſt prudentia, quæ ita eſt media inter intellectuales moralesq; uirtutes, ut & ſapientiæ ipſa pareat, & morum uirtutes ita gubernet, atq; moderetur, ut ſine earum comitatu ſola eſſe non poſſit. Iraſcibilis uerò partis uirtus eſt manſuetudo, fortitudoq;. Sed pars concupiſcibilis temperantiam ſibi, cõtinentiamq; uendicat. At animi totius uirtutes ſunt, Iuſtitia, Liberalitas, Magnanimitas. Eademq; ratione partis eius, quæ rationem in ſe continet, uitium eſt Inſipientia. Iraſcibilis uerò partis, Iracundia atq; Timiditas. Vt cõcupiſcibilis partis uitium dicimus, luxuriam atq; Incontinentiam. Nam Iniuſtitia, Auaritia, Puſillanimitas, totius animi ſunt uitia. Et Prudentia quidẽ, eſt uirtus qua parantur ea, quæ ad felicitatem ſpectant. Priuatim enim & publicè ſola eſt felicitas bonorum omnium ſummum; quod quis adeptus cum fuerit, animo læto tranquilloq; quieſcit. Manſuetudo, eſt uirtus partis Iraſcibilis, qua difficulter commouemur, cum ad iram, tum etiam ad pœnam. Eiuſdem quoq; animi partis fortitudo, eſt uirtus, qua ne metu quidem mortis perterremur. Temperãtia, ea eſt uirtus partis concupiſcibilis, qua flagitioſas uoluptates aſpernamur, ab illiſq; abhorremus. Cuius etiam partis eam continentiã eſſe uolumus, qua per cogitationem compeſcimus cupiditatis impetum, ab impuris & improbis uoluptatibus. Quis enim ignorat eſſe nonnullas uoluptates, & laude dignas, & expetendas imprimis? Sed de his poſtea & accuratè & grauiter. At Iuſtitia, eſt animi uirtus, quæ res cuiq; pro dignitate diſtribuit. Liberalitas, eſt uirtus animi circa magnificos ſumptus in res honeſtas. Magnanimitas, eſt animi uirtus, qua æquanimiter ferimus cum ſecundam aduerſamq; fortunam, tum etiam honorem & ignominiam. Inſipientia, eſt partis rationalis uitium quod ea parat, quæ ad miſeriam pertinent. Iracundia, eſt partis iraſcibilis uitium, quo procliues ad iram ſumus. Timiditas, partis eiuſdem uitium eſt, quo præ metu expaueſcimus, et præcipuè mortis metu. Luxuria, eſt partis concupiſcibilis uitium, quo procliues redduntur homines, ad expetendas improbas uoluptates. Incontinentia, eſt eiuſdem partis concupiſcibilis uitium, quo temerè obuiam ruunt flagitioſis uoluptatibus. Iniuſtitia, eſt animi uitium, quo ſuperiores eſſe uolunt præter dignitatem. Auaritia, eſt animi uitium quo undique lucrum quærimus. Puſillanimitas, eſt animi uitium, quo ferre non poſſumus, cum neque ſecundas res, nec*

Hactenus de affectione, & habitu, Nunc quæ ſint uirtutes & quot quærit, itidem et uitia.

aduerſas ; tum etiam nec honorem , nec ignominiam . Et hæc de uirtutibus uitijſqué moralibus, quæ generatim percurrénda fuerant , ſe nobis pro tempore obtulerunt. Reliqua enim, quæ pro ſua quáque ſpecie diſcutienda ſunt , de alijſqué habitibus , qui ipſi quoque ſunt in laude , & ad felicitatem pertinent ; locis ſuis deinceps ut par fuerit exponentur .

FINIS LIBRI SECVNDI.

FRANCISCI PHILELPHI AD LAVRENTIVM MEDICEM DE MORALI DISCIPLINA.

LIBER TERTIVS.

ANaxagoras Clazomenius uir ex Ionica Philoſophia clariſsimus, quærēti cuidam, quare quis mallet natum ſe eſſe, quàm non eſſe; quo & cœlum, reſpondiſſe traditur, & mundi totius ordinem contemplaretur. Ex quibus quidem Anaxagoræ uerbis Laurenti Medices, nō obſcurè mihi uideor poſſe interpretari, ſtatuiſſe uirum illum ſapientiſsimum huius uitæ felicitatem in ueritatis cognitione. Nam cū tria ſunt uiuendi genera, pro tribus illis bonis quæ inſunt natura in noſtris animis, Sapientia, Virtute, Voluptate; qui acriore ſunt ſplendidioreq́; ingenio; uitam contemplatiuam cæteris ante ponunt; qui rebus gerendis apti, ciuili delectantur uiuendi genere, uirtutem præferunt. At Sardanapali Aſsyrij, & Smyndiridis Sybaritani ſectatores, quos uideo eſſe permultos, ſe totos uoluptati dedunt; & ei quidem uoluptati, quam, ut eſt diſſoluti ſenſus deprauatiq́; appetitus, communem habemus cum pecudibus. Nam & qualis uoluptas ſit, & quotuplex, ſatis ex ijs uerbis poteſt animaduerti, quæ Ariſtoteles reliquit ſcripta in primo Moralium libro ad Nicomachum filium ita incipiens; Cum omnis ars & omnis ſciendi ratio, ſimiliter quoq́; tum actio, tum electio, bonum quoddam uideatur appetere; pulchrè illud bonum ſtatuerunt, quod omnia appetunt. Ec quod tandem eſt illud bonum quod omnia appetunt? animalia ſcilicet, & quæ rationem habent, & quæ carent ratione. Ita enim intelligi oportere, cum uel ex decimo eiuſdem codicis libro dilucidè oſtenditur, tum etiā apertius, ex his libris quos duos ſcripſit quibus Magnis moralibus nomen eſt; Nempe ſi id uoluptas non eſt, aliud eſſe nullum poteſt. Loquitur ſanè de bono rei animatæ Ariſtoteles: Quæ enim ſunt inanima, et ſenſu uacant, ea uoluptatem appetere qui poſsint? Sed hoc intereſt inter eorum animalium uoluptatem, quæ ratione carent, & noſtram; quod illa ducuntur ſenſu & impetu quodam duntaxat; nos autem ratione & intellectu. Quo fit ut ea referant omnia ad corporis uoluptatem; nos uerò hanc habeamus in laude pro recto animi iudicio. Nec me præterit, quo pacto interpretētur Ariſtotelis ſcripta noſtræ huius tempeſtatis philoſophi pleriq́; ferè omnes, uel ſi qui ſunt horum ſimiles; non quod Ariſtoteles ſenſerit, ſed quod ipſi probant, uoluntq́; pertinacius inculcantes. Nam quod ad uoluptatem attinet; quæ maior ulla, quæ ſuauior, quæ permanētior uoluptas afferri queat; quàm illa, quæ uel ex honeſtis actionibus, uel ex rerum cœleſtium atq́; diuinarum ſpeculatione percipitur? Quæ quidem mecum accuratius conſiderans,

Anaxagoræ dictum.

Vitæ contemplatiuæ præſtantia.

De uita uoluptuaria.

Locus declaratus, lib. 1. Ethic. & x.

Voluptas Brutorū & hominū differt.

Contra philoſophos recētiores.

derans,

derans,nõ poſſum illos non mirari ; qui ſui DEI*q; obliti, nihil maiore ſequũtur ſtudio,quam uel ſubdolas fortunæ blanditias, uel molliſſimas corporis illecebras, quandoquidem iſta omnia,& infirma ſunt,& caduca parumq; duratura. Quàm me delectat idem Anaxagoras, qui à quopiam rogatus ; quem feliciſſimum iudicaret,Eorum(inquit)neminem,quos tu putas.Sed abſurdus is quiſpiã tibi uideatur.* Exiſtimabat *enim ille fortaſſe nullo pacto fieri poſſe,ut quiſquam hac foret appellatione dignus,qui minus cæteros antecelleret, tum corporis magnitudine, forma,uiribus ; tum etiam opibus ; cum ipſe Anaxagoras,quantum intelligi poteſt,cuiuſdam ſcientiæ gratia humanam felicitatem metiretur. At Socrates uitæ huius,et hominum ſocietatis rationem habens,ad morum compoſitionem,ad decorum, ad Iuſtitiæ ſanctitatem omne ſuum ſtudium,diligentiamq; conuertit.Cum ijs bene actum arbitratus,qui ita uiuerent, ut omnibus benefacerent , atq; omni turpitudine abſtinerent . Sed Plato Socratis auditor,uir omnis diſciplinæ & artis ingenuæ doctiſſimè eruditus ; ita doctoris ſui de uitæ inſtitutione præcepta ſequutus eſt, ut quæ Pythagoras de rebus altiſſimis,& diuinis ſapientiſſimè ſenſerat,accuratiſſimè amplecteretur. Nos uerò in utriuſq; uitæ curriculo ita uerſari,exerceriq; inſtituimus ; ut & ueterum Philoſophorum inuenta ea lege admitteremus,quo ad à Chriſtiana Philoſophia, quæ una & uerum ſapit,& honeſtatem in primis ſeruat, nulla ex parte diſcrepent ; Et ſi quam poſſemus afferre acceſſionem,quæ utilior uideretur, haud eam negligeremus. Quare cum de morum uirtutibus , per ſua genera proximo libro locuti ſumus ; conſequens eſt,ut de ijſdem ſigillatim quæ reſtant perſequamur ; ſi prius docuerimus, quid ſit Vltroneum,quid inuitum.Nam uirtus,& uitia,& quæ ab ijs opera proficiſcuntur, non ob eas res laudantur uituperantúrue , quæ uel neceſſitate exiſtunt,uel fortuna,uel natura ; ſed ob eas potius actiones , quarum ipſi & auctores ſumus,& principes .*

Reſponſum Anaxagoræ de felicitate. — Socratis diſciplina. — Plato quos ſecutus in ſcribendo. — Authoris inſtitutum.

Laudatio ab ultroneis actionibus.

A T *ab initio diximus,uirtus & uitium,quæquè ab ijs opera proficiſcuntur, alia dantur laudi,alia uitio . Laudamur enim,uituperamurq;. non eorum cauſa, quæ aut neceſſitate,aut fortuna,naturáue exiſtunt, ſed quorum ipſi auctores ſumus.Nam quorumcumq; alius eſt in cauſa,is & uituperatur & laudatur . Itaq; dilucidum eſt,tam uirtutem,quam uitium,circa eas uerſari actiones,quarum nos ſumus & cauſa & principium . Atq; nemo eſt qui neget nos eorum eſſe auctores,quæ & ultrò agimus,& pro noſtra electione. Quæ enim inuitè agimus, eorum eſſe nos cauſa qui poſſimus , cũ nec ultroneum,nec electio anteceſſerit?Patet igitur,& uirtutem & uitium ex actionibus ſpontaneis,atq; ultroneis proficiſci.Quod cum ita ſit,non erit intempeſtiuum oſtendere,et quid Vltroneum eſſe intelligamus, & quid Inuitum,et quid item Electionem. His enim uitium uirtusq; definitur. Et primo quidem de Vltroneo diſſeramus . Nam ex his tribus ſit unum oportet, Appetitione, Electione,Cogitatione . Contra etiam unum quiddã ex his tribus erit inuitum . Quid autem ſit Vltroneum,primo definiamus,& id ſimpliciter quidem.Vltroneũ eſt ,quod agimus nõ coacti.Quod enim coacti agimus,id Inuitum dicendum eſt . Sed Appetitio diſtribuitur in tres partes,Voluntatem,*

Quid Vltroneũ,quid inuitum ſit, quid electio.

tatem, Iram, Cupiditatem. Et ut ab actione incipiamus, quæ eſt ſecundum cupiditatem; Quicquid eſt ſecundum cupiditatem, uidetur eſſe Vltroneum. Nam quidquid non ultrò agimus, patimúrue; id coacti facimus aut patimur. At inuitum omne eſt uiolentum, quod autem uiolentum ſit, idem quoq; triſte eſſe fateamur oportet. Nam quidquid eſt neceſſarium, id affert natura ægritudinem. In quam quidem ſententiã ait Euenus, poëta acutus & doctus; Neceſſaria res omnis, ſua natura ægritudini eſt. Quo fit ut & uiolentum ſit, quidquid eſt triſte, & triſte rurſus, quicquid eſt uiolentum. Hæc enim inuicem conuertuntur. Et cum ægritudo id ſequitur, quidquid præter cupiditatem agimus; uoluptas contra, quidquid agimus ſecundum cupiditatem ſequatur neceſſe eſt; præſertim quod cupiditas ſit è genere uoluptatis. Vt enim lætamur opinione præſentis alicuius boni; ita etiam ex ipſa expectatione boni concupiti lætitiam capimus. Quare uiolentum quidquid fuerit, erit etiam inuitum. Quod igitur eſt ſecundum cupiditatem, id hac ratione non inuitum ſed ultroneum uideatur.

Appetitio in tres partes diuiditur.

E T *rurſus alia quædam aduerſatur ratio, ea, quæ de incontinentia poteſt adduci. Flagitium omne iniuſtiores homines reddit. Sed Incontinentia eſt flagitium. At incontinens eſt, qui non cogitando agere poteſt ſecundum cupiditatem. Sed incontinenter agit, cum ſecundum eam operatur. At iniuriam facere, eſt ultroneum. Itaq; incontinens aget iniuſtè, quoad agit ſecundum cupiditatem. Vltrò igitur eum agere concedendum eſt. Etenim ſit abſurdum, ſi eos iuſtiores dixerimus, qui ſe incontinentes præſtant. Ex his igitur patet, id ultroneum eſſe, quod eſt ſecundum cupiditatem.*

Obiectio cũ ſolutione.

A D H A E C *ratio alia aduerſatur, qua probatur nõ eſſe ultroneum. Nam ea continens agit ultrò, quæ fiunt ſecundum continentiam. Quod ſi ſecus foret, nũquam laudaretur. Sed propter ultronea homines laudantur. Quod ſi illud ultroneum dicimus, quod eſt ſecundum cupiditatem; quis neget id eſſe inuitum, quod ſit præter cupiditatem? At continens agit præter cupiditatem. Quò fit, ut continens, non ultrò ſit continens. Sed ne id quidem, quod præter hoc ſit, quod ſecundum cupiditatem eſſe dicimus, uidetur eſſe ultroneum.*

Alia obiectio.

I N *Contrarium autem huiuſmodi affertur ratio. Quidquid ultrò quis agit, id agit uoluntariè. Sed quod uult, id ultrò uult. Nemo autem uult, quod malum eſſe putat, cum natura omnes, & appetant bonum, et aſpernentur malum. At incontinens non ea facit, quæ uult. Nam præter id agere propter cupiditatẽ, quod factu optimum eſſe putat; quid aliud eſt, quam incontinentem eſſe? In quam quidem ſententiam ita Phædra apud M. Senecam ad Hippolitum loquitur. Vos teſtor omnes cœlites, hoc quod uolo, me nolle. Itaq; ſimul accidit, eundem & ultrò agere, & inuitè: id quod fieri nullo pacto poteſt.*

Solutio.

P R A E T E R E A *continens iuſtè agit magis etiam quam incontinentia, nam continentia uirtus eſt; at uirtus iuſtiores facit. Vtitur autem continentia continens, cum agit ſecundum cogitationem præter cupiditatem. Quamobrem ſi iuſtè agere eſt ultroneum, ſicuti etiam agere iniuſtè, quoniam hæc duo uideantur eſſe ultronea, neceſſeq; ſit ubi alterum fuerit ultroneum, alterum quoq;*

Alia ratio.

ultroneum eſſe, idq; uideri ultroneum, quod eſt præter cupiditatem. Simul igitur idem quis agat & ultrò, & inuitè.

Alia ratio. EAEDEM quoq; rationes de ira afferri poſſunt. Incontinentia enim & continentia, nõ ſecus iræ uidẽtur eſſe, quàm cupiditates. Sed quod eſt præter irã, affert ægritudinem. Atq; eius correptio uiolenta eſt. Quare ſi uiolentum quod ſit, idem quoq; eſt inuitum, ſequitur id eſſe ultroneum, quidquid fuerit ſecundum iram. Itaq; Heracletus aduerſus cupiditatem ait, uel aduerſus iram pugnam conſerere, difficilius eſt. Et idem rurſus Heracletus, iræ uim impetumq; conſiderans: Difficile eſt, inquit, pugnare aduerſus iram, quippe quæ proſit animo. Intelligebat enim uir ſapientiſsimus haud facilè fieri, ut ſine moleſtia ira compeſcatur, quæ tum potiſsimum eſt uoluptati, cum ulciſcitur. Cuius rei Lucanus haud ignarus ait:

Heracleti ſententia.

Locus Luciani.

» Cæſar in arma furens nullas niſi ſanguine fuſo
» Gaudet habere uias.

SED id longè ſignificantius oſtendit Papinius Statius his uerſibus:

Locus Statij.

» Erigitur Tydeus, uultuq; occurrit, & amens
» Lætitiaq;, iraq;, ut ſingultantia uidit
» Ora, trahiq; oculos, ſeſeq; agnouit in illo;
» Effuſam cerebri ſaniem, nec morte peracta,
» Imperat abſciſſum porgi, leuaq; receptum
» Spectat atrox hoſtile caput, gliſcitq; repentè
» Lumina torua uidens, & adhuc dubitantia figi:
» Infelix contentus erat.

QVID enim meminero, quàm aptè, quàm propriè, quàm egregiè idem M. Seneca in Atrei perſona uim iræ, ac naturam uerſibus illis expreſſerit?

Locus Senecæ.

» Ignaue, iners, eneruis, & quod maximum
» Probrum tyranno rebus in ſummis reor,
» Inulte, poſt tot ſcelera, poſt fratris dolos:
» Fas omne ruptum, quæſtibus uanis agis
» Iras? at Argos fremere iam totum tuis
» Debebat armis, omnis & geminum mare
» Innare claſsis; iam tuis flammis agros
» Lucere & urbes decuit, ac ſtrictum undiq;
» Micare ferrum, tota ſub noſtro ſonet
» Argollica tellus equite; non ſyluæ tegant
» Hoſtem, nec altis montium ſtrictæ iugis
» Arces, relictis bellicum totus ſonet
» Populus Mycenis, quiſquis inuiſum caput
» Tegit ac tuetur; clade funeſta occidat.
» Hæc ipſa pollens inclita Pelopis domus
» Ruat uel in me, dummodo in fratrem ruat.
» Age anime fac, quod nulla poſteritas probet,

Sed

» *Sed nulla taceat, aliquod audendum eſt nephas*
» *Atrox, cruentum, tale quod frater meus*
» *Suum eſſe malit. Scelera non ulciſceris,*
» *Ni uincis.*

Tertia appetitionis pars, hoc eſt uoluntas diuiditur in ſuas partes.

RELIQVA *eſt tertia illa appetitionis ſpecies, quam eſſe uolũtatem propoſuimus. Hanc identidẽ tranſigamus. Nam ſi fieri non poteſt, ut idẽ ſimul, & ultrò agatur, & inuitè quod ſecundũ eandem rem fuerit; fit ſanè ut id magis Vltroneũ uideatur, quod eſt ſecundum uoluntatem, quàm quod ſit, uel ſecundum cupiditatem, uel ſecundum irã. Agimus enim ultrò permulta ſine ira & cupiditate. Itáque non fuerit abſurdum, Si diligentius nobiſcum conſideremus, an idem exiſtimari oporteat uoluntarium & Vltroneum. Incontinentes enim ea uolunt, quæ agunt, cum agũt ſcilicet. Agunt igitur mala uoluntariè, ſed ultrò nemo agit mala, ubi ea intelligat eſſe mala. At incontinentes, & agunt quæ mala ſunt, & mala eſſe nõ ignorantes; & agunt ea quidem uoluntariè. Cum ergò non agant ultrò; uoluntas ultronea eſſe qui poßit? Quæ ſanè ratio, & incontinentiam tollit, & incontinentem. Quod enim ultrò non agitur, id certè uituperandum non eſt. At incontinens uituperatur, ultro igitur agit, quare uoluntas ultronea ſit oportet. Itaq; de Vltroneo & expreßius eſt, & explicatius diſſerẽdum, quo nihil nobis aut obſcurum, aut ambiguum relinquatur.*

An idem ſit uoluntariũ, & ultroneum.

Quomodo ſe habet uis, & neceßitas ad ultroneũ, & inuitum.

Quare de Vi prius ac Neceßitate eſt conſiderandum; & quomodo hæc habent ad Vltroneum & Inuitum, nam rationes quædam contrariæ afferuntur; Etenim uim in rebus etiam inanimis eſſe dicimus, utpote qui ſingulis rebus inanimis, proprium quẽdam locum tribuamus, ut igni quidem eum locum, qui ſurſum eſt; terræ uerò, qui deorſum. Licet etiam uim equo afferre, ut ſi ſurſum in æditum montem aliquem currentem illum corripias auertasq; Et eodem modo lapidem ſurſum, & ignem deorſum, uiolenter coactéq; ferri dicimus. Quæ quidem ipſa cum ſua natura, & per ſeſe feruntur, & ſi non ui dicimus ferri, nec tamen ultrò ferri dicenda ſunt. Cæterum ea quæcunque eſt oppoſitio, caret nomine. Similiter quoq; in rebus inanimis, & in animalibus, uidemus ea ui multa & pati, & facere, quando præter proprium impetum à re ulla extrinſecus moueantur. At in rebus inanimis ſimplex eſt principium, in animatis uerò multiplex, cum appetitio & ratio, non ſemper inuicem conueniant. Itáq; in alijs animalibus uiolentum ſimplex eſt, quemadmodum in ijs, quæ carent anima, cum rationem, & appetitionem contrariam non habeant; quoniam uiuant pro appetitu. Sed in homine ambo inſunt, & in quadam ætate, cui actionem tribuimus. Nam neque puerum agere dicimus, nec beſtiam; Solos enim ex omnibus animantibus homines agere eos dicimus, qui & ſenſus ſunt, & mentis compotes. Ex quorum numero ſi quis mulieres exemerit, nil forſitan agat incongruum. Nam quotamquamq; reperiamus, quæ ſe perturbatione ſuperiorem uelit? usq; adeò ſunt natura omnes & inconſtanti, et uaria. Quod prudentißimus poëta Virgilius animaduertens non ineptè cecinit.

Pueri & beſtiæ æquiparantur.

Inuehitur in mulieres.

» *Varium & mutabile ſemper*
» *Femina.*

TVM

Quomodo cognoſcatur uiolenta actio.

Tvm (inquam) homines agere dicuntur, quandocunq; non ſine cogitatione agunt: Quo fit, ut omne uiolẽtum ægritudinem afferat. Quis enim ea re gaudet, quam non ſponte facit, ſed ui potius, & coacte? Quam ob rem circa continentẽ incontinentemq;, non mediocris accidere ſolet quæſtio; Cum uterq; per impetus ſibi aduerſos agat; Nam continentem ignoramus, cum ſe abſtrahit à iucundis cupiditatibus, ſine ui id facere poſſe? Dolet id certè, cũ ſe abſtrahit aduerſus repũgnantem appetitum, ad benè conſulentem rationem. Et incontinens ui quoq; ſe abſtrahit à grauitate cogitationis ad blandientem appetitum. Videtur autẽ incontinens, idcirco minus dolere, quàm continens; quoniam cupiditas quam ſequitur gaudens, ex genere eſt uoluptatis. Quapropter incontinens, potius agit ultrò incontinenter, & non ui, quoniam in ipſa actione non dolet. Sed perſuaſio, ui neceſſitatiq; aduerſatur. At continens ad ea agitur, ad quæ eſt à ratione perſuaſus, et proficiſcitur is quidem non ui, ſed potius ultrò. Cupiditas uerò nõ perſuadendo agit, utpote quæ rationis non eſt particeps. Et ex his quidem rationibus tam continens, quam incontinẽs uideri queant, & uiolenter, & inuitè ea facere, quæ faciunt. Veruntamen ſi quis etiam hoc addiderit, non difficulter ſoluatur quæſtio; quandocunq; enim extrinſecus quicquam præter impetum propriũ aut moueat, aut quieſcere faciat; tum ui agere eos dicimus; quando autem ſecus, haud dicimus ui agere; ſed in eo, qui aut continens ſit, aut incontinẽs, is impetus agit, qui in ipſo ineſt, quippe qui habeat utrumq;. Quò fit ut neuter ui, ſed propter hæc ultrò potius agat. Et eadem ratione ne coactè quidem: Nam quod extrinſecus eſt præter appetitionem principium, aut impediens, aut commouens neceſſitatem dicimus. Quemadmodum ſi quis dextram ceperit, quia quempiam præter eius uoluntatem uerberauerit, uel ſi quis eò contentius domum repetat, ne ſi ſerius eò peruenerit, igni cõcremata pereat. Sed quum intrinſecus eſt principium, non ui facere illos dicimus, quandoquidem in utròque, & uoluntas ineſt, & ægritudo. Qui enim ſe continet cùm triſtatur, dum præter cupiditatem id agit; tum etiam gaudet ob ſperatam uoluptatem, quam poſtea capiet; uel iam etiam capit, eiuſmodi morbo liberatus. Atq; incontinens, gaudet ille quidem per incontinentiam, quod cupiebat, conſequutus; Idemq; triſtatur ob ſperatam ægritudinem, quippe qui exiſtimet flagitioſè agere. Quare ſi quis dixerit, & continentem, & incontinentem ui agere, haud dicat abſurdè; cum & propter appetitionem, & propter cogitationem, uterq; aliquando agit inuitus. Nam cum & cogitatio, & appetitio ſint ſeparatæ, ambæ inuicem pugnant. Itaq; huiuſmodi conflictationem in totum animum transferunt, quod inter animi partes quicquam huiuſmodi uideant. Atq; in animi quidem partibus dici hoc poteſt; Totus uerò animus, & incontinentis, agit ſanè ultrò, quod agit; Vi autem eorum neutrum agere dicimus; ſed eorum quiddam, quæ ſunt in illis: quoniam natura quòque & rationem habemus, et appetitionem. Etenim ratio naturà imperat, quod ab ipſa generatiõis origine facit, modo corrupta nõ ſit. Inerit etiã cupiditas, quæ continuo ex generatione ſequitur, atq; ineſt. Duabus his rebus ferè, quod naturale eſt determinamus, & quæcunq; continuo ſequuntur omnes dum naſcimur; & quæcunq;

Solutio dubitationum circa continentem, & incontinentem.

Alius modus ſoluendi.

quæcunq; incipiente generatione, per ætatis progreſſum nobis fiunt; ut canities ac ſenectus, aliaq; huiuſmodi. Non igitur ſecundum naturam uterq; agit. Nam quamuis ſecundum naturam agat ſimpliciter uterq;; non tamen ſecundum eandem agit. Quæ igitur quæri, & dubitari ſolent, tam de continente, quam de incontinente, utrum ui agant, aut ambo, aut eorum alter; ut aut non ultrò, aut ui ſimul & inuiti; Quodq; ſi id ultroneum eſt, quod ui agit, ultronei ſimul & inuiti agunt; ex antedictis colligi poteſt, quibus ſit rationibus occurrendum.

DICVNTVR *præterea alio quodam modo, & ui agere, & coactè; ratione inuicem, appetitioneq; minimè diſcrepantibus, quandocunq; agant, quod & triſte, & malum eſſe arbitrantur. Sed ubi hoc minus agant, aut uerberibus, aut uinculis, aut etiam morte, alioue ſupplicio plectantur. His enim aiũt, ſe coactos, aut egiſſe quod egerint, aut contra non egiſſe. Sed hoc ipſum ultrò agunt omnes, cum liceat id non facere, ſi uelint illud ſupplicij genus tolerare. Qualem legimus M. Attilium Regulum extitiſſe, qui ne fidem falleret hoſti datam, omnes acerbiſſimos pertulit ad mortem usq; corporis cruciatus. Quid enim loquar de Laurentio martyre? qui ne Chriſtianæ fidei ſanctitatem abnegaret, uel torreri ſeſe æquo animo paſſus eſt, maluitq; ſupplicium per conſtantiam uincere, quàm ab eo molliter uinci? Verum ex his, alia quis dicat ſe ultrò agere, alia uerò neget. Cæterum quæcunq; talia in ſua ipſius poteſtate ſunt, ut uel agat, uel non agat, & agit tamen quæ non uult, ultrò is quidem agit.; Quæcunque uerò non ſunt in ſua ipſius poteſtate, non ultrò ea agit, ſed ui quodammodo; & id quidem nequaquam ſimpliciter, quoniam non hoc ipſum eligit quod agit; ſed cuius gratia, cum & in his quædam ſit differentia. Nam ſi dicat iccirco alium ab ſe interfectum, ne quid ipſe aduerſi pateretur; ridiculo ſanè habendus ſit, ubi pertinacius contendat id ui, coacteq; perpetraſſe; nam doceat oportet, & maius illud, & acerbius malum futurum fuiſſe, quod ſibi impendebat, ni eũm interfeciſſet. Hoc enim pacto coactus aget, nec tamen ui, aut etiam aget non natura, cum mali quippiam agat uel inuitus, boni maioris gratia, quo ipſe malo liberetur: Non enim hæc eſſe in ſua poteſtate. Qua ratione amorem nonnulli, inuitum eſſe contendunt, utpote cuius tantam uim eſſe putent, ut omnis in eum conatus ſit fruſtra; Id quod arbitratus Naſo non ueritus eſt dicere.*

Alia quæſtio de ijs qui uidẽtur ui agere.

Nota exempla.

An amor ſit ex inuitis.

Locus Ouidij.

» *Quidquid amor iuſsit, non eſt contendere tutum,*
» *Regnat, & in dominos ius habet ille Deos.*
» *Idemq; Virgilius ſenſiſſe ſatis declarat his uerbis.*
» *Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis? Cum non multò ante dixiſſet.*
» *Placidone etiam pugnabis Amori?*

ETENIM *fortaſſe nõ abſurdè omnino quidam inuitas exiſtimari uolũt, & cum iras quaſdam, tum ea omnia, quæ ſunt ſecundum naturam; quippe quæ ualidiſſima ſint, & ipſa natura ſuperiora: Quibus quidem ignoſcimus, quoniam ui naturæ, naturam ſuperent. Itaq; in his rebus magis quis uideatur ui, atq; inuitè agere, ne uehementer doleat, aut ut remiſſius doleat, & omnino ne doleat, uel ne lætetur.*

An ea, quæ fiunt p irã, & ſecundũ naturã ſint inuita.

ne lætetur. Nam quod in ſua ipſius ſit poteſtate, id quod redigitur, totum hoc eſſe dicimus, quod ipſius natura ferre poteſt: Quod uerò non poteſt ferre, neq; eſt illius ſecundum naturam, aut appetitionis, aut cogitationis; id in ſua ipſius poteſtate eſſe nõ dicimus. Quò fit, ut neq; afflatos diuino ſpiritu (quales Chriſtiani Apoſtoli extiterunt) nec Sybillas, nec Prophetas, et ſi intelligẽtiæ munere fungebantur, eos tamen in ſua ipſorum fuiſſe poteſtate non affirmamus. Non enim ipſi, ſed per eorum ora DEVS *loquebatur. Et itẽ idem* DEVS *omnipotens ea agebat omnia, quæ illi tam mirabiliter agere uidebantur. Ex his uerò nõ difficulter poteſt intelligi, quaſdam intelligentias, atq; affectiones, & quæ ex eis proficiſcuntur actiones, in noſtra poteſtate non eſſe, ſed ut* Philolaus Pythagoricus, *inquit, ſermones quidam ſunt nobis ipſis meliores. Nã ea omnia uerba, quæ à* Diuino *afflatis ſpiritu manabãt, & item actiones quæq; erant ſupra naturam hominis, indubitatoq; diuinæ. Sed quoniam de ultroneo, & inuito, et de ui quoq;, & neceßitate locuti ſumus; quodq; neq; appetitione, neq; electione ea determinari oſtendimus; reliquum eſt ea doceamus, quæ ſunt ſecundum intelligentiam, & cogitationem. Etenim uidemus non minus conſuetudine fieri, quam natura, et in omni conſultatione, deliberationéue, antequàm aut agendum quicquã, aut nõ agendum eligamus; intelligentia, atq; ratione etiã atq; etiã inquiramus, quid ſit optimum factu. Quam quidem ſententiam ſequutus* Virgilius *ut mihi uidetur,*

Afflati ſpiritu nõ ſunt in ſua poteſtate.

Hactenus de ultroneo, et inuito.

Locus Vergilij declaratus.

Tuus (inquit) ô Regina quid optes
Explorare labor, mihi iuſſa capeſſere fas eſt.

QVASI *dicere noluerit poëta prudentißimus,* O' *regina, inquirere quid eligas, quod eſt proprium rationis munus; tui laboris ſit; at meì, quæ iuſſeris, efficere. Agimus enim ſecundum electionem, ſed conſultando cogitandoq; eligimus. Itaq; ut de ipſa cogitatione, quoniam de appetitione ante diſſeruimus, quod uidetur eſſe conſequens, breuiter doceamus.* Vltroneum *in nulla appetitionis ſpecie poſitum eſſe iam patuit;* Sed *ultroneum, eſt inuito contrarium.* Eodem *etiã modo, qui faciẽs quod cognoſcit, aut hominem cui facit, aut qua ratione, aut cuius rei gratia facit, is eſt inuito contrarius. Quotiens enim accidit, ut aliquem cognoſcamus, amemusq;, cui dum cupimus bene facere, eum per imprudentiam malè afficiamus?* Dedit Lucretio *poëtæ amica ueneni quippiam, credens id eſſe philtron, quo amatorio ille poculo magis in amorem ſui accenderetur.* At Lucretius *eiuſmodi poculo inſaniuit.* Non *ultrò feciſſe id mulier exiſtimanda eſt, quæ miſerè illum deperiebat; ſed imprudenter potius, ob idq; etiam inuitè; quoniam nihil huiuſmodi antea cogitaſſet.* Et *patrem* Peliam *piẽtißimæ filiæ, à* Medea *ſubdolè, atq; improbè perſuaſæ, quem ſeruare quàm diutißimè in uita uoluerunt, perdiderunt.* Et *id quidem inuitè quoq;, quoniam imprudenter;* Quidquid *enim aut neceßitate facimus, aut ui, aut per imprudentiam, id inuitum & dicendum eſt, & iudicãdum.* Nullo *certè pacto ultroneum eſſe poteſt, quod ſine intellectu, & ſine cogitatione ſit factum.* Refert Ariſtoteles *mulierem dediſſe cuipiã amatorium poculum; quo ille hauſto, confeſtim extinctus eſt.* At *mulierem ueneficij accerſitam in* Areopagum, *ubi confugerat, idcirco eſſe ab* Areopagitis

Nũc agit de cogitatione.

Nihil ultro neũ ſine intellectu & cogitatiõe.

culpa

culpa liberatam; quoniam id facinoris per imprudentiam perpetraſſet. Nam quod poculi genus dederat ad amorem duntaxat, ſi quid eſſet de morte ſuſpicata, non dediſſet. Hæc igitur cogitationis, atq; intelligentiæ inquiſitio, & præmeditatio diligens, tantam uim habet, ut ultroneum ſecus eſſe non poßit. Quicquid ergo in nobis fuerit non agere, & agimus tamen, & id quidem ſcienter, ac propter hoc ipſum, id certe neceſſariò, & dici ultroneum, & haberi conuenit. Quæcunq; uerò imprudenter agimus, etiam ſi nulla neceßitas ſit, nec ulla omnino uis, hoc ipſo quod ignoramus, ea ſunt inuita. His autem nequaquam intempeſtiuè admoneor, ut ne illud quidem prætereundum putem, ſcire & cognoſcere, dici duobus modis. Vno cum habemus ſcientiam, Altero cum utimur ſcientia, quam habemus. Nam qui ea, quam ſcientiam tenet minus utatur, interdum etiam ſine iniuria dici poteſt ignorans, cum id ſcilicet recto quodam animi iudicio conſilioq; fecerit; Interdum uerò non poteſt; ut ſi negligentia fuerit in cauſa, quo ea minus ſit uſus. Identidem quoq; ſi quis ſcientia careat, ita ſe facit uituperationi obnoxium; ſi aut ob negligētiam, aut propter uoluptatem, aut ægritudinem, aut ob aliam animi perturbationem eo careat, Quod uel facile ſcitu, uel neceſſarium, uel pulcherrimum ſit. Et ne ſim prolixior quàm oportet; quoniam ex antedictis oſtendimus, ultroneum cogitatione potißimum, ac intelligētia definiri; reliquum eſt, ut eadem breuitate de Electione tranſigamus.

Vltroneum quod.

Scire, & cognoſcere duobus modis.

De electione.

PRIMVM *igitur ut amota mendacij caligine, ac tenebris, lux ueritatis & clarius pateat, & gratius; mihi dicendum uidetur; Electio quid non ſit; Deinde uerò, quid tandem ſit. Dubitatur enim, & cuius generis ſecundum naturam ſit electio, & cuius qualitatis; & utrum non idem ſit ultroneum, et eligibile, an potius idem. At uidetur ex duobus alterum eſſe electio, aut opinio, ea quæ manat ab ipſa cogitatione, aut appetitio; Ambæ enim uidentur ſequi. Et appetitionem quidem in tres partes antea diſtribuimus, Voluntatem, iram, cupiditatem. Nemo enim appetit, qui nihil horum ſit paſſus. Sed ira, & cupiditas, cum nobis exiſtat cum belluis quoq; communis, quo pacto electio eſſe queat? quæ cum ſit cum ratione, ſolius eſt hominis. Quin etiam longè magis & iraſcuntur, & cupiunt, quæ animalia ratione carent, quàm ipſi nos, qui imperio ducimur rationis. Atqui ſine irā, et cupiditate multa eligimus. Illis uerò uehementius agitati, non eligimus, ſed conſtantiæ inſeruimus. Præterea Cupiditas, & ira ſemper ſunt cum ægritudine; ſed eligimus multa etiam ſine ægritudine. Et Alexander cognomento Paris (ut eſt in Fabulis) cum rapiebat Helenam; & Tydeus, cum in Menalippi caput dentibus ſæuiebat, non ij quidem electione; ſed hic ira, ut Hercules in Megaram uxorem, & filios agebatur; Ille cupiditate, quod eius rei de Iaſone quoq; in Medeæ rapinam dici poteſt. Vt manſuetus, & continens, non pro ira, & cupiditate manſuetè agit, & continenter; ſed pro electione; ita incontinens, & iracundus, contempta electione, cupiditati, iræq; obtemperans, iracundè agit, atq; incontinenter. Quare cum neq; iram, neq; cupiditatem, electionem eſſe docuerimus, num fortaßis uoluntas dicenda ſit? Sed uoluntatem, & electionem non eſſe idem, oſtendemus breuiter. Nam uoluntas eorum eſt etiam, quæ eſſe non poſſunt; ut ſi*

Hæc omnia ſumpta ſũt ex Ariſtotelis, lib. iij. Ethic.

ut ſi uelimus aut cunctis gentibus imperare, aut eſſe immortales. At quicquam huiuſmodi, niſi qui ſit mentis inops, eligat nemo. Ea enim duntaxat eligamus, ſi ſapimus, quæ agi per nos poſſe arbitramur. Nam ſi quid etiam poßit agi, quod ipſi agere non poſſemus; fruſtra ea de re noſtra omnis foret electio. Quò fit ut eligibile ſit eorum aliquid quæ ſunt in nobis.

Hæc item ex Ariſt. lib. iij. Ethic.

A D. *hæc Electio non eſt finis, ſed eorum quæ ad finem referuntur. Voluntas autem finis eſt. Volumus enim bene ualere, ſed quod ad bonam ualetudinem refertur eligimus, ambulare, equitare, currere, luctari, eodemq́ modo ſtare, ſedere, quieſcere, & aut hoc, aut alio, uel cibo uel potu uti. Volumus omnes felices eſſe: Eligimus uerò, quo felices ſimus, alij ſapientiam, alij prudentiam, alij uirtutem, alij eloquentiam, alij imperium, alij diuitias, alij gloriam, alij aliud, ut quiſq́ ſibi felicitatem definierit. Patet igitur non eſſe idem uoluntatem & electionē. Quod cum ita ſit, iam inquirendum arbitror, an fortaßis opinio eſſe poßit. Nam cum eligere, ut ex ipſo uerbo admonemur, ſit aliquid quaſi melius ex alijs propoſitis legere, altero ſcilicet alteri prælato, tanquam meliore deteriori; cumq́ id ſine intellectu, & cogitatione fieri nequeat, eò fit ſæpe ut ea opinemur, quæ ipſi præſtare non poſſumus. Vt ſi quis aut uires Gangaridarum opinetur, aut diametrū & latus dimenſionem admittere, aut circulum tranſire in quadratum poſſe. Eorum eſt enim electio, quæ noſtræ ſunt poteſtatis, et non eorum, quæ æterna ſunt, cum opinio æternorum etiam eſſe queat.*

Quomodo differt à uoluntate electio.

Quomodo differat opinio ab electione.

P R Æ T E R E A *Bonum, malúmue eligimus; At opinio ueri eſt, aut falſi eſt. Et quod opinio ipſa non facit, per electionem aut bonis ſumus moribus, aut malis. Facitq́ opinio, ut quid ipſa res ſit, aut non ſit, conducâtne, an id minus, aut aliquid huiuſmodi noſſe uideamur. At electio, ut uel ſequamur id, uel aſpernemur; magiſq́ laudatur electio, quoniam nouit quid expediat, quàm quid ſit rectum: Sed opinio laudatur ueritatis; Acciditq́ nonnunquam, ut melius opinantes, tandem perturbatione uicti, quod deterius fuerit eligamus; id quod Ouidius Naſo haud ignorans, ita Medeam loquentem facit;*

Locus Ouid.

Video meliora proboq́; „
Deteriora ſequor. „

I L L A *enim propter amoris diſſolutam intemperantiam, maluit Iaſonis, adulteri ac prædonis, quàm patriæ patriſq́ ſalutē. Nec latere nos oportet, Electionem propriè eorum eſſe, quæ maximè nouimus; & eam ſemper ſua natura bonam; quod & recto animi iudicio fiat, & ſecundum rationem. Itaq́ in Sacris libris non facilè inueniamus, electorum nomen in malum; ni forſitan quādo per deprauatam rationem, et corruptum animi iudicium, malus quiſpiam malos elegerit. At electus eſt Iudas, unus ille omnium qui fuerunt, ſuntq́, & in omnem futuri ſint poſteritatem, & malus, & immanis, & dirus; Et eſt is quidem electus à* C H R I S T O *Optimo Maximo, qui benè uti nouit etiam improbis, & ſceleratis. Sed electus eſt ad opus, cui maximè congruebat, quo per eius opus, redēptio humani generis, quod perierat, ſequeretur. Nihil ſane obſcurum eſſe in eligendo potuit ſummæ ſapientiæ lumini, qui ait, Nonne ego uos duodecim elegi?*

In ſacris literis electi sūt boni.

Quæſtio de Iuda.

Vnus

Vnus ex uobis calumniator eſt; Cæteri certè intelligendi ſunt per miſericordiã; Iudas autem per iudicium electus eſſe; Illos (inquam) elegit CHRISTVS *ad obtinendum regnum ſuum; At Iudam ad ſuum fundendum ſanguinem. Cæterum ut quod cœpimus perſequamur, finem ſanè opinamur, id quod eſt opinioni, uoluntatiq́; commune. Eligimus ea quæ ſunt ad finem; ut integritatẽ ſenſuum nemo eligit; ſed ea quibus ſit ſenſibus integris. Cum uelle igitur, & opinari maximè ſint finis; eligere uerò eorum, quæ ad finem referuntur; quid demum electionem dicemus eſſe? Vltroneúmne fortaßis? Hoc eſt enim reliquum ex ijs, quæ modo propoſuimus. An id etiam non dicemus? Non enim uiri, ac prudentis, ultroneũ magis eſt, quam etiam cum omnis ætatis, & omnis ſexus, tum omnium quoq́; animantium. Et quod repentè inconſideratéq́; fit, id item ultrò fieri dicimus, non tamen ſecundum electionem, quæ ſine cogitatione, atq́; intelligentia, eſſe non poteſt. Quare cum electio, nec ultroneum ſit, nec opinio, nec etiam appetitio, quid eam tandem eſſe cenſeamus? Fruſtra enim ſit opus noſtrum, quod, electio quid non eſſet, docuerimus; niſi etiam, quid ea ſit, intelligamus. Et ut noſtra oratio ad ultroneum, quo de antea dicere cœperamus, tempeſtiuè reuertatur, id duplex eſt. Nam aliud eſt ultroneum, ut modo oſtẽdimus, quod nobis eſt commune cum cæteris animantibus omnibus; & illud quidem non antecedẽte cogitatione; Aliud uerò proprium noſtrum, quod eſt ſecundum intelligentiam; quoniam hoc loco, intelligentiam à ratione nihilo differre uolumus. Etenim cum dicimus rationem ſuperiorem; aliud nihil quàm intelligentiam ſignificamus. Et intelligentiam rurſus, pro ratione ponimus, cum circa res ea inferiores, humanasq́; uerſatur actiones. Cum igitur cogitatio à me dicitur, eam nõ magis pro rationis, quam pro intelligentiæ inquiſitione quadam accipiendam uolo. Ponimus (inquam) Electionẽ in eo ultronei genere, quod eſt ſecundum intelligentiam, & id quidem ita, ut intelligamus, non eſſe id eligibile, quidquid eſt ultroneum; ſed illud duntaxat, quod uenerit antea in conſultationẽ. Nam conſultationem, à cogitatione minimè ſeparamus, ut & uim cogitatiuam, conſultatiuamq́; eãdem eſſe dicimus Electio enim eſt cum cogitatione. Qua quidem re fit, ut nec puerorum ſit electio, nec omnis hominis. Nam neq́; pueri, neq́; ſtulti, neq́; mulieres, eo ſunt rationis uſu, ut rectè quicquam poßint eligere; ni forſitan aliquæ mihi dentur, quas Phœnice ipſo rariores inuenias; Aſpaſia, Cornelia, Lyſis, Theano. Has enim ſapientiæ ſtudioſas extitiſſe proditum eſt memoriæ. Verum hac de re apertius eſt præcipiendum, ne noſtra prolixior fiat oratio. Electio eſt eorum, quæ (ut paulò ante dicebatur) ſunt ad finem; quæq́; poſſunt & eſſe, & non eſſe, & ipſa quidem talia, ut de ijs nobis haberi queat. Quædam enim in conſultationem non ueniunt. Quæcunq́; enim eſſe poſſunt, ea non poſſunt, & eſſe, & non eſſe. Et horum ſanè generatio poteſtatis noſtræ non eſt, cum alia ſint naturæ ui, alia per alias cauſas fiant. Sed in ea cadit electio; quæ non modo et eſſe poſſunt & non eſſe; ſed etiam de quibus ſit nobis poteſtas conſultandi. Hæc uerò ſunt omnia, quæ ipſi agere poſſumus, uel nõ agere. Itaq́; de rebus Hyperboreis minimè conſultamus, neq́; quomodo circulus fiat triangulus. Nam & res Hyperboreæ in noſtra poteſtate non ſunt; & circulus*

Sic Ariſtoteles ad uerbũ lib. iij. Ethic.

Ratio ſuperior quæ dicatur.

Electio in quo ultroneĩ genere ſit.

In pueris, & fœminis non eſt electio.

De quibus non conſultamus.

culus fieri triangulus omnino non poteſt. At neq; de his omnibus conſultamus, quæ agere ipſi poſſumus. Sine ulla enim conſultatione, & ſedemus & ſurgimus, & alia per multa huiuſmodi, ſponte & ultrò agimus, nulla antecedente neq; cogitatione, neq; conſultatione. Nō igitur quod ultroneum eſt, idem continuò dicemus eſſe elegibile; ſed elegibile potius quod ſit, id ultroneum fateamur neceſſe eſt. Si enim per conſultationem eligimus quicquam agere, id ſanè ultrò agimus. Itaq; legumlatores quidam, maiore in illos mulcta animaduertunt, qui per electionem, quàm qui ultrò aliquid perperam egerunt. Eſt igitur Electio in his rebus, quæ agi poſſunt, & à nobis quidem agi, & non agi. Et hoc modo, aut alio modo, & in quibus rebus licet capere quare.

In quibus rebus ſit electio.

AT ILLVD *quare non eſt ſimplex. Nam in Geometria, cum quis dixerit quadratum, quatuor rectis æquales habere angulos; & ſubindè quæratur, quare? quoniam reſpondebit, triangulus quoq; duobus rectis æquales angulos habet, quod ſi triangulus angulos mutauerit, quadratus quoq; mutet neceſſe eſt: ut ſi tres, ſex; Sin autem quatuor, angulos octo mutet oportet. Triāgulus enim, quadrati eſt cauſa, & ita deinceps proceditur. Nam in huiuſmodi mathematicis diſciplinis, quare, accipitur ex principio. Agibilibus autem in rebus, in quibus electioni datus locus, non ita accipitur. Nullum determinatum propoſitum, eſt principium. Quod ſi quis quæſierit, quare hoc egiſti; reſpondebit, uel quia non licuit aliter agere, uel quia ita agere melius fuit. Ex ipſis enim euētis, quod fuerit uiſum melius, id eligimus, & propter id ipſum. Itaq; huiuſmodi in rebus conſultatio eſt, quod quō quid oportet. In ſciētijs uerò nō eſt ita. Vndè medici de ijs conſultant, quæ ipſi norunt: At Grāmatici non conſultāt. Cuius quidem rei cauſa eſt, quod cū duobus modis erretur, aut cogitando, aut ſecundū ſenſum; in Medicina quidē utroq; modo errari poteſt, at in Grāmatica, ſecundū ſenſum, & operatione. Nemo enim conſultat, quo pacto ſcribendū ſit Cic. nomen. Itaq; erratū, nō fit in ipſo intellectu, quod in ſciētijs plærunq; accidit, ſed in operatione ſcribēdi. Etenim ea deliberatione non egent, in quibus non errat intelligentia; quare neq; de his conſultant. Sed illa potius errato ſubiacent, in quibus quod quomodo opus ſit, indefinitum eſt. At ſenſus & operationis conſideratio, nunquam finem ſit habitura. Cum ergo nec opinio, electio ſit, nec uoluntas, quid eam tandem eſſe uolumus? Electio profectò eſt, ut mihi quidem uidetur, non hæ ambæ, ſed tertiū quiddam, tanquam harum utrumq;. Quis enim repentè eligit, quod eſſet uoluntatis? Sed quia opinamur quid agi oporteat, idcirco agere hoc uolumus. Antecedit enim uoluntatem opinio. Ex utraq; igitur eſt electio. In eo enim qui quidquam eligit, ineſt utraq;. Et ne quis miretur quod dicamus tertium quiddam, tanquam utrumq;, opinionis & uoluntatis electionem eſſe, quo id et facilius cognoſcatur, & clarius; confirmetur ſimili exemplo. Animal & animo conſtat & corpore; nec tamen corpus dicitur eſſe animal per ſeipſum, nec animus ſolus, ſed tertium quiddam, animo corporeq; compoſitum. Quanquam igitur ambo animali exiſtunt, & animus & corpus; haud tamen hæc ambo animal eſſe dicimus, ſed tertium quiddam, perindè atq; utrumq; horum. Ita habet electio ad ipſam cogitationem*

In mathematicis alia eſt ratio quàm in agibilibus.

Conſultatio quomodo ſe habeat ī ſingulis ſententijs.

Quid ſit electio.

Obiectionis ſolutio.

tionem, quæ forma ſit; & appetitionem, quæ materiæ locum teneat. Quod autem opinione conſtet atq; uoluntate electio, eo argumento probari poteſt, quod eligendi munere tum utimur, cum uerbi gratia è duobus propoſitis alterum anteponimus alteri, quod ſine conſideratione & conſilio fieri non poteſt. Opinio enim quaſi animi iudicium antecedit electionem. Nam neceſſe eſt ante iudicemus, quàm eligamus. Iudicare ante conſultationem nequaquam poſſumus. Inde fit, ut ex opinione conſultatiua fit electio. Non autem de fine, quem ueluti calcẽ ſagittario, propoſitum eſſe nobis oportet; ſed de ijs conſultamus, utrum modus hic, an ille ſeruandus ſit; quod tàm diu facimus, donec generationis principium, quod uocant, ad nos ipſos redegerimus. Si igitur ex antedictis perſpicuum eſt, electionem eorum eſſe bonorum, quæ ad finem referuntur, & nõ ipſius finis; & eorum quidem bonorum quæ tum agi à nobis poſſunt, tum etiam controuerſiam afferunt, hócne eligendum ſit, an illud potius; opus eſt ut de his omnium primũ per intelligentiæ munus, quàm diligentiſſimè inquiramus atq; conſultemus. Deinde ubi re nobis etiàm atq; etiam quàm accuratiſſimè inquiſita, quid melius uiſum fuerit; ita quædam agendi appetitio exuſcitatur, quod demũ cum agimus, cum electione agimus. Ex quibus quidem rebus, quid ſit electio, ſatis in aperto nobis uidetur eſſe. Eſt enim electio, conſultiua appetitio cum eorum intelligẽtia, quæ agere ipſi poſſumus. Vtpote qui ex antecedenti conſultatione iudicium facientes, appetimus ſecundum uoluntatem. Omnes enim qui eligunt, prius cogitando conſultant. Nec omnia quæ conſultãt, eadem eligunt. Et conſultatiua quidem electio dicitur, quoniam eius principium & cauſa conſultatio ipſa ſit, & propter conſultationem excitata ſit appetitio. Quare conſultatione quidquid caret, electione etiam careat eſt neceſſe. Atqui opinari quidem faciũdúmne aliquid ſit, an id minus; poteſt etiam quàm pluribus eſſe commune. Quod autem ex ipſa cogitatione proficiſcitur, pluribus commune eſſe non poteſt. Id enim quo cauſam ullam ſpeculamur, eſt animi noſtri conſultatiuum. Si enim cuius gratia eſt una cauſa, quoniam, quare, cauſam dicunt, cuius gratia quid aut eſſe dicimus aut fieri, hoc ipſum in cauſa eſt. Vt ſi idcirco me dixero metuere Italiæ ſaluti ab inuadentibus Turcis; quoniam ipſi inter ſeſe omnes Itali principes mutuis digladiantur odijs, honeſtatis omnis Deiq; obliti. Num ergò illos conſultatiuos eſſe exiſtimemus, qui nullum ſibi finem in uita ad quem reſpiciant propoſuerunt? Quare quod eſt in nobis ipſis, uel agere, uel non agere, ſi quis id egerit, aut minus egerit, propter id ipſum, & non per imprudentiam; hic ultrò egiſſe, aut nõ egiſſe putandus eſt? Cumq; permulta huiuſmodi agamus, nulla prorſus nec cõſultatione, nec præmeditatione uſi; eò fit neceſſariò, ut omne elegibile ſit ultroneum. At ultroneum quod ſit, id non eſſe omne elegibile. Et omnia quæ ſunt ſecundum electionem, eſſe ultronea. At ultronea non omnia eſſe ſecundum electionem. Quod autem electio neq; ſimpliciter uoluntas ſit, neq; opinio; ſed quod ex opinione & appetitione conſtat, quando antecedente conſultatione ambæ inter ſe uno fine conueniunt; ex ijs quæ in hunc locum diſſeruimus, ſatis arbitror eſſe dilucidum.

Electionem conſtare uoluntate & opinione.

Quorum ſit Electio.

Quid ſit Electio.

Quomodo ſe habet conſultatio ad Electionẽ.

Cõcluſio diſputationis.

QVARE cum omnis Electio eam debeat actionem antecedere, quæ eſt ſecundum uirtutem; uirtutes autem anteà diximus alias eſſe partis rationalis, alias irrationalis, & concupiſcibilis aliàs; nunc quæ ſint earum uirtutum opera ſigillatim eodem ordine perſequamur. Itaq; à Prudentia ordiemur. Cuius primum munus eſt, ne quid temerè aggrediamur, cuius poſtea nos pœniteat, diligẽti uti cõſultatione. Secundum autem eſt Iudicij, ut bona malaq; iudicemus, quæq; in uita poſſunt accidere, quæ aut ſint expetenda, aut fugienda. Tertio uerò loco munus illud occurrit, ut bonis malisq; præſentibus utamur pro ratione. Vſu enim ſæpe uenire ſolet, ut nonnulli quibus abundant bonis uti neſciant, nec à malis cauere. Quartum munus eſt, ut hominum conſuetudine quo pacto uti deceat, non ignoremus. Quintum autem illud eſſe ſtatuimus, ut conſilia noſtra tempori accommodemus. At Sexti muneris ea eſt ratio, ut tam in uerbis, quàm in rebus uigiles induſtrijq; ſimus. Septimum uerò Prudentiæ munus illud eſſe arbitror, ut rerum omnium utilium peritiam teneamus, id quod in iuuentute eſſe nõ poteſt. Nam ætatis breuitas rerum multarum experta eſſe nequit. Verum multa & audire, & legere, omnem antiquitatis cognitionem atq; peritiam ante oculos ponit. Cæterum quinq; illa tenenda ſunt omnibus, qui prudentiæ laudari uoluerint; Memoria, Peritia, Verſutia, Dexteritas, bonaq; conſultatio. Et Memoria quidem ac peritia eſt rerum præteritarum, quibus potiſſimum prudẽtes reddimur. Verſutia uerò, quã ἀγχίνοιαν Græci uocant, & dexteritas, uerſatur circa res præſentes. Bona autem conſultatio, quæ εὐβουλία dicitur Græcè, tam rerum futurarum eſt, quàm præſentium. Sed de his omnibus quàm diligẽtiſſimè docebimus, cum ſuo loco de Prudentia tractabimus.

De officijs & muneribus ſingularum uirtutum.

Prudẽtiæ officia ſeptẽ.

Comites prudentiæ.

MANSVETVDINIS primum munus eſt, æquo animo ferre mediocria crimina, & ſi qua in re mediocriter ſit noſtra dignitas uiolata. Secundum eſt, ne celeriter ferri nos patiamur in alterius ultionem. Tertio loco id munus ponitur, ne facilè ad iram commoueamur. Quartum uerò manſuetudinis eſt munus, quo & leni uultu iubemur eſſe, et à litigijs abhorrere per animi trãquillitatem atq; conſtantiam.

Manſuetudinis officia quatuor.

FORTITVDINIS autem Primum illud eſt munus, ne mortis aliòue metu uehementer commoueamur animo. Secundum eſt, ut formidoloſis in rebus ab animi fiducia non diſcedamus. Tertium uerò munus eſt, ut impauidè pericula adeamus. Quarti muneris ea eſt ratio, ut honeſtam mortẽ turpi uitæ anteponamus. Quintum autem eſt munus, ut usq; nos præſtemus uictoriæ auctores.

Fortitudinis officia quinque.

SEQVITVR Fortitudinem, Tranquillitas, Audentia, Elatio, Magnanimitas, Virilitas, Magnificentia, Fiducia, Probitas, atq; Conſtantia.

Comites fortitudinis

PRIMVM temperantiæ munus eſt, nulla proſequi admiratione corporis uoluptates. Secundum, nullius turpis uoluptatis appetitione tangi. Tertium munus eſt, ut licentiam omnem, uel iuſta quæ fuerit nobis, uerendam exiſtimemus. Quartum uerò, ut paruis & magnis in rebus æquè ordinem ſeruemus. Temperantiam ſequitur Seueritas, Modeſtia, Ordo, Verecundia, Abſtinentia, ac Decorum.

Temperantiæ proprietates quatuor.

Comites tẽperantiæ.

Continentiæ

CONTINENTIAE Primum munus eſt,cupiditatem compeſcere ab improbis uoluptatibus. Secundum illud eſſe uolunt,ut toleremus modicè, atque perferamus indigentiam ægritudinemq; naturæ. *Continčtiæ duo officia.*

IVSTITIAE primum munus eſt poſitum,in diſtributione pro dignitate cuiusq;.Secundum uerſatur,circa obſeruationem conſuetudinis patriæ. Tertium eſt,quo leges inſtitutaq; ſeruentur. Munus uerò illud quarto loco ponitur, quo ueritas in diſceptatione nunquam deſeratur. Quintum autem munus conſtitutum eſt,in pactis conuentiſq; ſeruandis. Cæterum ex omnibus Iuſtitiæ operibus,illud primarium duci debet, quod uerſatur circa res diuinas. Cui proximum eſt,quo in patriam ac parentes ſumus officioſi. Deindè id ſequitur, quo luce hac defunctis iuſta perſoluimus. Eſt etiam in his religio,quæ aut eſt iuſtitiæ pars,aut ſequitur iuſtitiam. Quæ autem Iuſtitiam ſequuntur,ſunt quatuor numero,Religio,Veritas,Fides,ac Probitas. Verum & de uniuerſa iuſtitia,& de ſingulis eius partibus,congruo loco accuratius explicabimus. Nunc quæ ad liberalitatē pertinent breuiter percurramus. *Iuſtitiæ officia quinq;. Quatuor uirtutes comites iuſtitiæ.*

PRIMVM eſt liberalitatis munus,in dandis pecunijs circa res laude dignas. Secundum uerſatur,circa maximos ſplendidiſſimosq; ſumptus,cum res tēpusq; id expetit. Tertium illud eſt liberalitatis munus, cum alacriter auxilium ferimus calamitoſis & afflictis. Quartum uerò,ne undè non oportet, quicquam accipiamus. Delectatur præterea uir liberalis,ueſtium munditia atq; pulchritudine,nec item minus ædium magnificentia,et eo ædificiorum apparatu ornatuq;, qui etiam ſine ullo commodo iucundiſſimus ſit aſpectu. Et libenter deditaq; opera ea conquirit alitq; animalia,quæ uel delectationi ſint,uel admirationi, ut Luſcinias,Pſittacos,Acāthidasq;, ac accipitres atq; aquilas,equos Appulos ac Britannos & Numidos,canes Moloſſos,pardos,leones,pardocamelos, aliaq; pmulta huiuſmodi. Sequitur autem liberalitatem uultus hilaritas, & facilitas,& humanitas,& commiſeratio,& ſtudium in amicos & hoſpites,atq; elegantia. *Liberalitatis officia tria. Virtutes comites liberalitatis.*

MAGNANIMITATIS quoq; primum munus eſt,æqualiter atq; perpulchrè ferre ſecundam aduerſamq; fortunam,eademq; grauitate,tum honorem,tum ignominiam. Secundum eſt,ut delitias contemnamus:nullaq; admiratione dignam cenſeamus,aut famulantium turbam, aut licentiam, aut ludorum uel apparatus uel uictorias; ſed animo potius excelſo magnificoq; ſimus. Eſt etiam uiri magnanimi,ita ſe præſtare,ut nemini debeat,nec uitam magnifacere. Nam cui mors metui eſt,is magno uir animo eſſe non poteſt. Eundemq; eſſe decet ingenio ſimplici & aperto; quiq; generosè iniuriam ferens ad ultionem ſe difficilem præſtet. Magnanimitatē ſequitur ſimplicitas, generoſitas, ac ueritas. Sed poſtea quàm ea de uirtute tanquam enumerauimus, quæ uiſa nobis ſunt neceſſaria; eundem ordinē de ſingulis uitijs ſeruabimus. Itaq; Inſipientiæ opera attingamus. *Magnanimitatis proprietates quinque. Virtutes quæ ſequuntur magnanimitatem.*

PRIMVM igitur Inſipientiæ opus eſt,male conſultare. Secundum,facere malum de rebus omnibus iudicium. Tertiū,bonis præſentibus uti perperā. Quartum,malè uti familiari conſuetudine. Quintum atq; poſtremum eſt,non rectam de ijs rebus habere opinionem, quæ aut bonæ ſunt,aut malæ. Inſipiētiam uerò ſequitur *Inſipientiæ proprietates quinq;. Quæ ſequātur inſipiēt.*

quitur

quitur Inſcitia,imperitia,incontinentia,malignitas,ingratitudo.

Iracūdia diuiditur in tres partes. Eius proprietat. duæ. Quæ iracūdiam ſequātur.

Iracundiae *tres ſunt ſpecies; Bilis,Amaritudo,& Vlciſcendi obſeruatio.Iracundiæ uerò primum eſt opus,ne parua quidem conuitia offenſionésque ferre poſſe. Secundū eſt,quo ad plectendum ſumus ulciſcendumq́; procliues, tam ob uerbum aliquod nobis moleſtum, quàm etiam ob rem quampiam minus gratam. Iracundiam ſequitur uultus acerbitas,mutabilitasq́;, & facti pœnitētia, animiq́; demiſsio,& moroſitas, & ſermo confuſus,ac manus comploſæ frequentius,& totius corporis concitatio, quodq́; ob minima quædam iracundi triſtantur,rurſusq́; eadem & ſubitò patiuntur,rurſusq́; deponunt breui.*

Timiditatis proprietates duæ. Quæ ſequātur timiditatem.

Timiditatis *eſt Primum opus, ut ob minimos etiam terrores homines commoueantur; & eos maximè,qui de morte uidentur eſſe, aut de alicuius membri diminutione.Secundum opus eſt, quo quis exiſtimat ſalutem omnem honeſta morte præſtare.Timiditatem autem ſequitur animi mollitia,& effœminata quædam ignauia,ac laboris fuga,uiuēdiq́; ſtudium. Subeſt etiam quædam cauendi cura,uultúsque remiſsio.*

Luxuriæ proprietates quinq́;. Comites luxuriæ.

Luxuriae *illud opus eſt Primum, quo frui expetunt detrimentoſis ac turpibus uoluptatibus. Secundum opus eſt,quo arbitrantur eos maximè felices,qui in iſtiuſmodi uoluptatibus uitam degunt.Tertium uerò, quo in ridiculis uerſantur.Quartum, quo cauillis potiſsimum delectantur. Quintum,quo maius quàm par eſt,ſtudium facetijs præbent. Sextum,quo & in dictis & factis relaxationi ſe dedunt. Ac luxuriam quidem ſequitur inordinatus uictus, & impudentia,ineptitudo,delitiæ,inertia,incuria,atq́; diſſolutio.*

Tres incontinētiæ proprietates. Comites incōtinentiæ.

Incontinentiae *Primum eſt opus,quo neglecta atq́; impedita ui cogitandi,feruntur ad fruendas uoluptatum illecebras. Secundum eſt, quo cum exiſtimant uoluptatibus abſtinendum,eis tamen nihilo minus ſe dedūt. Tertium uerò eſt illud, quo arbitrantur operam dandam rebus honeſtis atq́; utilibus,cum ijs tamen abſtinent,uoluptatum gratia. Incontinentiam autem ſequitur Mollitia,Pœnitentiaq́;,& eadem plurima,quæ luxuriam.*

Iniuſtitiæ ſpecies tres.

At iniustitiae *ſpecies ſunt numero tres,Impietas, Auiditas habendi,& contumelia.Impietas,eſt diuini cultus negligētia, uel etiam erga defunctos uita,& erga patriam & Parentes.Auiditas habendi eſt ea, quæ in contrahendo expetit,quam non debet utilitatem. Contumelia uerò eſt,qua quis uoluptatibus ſuis commodisq́; conſulit per alterius opprobrium. Itaq́; Euenus de contumelia loquens inquit; Quæ modo potiatur optatis; nullam facit iniuriā.*

Tres proprietates iniuſtitiæ.

Opus *autem Iniuſtitiæ Primum eſt,legum tranſgreſsio. Secūdum eſt,nec legibus,nec magiſtratibus parere.Tertium,mentiri. Quartum,peierare. Quintum uerò opus eſt,conuenta atq́; fidem fallere.Iniuſtitiam ſequitur calumnia,arrogantia,ſimulata quædam humanitas,peruerſitas,ac malitia.*

Auaritia in tres ſpecies.

Avaritiae *tres ſunt ſpecies; Quæſtuoſitas,Parſimonia, Ariditas. Quæſtuoſitas eſt,qua undiq́; conquirunt lucrum,illudq́; pluris faciunt, quod uel cum dedecore ſibi pepererunt.Parſimonia eſt, qua in rem dignam ſumptu abſtinent. Huiuſmodi enim parſimonia in magno uiro ac principe iure uituperatur,*

cuius

cuius omnia munera & ſplendida eſſe debent & magna; quæ tamen ipſa in frugi patrifamilias laudi datur. Ariditas uerò ea eſt, qua ſumptum faciunt quidem multi, cæterum & minutatim, & ineptè ac malè; quo fit ut detrimentum quàm maximum accipiant; quoniam minus tempeſtiuè ſumptu ſunt uſi.

PRIMVM uero Auaritiæ opus eſt, quod quæſtum plurimi faciunt. Secũdum, quod ea ſibi nulli opprobrio eſſe putant, quæ lucrum pariant. Tertium autem opus eſt, quod nulla ui, nulla ſubmiſſione, nullis ſordibus abſtinent, modo lucrum conſequantur, ab omni honoris libertatiſq; ſtudio alieni. Auaritiam ſequitur Tenuitas, Anguſtia, Humilitas, Inexplebilitas, Ignobilitas, odiumq; in omnes. *Tres proprietates auari.* *Quæ uitia ſequãtur auaritiam.*

PVSILLANIMITATIS eſt, ut neq; honorem, neq; ignominiã, neq; ſecundam fortunam ferre quis poſſit, nec item aduerſam; ſed cum tumeſcat honore, & quauis proſperitate uel minima efferatur; Tum ignominiam ullam admodum paruam, aut aduerſi quippiam, nullo pacto potis eſt qui ferat; quin potius angitur animo, cruciaturq;, ſeq; ita proſternit atq; abijcit; ut offenſionem omnem, quàmuis minimam, & ignominiam appellet, & contumeliam. Puſillanimitatem uerò, ſequitur, Querimonia, Inſimulatio, Diffidentia, atque Humilitas. *Puſillanimitatis quid ſit propriũ.* *Quæ uitia ſequãtur puſillanimitatem.*

Sed quoniam in hunc uſq; locum quantum ſuſcepti laboris inſtitutum expetebat de ſingulis uirtutibus loquuti ſumus, Idemq; de ijs uitijs fecimus, quæ ſingula uirtutibus ſingulis potiſſimum aduerſantur; iam tempus nos admonet ut huic Tertio Moralis diſciplinæ libro finem imponamus; quo reliquis libris, quæ huic operi congruere uidebuntur, certo quodam ordine perſequamur.

* * *

TERTII LIBRI FINIS.

FRANCISCI PHILELPHI AD LAVRENTIVM MEDICEM DE MORALI DISCIPLINA.

LIBER QVARTVS.

Cōquæritur quòd docti homines parui pendantur.

ATTENTIVS *mihi Laurenti Medices, atquè accuratius conſideranti de uirtutis ſtudio, quo Moralis diſciplina maximè definitur, permulta ſe coram offerunt; quæ tametſi mentem ab inſtituto labore non retrahunt; non debent tamen non aliqua ex parte commouere; cum in ea tempora incidiſſe nos uideo, quibus artes honoratiſsimæ contemptui potius ſunt quàm laudi. Nā quotumquemque reperias, qui animaduertens fore, ut ſtudia ſua quamuis pulcherrima ſint; nullo habeantur in pretio, non ingenio ueluti langueat, reddaturq́; aliorum negligentia tardiuſculus? Quod ego certè ijs potiſsimum accidere arbitror; qui non ſtudij ſui fructum in uera immortaliq́; gloria; ſed in quibuſdam inanibus Fortunæ emolumentis, quæ unum quemq́; ſimul cum uita deſerunt, ſibi propoſuerint: At de nobis certè, ſi qui perturbatione liberi, rectè iudicare uoluerint, facilè poſsint ex ante acta uita intelligere, nulli unquam ne minimæ quidem auaritiæ ſuſpicioni, aut fortunæ cuiuſpiam uel blanditijs, uel minis fuiſſe apud me locum; quo minus omnia in ſola meraq́; uirtute ſita eſſe, collocataq́; cenſuerim ac cenſeam. Nam ſi rei pecuniariæ, quam uſq; contempſerim, & contemno indies magis, ſtudere; uel ab ipſa ineunte adoleſcentia, tanquā per comparatæ mercedem diſciplinæ uoluiſſem; nullius mihi nunc nec principis, nec reipub. adminiculis opus foret ad tuendam uitam pro dignitate. Quem alium afferat quiſquam, cui uel hac tempeſtate, uel proximis ſæculis, aut maiora aut pulchriora fuerint diſciplinæ & eloquentiæ præmia conſtituta, cum in florentiſsimis Italiæ urbibus, tum apud inclitos ciuitatum dominos, quàm uni Franciſco Philelpho, qui poſteaquam è Græcia in Italiā reuertiſſet, quo tempore iuuenis primum cœpiſſet eſſe, tot nummûm aureûm milibus donatus eſt; ut ſi æris cumulandi maluiſſet, quàm doctrinæ & laudis habere rationem; nihilo in præſentia egeret ad omnem uitæ cultum atq; elegantiam? Quibus enim pecunijs abundaret, ijs nunquam prodigè, nunquam inconſultò; ſed et liberaliter ſemper & pro ratione eſt uſus. Sed quoniam ea ſunt ſequuta tempora, ut omnes ferè & ciuitates, & reges, tum in Italia, tum in exteris nationibus, longè lateq́; ſtudeant, neſcio quo infelici auſpicio, accumulandis tuendiſq́; theſauris, uiri omnes docti atq; ſapientes una cum probitate ſi minus forſitan contemnuntur, negliguntur tamen; quandoquidem temporum conditionem dum mecum ipſe cogito; non tam mea commoueor cauſa, qui iam agens ſeptimum & ſeptuageſimum*

Maximis præmijs cō ductus fuit in uarias Italiæ urbes ad profitendum Philelphus.

Cum hoc opus conſcripſit Philelphus agebat

mum ætatis annū, nihil diu poſſum durius pati, quàm uiris doleo eruditis, uirtutiſq; cultoribus. Quibus breui futurum uidere uideor, ut nihil magis, quàm initum uitæ inſtitutum accuſare uulgò exiſtimentur. At me certè conſilij mei, & ſuſceptæ ab ineunte ætate uitæ rationis pœniteat nunquàm, quin uſque iudicem, & conſtantiſſimè audeam affirmare in ſola probitate, ac mentis intelligentia poſitam eſſe, & conſtitutam humanam omnem felicitatem, ac beatitudinem; eumq; & infelicem eſſe, & miſerum uel in ſummis Fortunæ commodis, illiſq; optatis, qui flagitijs deditus quidquam putet uirtute doctrinaq; aut præſtabilius, aut magis expetendum in uita. Quis enim ignorat bonitatis & ſapientiæ ſtudio diſponi animū ad honeſtas præclaraſq; actiones, per ſedatas, ac trāquillas, eaſdemq; compoſitas, & in omnes partes conuenientes affectiones? Quis igitur ambigat bonæ prudentiſq; reipub. officium eſſe id uelle, id curare, id efficere, ut ſui ciues, & optimi ſint, & eruditi doctiſſimè? Nam quo pacto fieri poteſt, ut alios regant rectè, qui ſeipſos neſciunt; cum turpe etiam ſit ac dedecoroſum, quēquam ijs imperare, quibus ulla ſit laude inferior? Legimus Lacedæmonios non opum magnitudine, magnos præpotentéſque fuiſſe, cum ſe Lycurgi legibus, quibus & aurum, & argentum omne ex Laconica eſt amotum; eoſdem uerò tum cecidiſſe, cum Lyſander contemptis legibus atq; iuſtitia, Athenarum præda, ac manubijs Lacedæmona referſiſſet. Et Romanos, quādiu iuſtitiam ſeruauere res geſſiſſe in ſumma etiam inopia, & maximas, & præclaras. Qui ubi primum diuitijs ſtuduiſſent, radicitus corruerunt. Peraro ſanè inuenias egregiam, aut uirtutem, aut diſciplinam in maximis opibus, perindè atq; uirtutes & opes inuicem aduerſentur. Itaq; laudandus es certè tu Laurenti Medices, qui in ampliſſima, atq; morata optimè natus, altus, educatuſq; ciuitate, uel in maximis opibus, quas tibi maiorum tuorum tum frugalitas, tum diligentia comparauit; probitatis ſemper ac ſciendi ſtudium ſis amplexus. Cuius etiam ipſe ductus exemplo, uitaq; inſtituto, uolui idcirco hos libros de Morali diſciplina tuo nomini exhiberi in populos; ut intelligerent omnes ad eum ſcripſiſſe me, qui talis eſſet, qualem eſſe illum oportet; qui ciuilis felicitatis aliquando iure poſſit ac beatitudinis laudari. Quare quæ de Morali diſciplina ſcribenda reſtant; quæ certè non pauca ſunt, præcepta referamus. Nam tribus proximis libris, quæ à nobis ſunt tradita, ea oſtenderunt quaſi nudum quoddam uirtutis corpus, nullis tectum, nullis diſtinctū, nullis ornatum ueſtibus. Quapropter nos tempus admonet, ut et uirtutes ſingulas, & uirtutis cuiuſq; partes, atq; officia, cum omni ſua quaſi ſuppellectili, atq; ornatu, iam dilucidius referamus.

Septuageſimum ſeptimū annum. In quo ponat ſummū bonum et felicitatem.

Virtutes & opes inuicē ſibi aduerſari.

Laudat Laurentium Medicem.

Proponit ſibi dicendum de ſingulis uirtutibus & earum partibus ac officijs.

IN ANIMI *partitione Platonem Pythagoramq; ſequuti, cum in tres diſtribuimus partes, Rationalem, Iraſcibilem, Concupiſcibilem. Et ita pro ipſarum partium ui ac natura, tum ſingulas uirtutes, tum uniuſcuiuſq; munera uirtutis oſtendimus. Et ut ratio erat prima pars animi, ita prudentiæ, quæ rationi tributa eſt, primum dedimus locum inter uirtutes; quæ quoniam media quædam uirtus exiſtimatur, inter morales intellectualeſq; uirtutes, nō abſurdè feciſſe iudicandi ſimus, ſi non prius de ea præcipiemus, quàm de morum uirtutibus, quæ*

Pruden. media inter uirtutes morales, et intellectuales.

reliqua ſunt dicenda abſoluerimus.

De Manſuetudine.

Post *Prudentiam Manſuetudo ſequitur, quæ ad animi partem iraſcibilem refertur; quod autem huic uitium maximè aduerſatur, & tanquam per duellum repugnat, iracundia eſt, nec tamen ſegnitia, quæ caret omnino ira, ſine uitio fuerit. Quo fit, ut mediocritas quædam manſuetudo dicenda ſit, quæ inter iracundiam ſegnitiamq; uerſatur. Nam ut iracundi eſt & magis & celerius iraſci, & quibus de rebus, & in quos, & quo, uel loco, uel tempore non oportet; ita homo ſegnis ac idem fatuus agit omnia ſecus; quippe qui nullis ſeruatis circumſtantijs, neq; iraſcitur quantum debet, neq; tempeſtiuè, nec etiam aduerſus eos qui ira ſunt digni. Vt enim furioſi hominis eſt uehementius excandeſcere in uirum fortem, & iuſtum, hoſtes ab inuadenda patria repellentem; ita ſegnis uidetur eſſe, planeq; fatui, nihil in hominem ignauum iniuſtumq; accendi; qui pereunti patriæ nullum auxilium ferre ſtudeat. Verum quid de ira ſentiendum ſit, magna cautio eſt. Quis enim iram ignorat, cum ſeipſam in poteſtatem uendicarit, nulli rationi obtemperare? Nam ſi ira eſt ulciſcēdi cupiditas, uel ut ait Ariſtoteles; ſi cupiditas eſt reponendi doloris, certè ſine ultione quieſcet nunquam. Et tum quidem quieſcet, modo id tandem poßit, cum dolorem pro ſuſcepto dolore retulerit; quaſi non leuißimi hominis ſit, ac miſeri, mordentem remordere. At quàm magis ſecundum hominis naturam præceptum eſt; Mihi uindictam et ego retribuam? Non eſt enim magni excelſiq; animi uindictam appetere, ſed puſilli potius, & humilis, planeq; muliebris. Quid enim hominis natura mitius? quid humanius? quid placabilius? qui ad ſocietatem ciuilem natus, nulla re magis delectetur quàm uenia? Eſt enim uenia, debitæ pœnæ remißio. Quàm me delectat Plato, qui mitißimi aliquando ſui oblitus ingenij, cum excanduiſſet in nequam ſeruum; illumq; iußiſſet continuo poſita tunica præbere ſcapulas ſibi uerberandas; mox ubi animaduertit ira ſe interceptum; manum, ita ut cæſurus ſuſtulerat, ſuſpenſam cogitabundus ſeruabat. Qui ab amico, qui fortè interuenerat, quid ageret rogatus; Exigo (inquit) pœnas ab homine iracundo. Hoc enim pacto in ſe animaduertebat Plato, quoniam iræ uiſus foret aſſenſus. Difficillimum profectò eſt iræ impetum reuocare; cum frenum momorderit. Nonne puniendum eſt dixerit quiſpiam, erratum cum fuerit? Puniendum ſanè ratione, ſine ulla ui iracundiæ. Itaq; idem Plato cum rurſus in ſeruum eſſet iratus, factusq; ob delictum paulò commotior; conuerſus ad Speuſippum; tu (inquit) Speuſippe uerberibus ſeruulum iſtum obiurgato; Nam id ego, quoniā iraſcor, facere nunc prohibeor. Quantum ualet ſtudium ſapientiæ, quo monemur nulli oportere animi affectioni ſuccumbere? Plato ut erat uir ſapientia ſingulari, maluit ſe priuare ſua poteſtate in ſuos, quàm quicquam per iram agere, cuius poſtea iure pœniteret. Quid autem uirum hunc miremur? ſi tanta moderatione animi uſus eſt; qui cū neq; philoſophia quicquam indignum facere, tum neq; à duobus ſuis doctoribus degenerare, Tarentino Archyta, Socrateq; debuerat? Nam & Socrates ſeruo ait; Cæderem ego te, niſi iraſcerer. Idemq; olim colapho percuſſus, aliud nihil locutus fertur; quàm id ſe eo moleſte ferre duntaxat; quod neſcirent homines quando*

Manſuetus medium inter iracundum & ſegnem.

De ira quatenus ultionem appetit.

Platonis factum laudabile.

Socratis dictum.

ſibi

ſibi prodeundum eſſet galeatis. Et *Archytas rura intuitus ſua, uillici negligentia corrupta ac perdita, ob idq́; malè de ſe illum meritum; ſumpſiſſem (inquit) à te ſupplicium, niſi tibi eſſem iratus. Quibus quidem exemplis non obſcure mihi uideor intelligere, eum qui ſapientiæ fungitur munere, oportere ira omnino abſtinere, cum nihil ſit ea, nec uehementius, nec effrenatius, nec indomitum magis.* Id *quenquam poſſe præſtare, tametſi dictu facilius eſt quàm factu: at illud certè facillimum reor, ut ſaltem quod acturi ſumus, tantiſper differamus; donec ratio quam ira occupauit, ſeipſa collegerit, docuerit q́; quid nobis agendum ſit, aut non agendum.* Erat *Cæſar Auguſtus ad irã procliuior, ob eamq́; rem crudelior quoq́; quod non difficulter intelligamus, ſi Actiacam pugnam, qua ipſum etiam mare humano cruore perfuſum rubuit; ſi cruenta in Siculo mari prælia; ſi Peruſinas aras; ſi tam ingentem proſcriptorum numerum conſiderabimus. Cæterùm hunc rerum potitum, ac ſolum, & ſui iam compotem factum, cum aliquandiu poſtea Athenodorus philoſophus adiſſet precatum, ut quoniam ſenectute iam premeretur, ſibi per eum liceret in Græciam redire ad ſuos; remq́; exoraſſet; in ipſo abeundi, ſalutandiq́;, & gratificandi officio, cum ira te Cæſar (ait) aliquãdo ceperit, nihil prius neq; dixeris neq; feceris, quàm alphabeti Græci literas uigintiquatuor percucurreris. Hoc dicto eum prudenter admonens, ut nihil iratus decerneret. Itaq́; Cæſar illo manu apprehenſo ac ſubridens; adhuc (inquit) Athenodore tua mihi præſentia opus eſt, & ita annum totum eſſe illum apud ſe uoluit; inquiens taciturnitatis quoq́; munerationem, tutiſſimam duci oportere.* Et *fuit profectò is Auguſtus, antequam maturam attigiſſet ætatem, auunculo C. Iulio Cæſari omnino diſſimilis; qui unus omnem hominum memoriam humanitate, manſuetudine, clementia mirificè anteiuit.* Vtpote *qui perſpicuè uideret, nihil magis abhorrere ab hominis natura iracundia, & ulciſcẽdi cupiditate.* Nec *enim aſſentior* Theophraſto, *qui ait fieri haud poſſe, quin uir bonus iraſcatur aduerſus improbos.* Nam *ea ratione quo melior quiſq́; fuerit, eo iracundior ſit futurus.* Debemus *ſanè in puniendo leges imitari, quæ non turbantur, non commouẽtur; ſed quietè, atq́; moderatè perpetrata facinora ulciſcuntur.* Peccata *nobis odio ſunt habenda, non homines.* Itáq; *pro ratione & ſine ullis affectionibus pœnæ ſunt inferendæ; quo & delinquentes mercedem recipiant amentiæ ſuæ, & eorum exemplo in poſterum quoq́; cæteri ſibi caueant.* Quod *autem uir ſapiens nullus ſit uſqueadeò natura benè inſtitutus, ut minus ſentiat inſpirationes quaſdam, & tanquam umbras affectionum; non equidem negarim.* At *idem uir ſapiens continuo ſe ſibi uendicabit, nec illis aſſentietur.* Nam *eũ opinio uoluntasq́; acceſſerit; tum affectio fit, quæ ante non erat.* Et *cum omnis affectio ſit periculoſa; tum ira longè periculoſior cæteris, & quæ rectum iudicium magis impedit.* At *ratio contra ipſa per ſe ſatis eſt, quæ nobis omnia ſuppeditet, quæ neceſſaria ſunt, non ad iudicandum & prouidendum modo, uerùm etiam ad agendum. Atqui iocari mihi uidetur Ariſtoteles inquiens, affectiones omnes pro armis eſſe, ſi quis bene ijs uſus fuerit.* Num *quiſquam benè utatur temeritate? Pugnat ira ipſa per ſeſe, & ut leuis eſt & inconſtans, rationis contemnit ſtabilitatem.* Signum

Architæ dictum.

Iracũdia Cæſaris Auguſti.

Præceptum Athenodori

Cõtra Theophraſtum.

Contra Ariſtotelem.

gnum pugnæ non expectat, ſed confeſtim proſiliens in hoſtes ruit.Rurſusq; deſerueſcens prius quàm receptui canatur,recurrit in caſtra , quaſi fuſa fugataq; , neq; alteri fida,nec ſui ipſius compos.Et ut citò accenditur,ita extinguitur citò.

Definitio iræ ſecundū materiam.

Nam ſi à materia iram definias , inuenias eam mouere in pectore è ferventi ſanguine circa cor.Cur autem is locus iræ potiſsimum datus ſit, ea facit ratio,quod ex uniuerſo corpore calidiſsimum pectus eſt . Et ut feruidi animi natura iccirco reddit homines iracundos ; quoniam ignis & actuoſus ſit, et pertinax ; ita in his hominibus , qui ſunt natura humidiores ; ſicuti & pueros & mulieres licet intueri ; non extemplo creſcit ira ; ſed motu acquiritur ; quoniam in illis minus caloris inſit.Quare eorum iræ quoniam leuiora habent initia, acriores ſunt magis quàm grauiores.

Phyſica ratio de ira et iracundis.

Quos uerò ſiccæ ætates exceperunt,in ijs ineſt ira & uehemens & ualida , ſine incremento tamen ; quoniam propter id frigoris,quod inclinaturum iam calorem inſequitur, ira ſibi adijcere parum poteſt.Qua quidem re fit, ut ſenes nonnulli reddantur moroſi ; ut ægroti conualeſcenteſq; conſuerunt .Iis enim uel laſsitudine quadam,uel ſanguinis detractione calor non mediocris eſt exhauſtus.Idem patiuntur omnes,qui aut exangui ſunt corpore, aut malignis utuntur alimentis,aut aliter iam deficere cœperunt. At uinum, ut eſt proximum natura,quoniam incrementum calori affert , ipſum quoq; iram incendit inflammatq; . Qui autem natura ſunt frigidi,eos ſibi timiditas potius quàm ira uendicat ; cum & contrahat frigus,et pigritiam afferat.

Qui dicantur ſegnes.

Non igitur ab re iſtiuſmodi homines , qui nulla prorſus tanguntur ira, ſegnes appellantur,quaſi ſine igni ; Cum ira ſit quidam feruor ſanguinis circa cor,ut modo dicebatur . Quam ob rem qui ſe manſuetum atq; clementem, & eſſe uult & haberi , caueat etiam atq; etiam ne iracundiæ ſtimulis incitatus abſtrahatur præceps ab imperio ductuq; rationis.Hæc enim nullis eget auxilijs, nullis adiumentis,& excitatur cum uult,& quieſcit cum opus eſt.Itaq; ad res pro dignitate fortiterq; gerendas, ſua ſemper utatur ui ; Ira autem non ſecus abſtinebit , quàm immani quadam atq; dira bellua.Eſt enim ira ſua natura,& atrox,& crudelis,& fera.

Qualis Alexāder Magnus.

Quæ cum omnibus eſt cauenda,tum ijs potiſsimum, qui calidiore ſunt corporis temperamento.Nam iſtiuſmodi homines , & facilius in iram inflammantur , & ad nocendum ſunt procliuiores . Talem fuiſſe Alexandrum ferunt Philippi regis filium. Qui quàm ferueuti eſſet naturæ temperamento,ſuauiſsimus odor ille qui ex eius corpore ueſtibusq; manabat,certiſsimum ferebat argumentum . Nemo enim doctus peritusq; ignorat,qui ſuauiores in Italiam odores afferuntur,eos omnes ex Arabia ad nos,& India, & Orientali aduehi Aethiopia , quæ quidem loca calidiſsima ſunt,præcipueq; feruentia. Itaq; æquiore nos animo ferre decet repentinam illam Alexandri atq; atrocem iram,qua uictus aliquando Clitum, quē æquè diligebat , periucundumq; habebat,ac ſeipſum ; utpote qui unà eſſet educatus , ſua dextra trāsfodit inter epulas.Et Caliſthenem, quem habuerat condiſcipulū, miſerabiliter mori iuſsit.Et Lyſimachum,ſibi familiariſsimū leoni obiecit.

Qualis Auguſtus Cæſar.

Quid dicam de Cæſare Auguſto ? quo iuuene nec iracundior, nec crudelior quiſquam ; ſene autem nemo humanior,nemo clementior, nemo fuit manſuetior ? Is cum legem de

gem de adulteris tuliſſet,qua ſanxerat, quo pacto adulterij reos iudicari oporteret,cumq; eſſent in adulterio deprehenſi, puniendi forent; poſtea uerò adoleſcentem,qui de Iulia eius filia eſſet inſimulatus, præ ira ipſe percuteret: cumq; ille reclamaret, Legem tuliſti Cæſar, *Vſqueadeò pœnitentia ductus eſt,ut illum diem egerit incœnatus. Indignum enim ducebat uir grauiſsimus,qui legem tuliſſet, quicquam agere quod legi aduerſaretur. Idem quum Atheniẽnſium populus quippiam aduerſus ſe deliquiſſet, ſcripſit ex Aegina putare ſe, ſuam illis iram obſcuram non eſſe; non enim Aeginæ hyematurum ſeſe. Aliud uerò ijs nihil neq; dixit neq; fecit. Quantam uim habet animi moderatio, quæ à ratione,conſilioq; profecta,turbationem iracundiæ omnẽ,impetumq; compeſcit, ſedat,moderatur? Nec ſanè intereſt parum inter iram & iracundiam. Iram dicimus eo diſtare ab iracundia,quo & ab ebrioſo ebrium,& à timido timentem. Poteſt enim iratus non eſſe iracundus. At iracundus non poteſt alteri iratus non eſſe. Cuperem ea nobis eſſet uerborum copia, qua Græci iram in ſpecies multiplices diſtinguunt. Nam ut amarum, & acerbum,& ſtomachoſum,& rabioſum, & clamoſum,& difficile; et quod delicatum eſt iracundiæ genus; moroſum dicimus; ita aliæ ſunt atq; aliæ differentiæ. Nam iras quaſdam eſſe uolunt, quæ inter clamores deſinant;quaſdã æquè pertinaces ac frequentes, quaſdam ſine motu,quæ uerbis ſunt pareiores; quaſdam effuſas, in maledicendi amaritudinem;quaſdam uerò, quæ in quærelis dumtaxat, aduerſationibusq; conſiſtunt. Et cum alias iras quaſdam arctas,& graues, atq; introrſum uerſas; tum alias penè innumerabiles earum ſpecies afferre in medium poſsimus, quas ob uerborum inopiam miſſas facimus. Cæterum illud ſit nobis certum firmiſsimumq; præceptum, nihil ab eo rectum, nec utile geri poſſe, quẽ ira ſibi ſubiecerit. Nec ulla ratione fieri poteſt,ut quod iubet Ariſtoteles aſſequamur, cum ait; Illa uti oportere, ut milite imperator ſolet; eſſeq; illam neceſſariam prorſus; nec poſſe quicquam ſine ira expugnari, niſi prius ſcilicet animum illa impleat,ſpiritumq; accendat. At ego hac una in re diſſentio hoc tempore ab Ariſtotele plurimum. Nam cum propriũ iræ opus exulcerata quædam, atq; accenſa contumacia ſit; quo pacto queat adduci,ut pareat rationi,cui maximè aduerſatur? An ignoramus eam eſſe iræ naturam,ut libidine ſua ſemper ferociaq; feratur? quæ non plus utilitatis miniſterio ſuo queat animo afferre,quàm pertinax miles, qui ſui ducis imperium negligens receptui non paret. Quare ut hic miles perindè ac pernitioſus,non eſt inter auxilia admittendus; ita etiam ira detrimenti ſit plurimum allatura; ſi ſe maluerit quàm rationem ſequi,ut indomita ex ſeſe atq; efferata Quòd ſi fortè fortuna rationis iuſsis obtemperet, & qua illa duxerit ſequi uelit,quo pacto ira dicenda ſit,quæ & ulciſci ſemper cupit, & dolorem quo ſe cenſet iniuſtè affectã, dolore penſare? Nec ſatis habet ut quaſi par pari, tantundem doloris referat, quantum acceperat; ſed longè maiore menſura, quòd in reddenda gratia fieri iubet* Heſiodus, *acceptam metitur iniuriam,& ita quieſcit nunquam; niſi in ea reponenda addatur etiam contumelia. Quàm mihi probatur uehementer Telecli regis manſuetudo, qui ut erat animo generoſo ac ſublimi,nulla ciuium irritabatur*

Quid interſit inter iram,& iracundiam.

Præceptũ Contra Ariſtotelem de ira.

Perſtat in ſimilitudine militis allata ab Ariſtotele.

Telecli Regis manſuetudo.

tabatur iniuria? Quo factum audimus, ut eſſet illis chariſſimus omnibus. Hic eſt ille Teleclus, qui aliquando fratri, qui ciues accuſaret, quod ſibi magis, quàm illi aduerſarentur, reſpondiſſe tradunt; Tu enim frater, quas ipſe ſcio, iniurias pati neſcis; Cui enim dubium eſſe debet, quanto quis alios & dignitate antecellit & poteſtate, tanto eum decere, & placabiliorem eſſe, & ad ignoſcendum faciliorem, magisq; exorabilem? Cum Eumenen Perſei circumuentum inſidijs obiſſe diem rumor eſſet perlatus Pergamum, Attalus eius frater diademate impoſito, uxoreq; eius accepta regnum ſibi uendicauit. Idemq; ubi primum accepiſſet Eumenen uiuere, obuiam illi cum ſtipatoribus uti conſueuerat factus eſt, manu haſtile ferens. At eum frater comiter hilariq; uultu complexus eſt, dixitq; ad aurem; Ne feſtines ante uxorem capere, quàm me mortuum uideris. Nec aliud ſuſpecti quicquam in omni uita non modo aut dixit aut fecit; quin potius cum ex hac luce foret migraturus, & uxorem illi reliquit & regnum. Pro quibus quidem fraternæ charitatis officijs, Attalus quoq; nullum ſibi aluit filium, cum multos ſuſcepiſſet; ſed Eumenis filio, cum primum in adultam ueniſſet ætatem, ipſe adhuc uiuus ultrò regnum tradidit. At Pyrrhus rex Epirotarum cum accepiſſet, à quibuſdam ſe adoleſcentibus, multis inter potandũ conuitijs maledictisq; oneratum, iuſſit eos omnes interdiu coram agi. Qui ubi adfuerunt, rogauit eorum primum an ea dixiſſent? Cui continuò adoleſcens minimè inſidſus, hæc nempe rex diximus, dixiſſemusq; longè plura, ni uinum nos defeciſſet. Cui dicto perbenignè rex arridens, eos omnes, ne caſtigatos quidem uerbo, liberè dimiſit. Nec minore placabilitatis laude dignus eſt iudicandus Philippus Alexandri pater; qui ſuadentibus amicis, ut Nicanora, qui maledictis ſe laceraret, accerſitum plecteret; At Nicanor, inquit, non eſt Macedonum nequiſſimus. Quare conſiderandum eſt, ne quid aduerſum nos agatur. Idemq; ubi didiciſſet, Nicanora inopia uehemẽter affligi, eſſeq; ab ſe neglectum; imperauit largitionis quiddam illi dari. Quam ob rem cum Smicythus, qui modo eum apud Philippum maledicẽtiæ inſimularat, diceret Nicanora mirificas de eo laudes apud oẽs aſſiduè prædicare; Videtisne (inquit) Philippus in nobis eſſe & uituperari & laudari? Nec rurſum eſt ſilentio inuoluendum, quanta cum animi moderatione & patientia, idem Philippus ſe præſtiterit, & in Democharem Athenienſium legatum, & in uniuerſos Athenienſes. Is enim Demochares, homo natura audax & maledicus, ad eum uenerat unà cum alijs legatis Athenienſis populi, cum Philippus perbenignè audita legatione inquit; Dicite mihi obſecro quid facere me oportet, quo maximè Athenienſibus gratificer? Excepit continuo Demochares, ut te ſuſpendas. Cumq; ingens circumſtantium indignatio ad tam cõtumelioſum dictum exorta eſſet, regemq; in Democharem omnes irritarent; Ille ut erat animo elato, & nulli perturbationi deditus, iuſſo ſilentio Democharem ſaluum, incolumemq; dimiſit. Conuerſusq; ad alios legatos; Vos (inquit) cæteri legati Athenienſibus nunciate, multò ſuperbiores eſſe qui iſta dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt. Eos autem, qui conſulebant amarius utendum eſſe Athenienſibus, inſanire dicebat, qui hominem, qui ad gloriam omnia agendo patiendoq; referret, ſpecta-

culum

Non eſſe decorum iraſci.

culum gloriæ iuberent amittere. Dilucidè hi ſapientiſſimi, ac maximi reges nos docent, ne unquam ad iram prouocemus animos liberos & elatos. Quippe qui norint nil minus hominis eſſe, quàm iraſci. Si ſeipſos homines iraſcentes intueri poſſent, uix aliud quicquam magis deteſtaretur, quàm iram. Quod ipſum prudentiſſimè conſiderans Hyeronimus Rhodius; *Quid opus eſt (inquit) cum aliquē uelis cædere, tua labra mordere? ſunt enim plerunq; aliqui auribus ita delicatis, ut pro minimo quidem uerbo, quod ſibi permagnæ ducunt non iniuriæ ſolum, uerumetiam contumeliæ, uſq; adeò excandeſcunt, ut tanquam rabioſi canes ſpument ore. Et eadem aſpicias iraſcentium, quæ furentium hominum indicia, audaciam & minas in uultu, crebra ſuſpiria, eaq; uehementia; ruborem in toto ore, & oculos tanquam emicare. Et quoniam æſtuat ſanguis ab intimis uſq; præcordijs, & quatiuntur labra, & mēbra omnia contremiſcunt. Quid multis eſt opus?* Vel *conijcere oculos in iraſcentium faciem, horribile uidetur, monſtriq; ſimillimum. Et cum cæteras animi affectiones diſſimulare poſſumus, eaſq; cælare, & in abdito diu alere, ſola ira ſe continuò profert, & prodit in faciem. Et quanquā cæteræ quoq; affectiones aliquando tandem ſigna aliqua de ſe dent, ut prænoſci queant; eas tamen apparere dicas; iram uerò tanquam altius ſublato uexillo eminere quàm primum. Et cum non ſit ea hominis natura ut appetat pœnam, quippe qui ab omni feritate alienus, creatus ſit ad imaginem & ſimilitudinem* D E I; *qui ut humanum genus, quod perierat, recuperaret, ſeipſum tradidit; Quis audeat affirmare iram eſſe ſecundum naturam hominis, cum ipſa cum ulciſci cupit, pœnæ appetens non eſſe non poteſt? In quam quidem ſententiam, cuius aut auctoritatem, aut etiam rationem malimus ſequi, quàm ſummi illius grauiſſimiq; philoſophi* Platonis, *quo &* Ariſtoteles *doctore annis uiginti eſt uſus?* Apud *illum enim ita reperimus ſcriptum;* Vir *bonus non lædit, ſed pœna.* Bono *igitur uiro pœna non conuenit, quare ne ira quidem; quoniam pœnæ ira conuenit. Quod ſi uiro bono pœna non conuenit, ne gaudebit ea quidem affectione, cui pœna uoluptati eſt. Quo fit ut pœna naturalis non ſit. Nec ſim tamen adeò pertinax, ut minus affirmem primam illam, atq; uelociter inſurgentem animi ad iraſcendum concitationem, ſicuti alios item motus, & naturalem eſſe, & quæ à nobis euitari non poſſit, ſed illa certè ira non eſt; quoniam nec noſtra opinio, nec uoluntas ad eam acceſſerit. Quare non ira dicenda eſt, nec exiſtimanda; ſed eius affectionis præparatio quædam atq; cōminatio. Sed cum primæ illi concitationi naturæ non ratione repugnamus, ſed aſſentimur potius, & hanc aſſenſionem pertinaciter continuamus; iracundiam eam noſtra culpa efficimus, cui nulla rationis remedia poſſunt afferri, ni fortaſsis* Hercules *aliquis offeratur; qui* Cerberi *immanitatem, diuina ui quadam ſubigat atq; opprimat. Nam eam humana potentia domitam reddere nulla queat. Quod ſi in uitio nulla mediocritas eſt, utpote quod uirtuti, perindè atq; extremo extremum aduerſetur uitium, ad quam mediocritatem iracundia redigi queat, non modo non comprehendo animo, ſed ne ſuſpicione quidem attingo. Aduerſatur enim ſemper ſua natura repugnatq; rationi. Quare nunquam is mihi laude dignus cenſendus eſt cui ira dominatur.*

Irā non eſſe ſecūdum naturam hominis.

Platonis ſententia.

Primi motus iræ naturales.

In uitio non eſſe mediocritatem.

minatur. Nam *dominari illā ſemper uelle neceſſe eſt, quæ rationis imperio ſe nō ſubijcit.* Nam *ubi ſe ſubiecerit, iram ſe dici nō patiatur, quæ dominari natura uelit, non parere.* Itaq; *contra primam iracundiæ cauſam pugna eſt ſuſcipiēda, quæ alia nulla eſt, quàm iniuriæ falſa quædam opinio* Neq; *ira, nec alia ulla affectio, eſſe cuiquam adiumento homini poteſt. Secus autem forſitan uſu uenit in cæteris animantibus, cum leones adiuuet iracundia, pauor ceruos, impetus accipitrem, columbam autem fuga.* Deſinant *ergo* Peripatetici, *aut alij ſi qui ſunt* Peripateticorum *ſtudioſi, mediocritatem in ira laudare; quæ cum ſit animi concitatio, quæ uoluntate, & iudicio ad ultionem pergit, nullis cuiuſquam uirtutis terminis poteſt includi.* Illum *ego placabilem, illum clementem, illum humanum, manſuetumq; appellabo, apud quem iracundiæ locus nullus erit, qui ab omni ultionis cupiditate alienum ſe præſtabit.* Talis *mihi uiſus eſt* Piſiſtratus, Talis Antigonus, *talis* Archelaus, *talis* M. Cato. Hunc *enim quidam in balneo percuſſit imprudens.* At Cato *cum à nonnullis irritaretur ad ultionem, reſpondit;* Ego *non memini me percuſſum.* Is *non agnouiſſe percuſſorem, quàm de eo ſupplicium ſumere potius duxit.* Et Archelaus *cum à quodam aqua eſſet inſperſus, is irritatus aduerſus hominem ab amicis;* At *non me inſperſit, inquit, ſed illum potius, quem eſſe exiſtimauit.* Antigonus *uerò primus, cum milites per hyemem aliquando coēgiſſet in eo loco mouere caſtra, ubi rerum neceſſariarum non mediocris erat penuria, ac manipulares duo procubitores ad regis tabernaculum in eum maledicerent; ij quidem neſcij, quod rex prope eſſet;* Antigonus *tabernaculo uirga paululum patefacto;* Flebitis, *inquit, ni longius remoti maledictis in nos utemini.* Idem *nocte quadam cum è ſuis militibus quoſdam exaudiſſet, qui mala omnia ſibi imprecarentur, à quo forent in iter illud luto inextricabile adducti; illico ad eos acceſſit, qui maximè laborabant, & ijs ignorantibus, à quo adiuuarētur, coram declaraſſet;* Nunc *(inquit) maledicite* Antigono, *cuius uitio in haſce miſerias incidiſtis;* At *ei benè optate, qui uos ex hac uoragine eduxerit.* Audiamus *nunc* Piſiſtratū, *quem minimè fortaſsis iniuria ſapientibus uiris annumeratū legimus.* Fuit *enim & moderatus, & omni ira ſuperior.* Erat *huic filia forma præſtanti; cuius amore captus* Thraſybulus, *cum illam miſerè deperiret, ſe continere adoleſcens non potuit, quin obuiam factus inter eūdum puellam ſuauiaſſet.* Quare *cum* Piſiſtratus *ab uxore, ut ſunt natura mulieres procliues ad ultionem, irritaretur, exaſperareturq; in* Thraſybulum, *ſurridens inquit;* Si *qui nos amant, mea uxor, oderimus, quid ijs faciemus quibus odio ſumus?* Itaq; *ſecum ipſe conſiderans uim impetumq; amoris, uirginem* Thraſybulo *dedit uxorem.* Idem *ubi cantores quidam laſciuiores in eius incidiſſent uxorem, multaq; petulanter dixiſſent, egiſſentq;;* Poſtridie *uerò* Piſiſtratum *adeuntes, eum lachrymantes, ut ſibi ignoſceret precarentur;* Vos *(inquit) enitimi poſthac ſaniores eſſe.* At *mea uxor nuſquam heri prorſus profecta eſt.* Accepimus *eūdem quoq;* Piſiſtratum, *cum ab homine ebrio multis conuitijs eſſet maledictisq; affectus, perindè atq; unus omnium crudeliſſimus, proptereaq; à ſuis uehementius incitaretur, ut in contumelioſum illum obiurgatorem animaduerteret grauius; accepimus (inquam)* Piſiſtratum *ea maledicta omnia*

Affectiones non adiuuare homines.

Viri māſueti & eorum dicta.

cta omnia perplacido tuliſſe animo; iјs uerò, qui alij hinc, alij illinc faces ſubderе, eumq́; ad uindictam inflãmare niterentur, reſpondiſſe; Quæſo quieſcite; Nam ego illi homini non magis ſuccenſeo, quàm ſi quis obligatis oculis in me occurriſſet. Conſiderauit Piſiſtratus, ut opinor, quod etiam Plato multos poſt annos affirmauit, hominem plantam eſſe cœleſtem, ob idq́; caput, quaſi radicem, erectũ ad cœlum tollere. Itaq́; naturam quoq́; cœleſtem repræſentare eum oportere, & ut pars illa mundi ſuperior, quæ cœlo contigua eſt, miro quodam ornatur ordine & nubibus, & fulminibus, & tempeſtatibus, & omni turbine tonitruq́; uacat, ita animus excelſus ſibiq́; conſentiens, nullo tumultu, nullis perturbationibus tangitur, ſed ſua quiete tranquillitateq́; munitus, ut nihil petit extrinſecus, utpote qui ſeipſo contentus eſt; ita ea omnia intra ſe premens, quibus ira uires contrahit, mirificam modeſtiam quandam moderationemq́; præ ſe fert, quorum nihil omnino de ſe ira pollicеatur. Ira enim ſua natura crudelis eſt, & ita efferata, ut per omnem animi impotentiam, atq́; immanitatem ſanguine ſemper gaudeat, lætetur, geſtiat, exultet. Rem autem ita habere Annibal ipſe docet, qui ſanguinis humani foſſam plenam conſpicatus; O formoſum ſpectaculum dixit. Et idem Voluſus ille ſentiens, qui ſub Cæſare Auguſto Aſiæ proconſul cum eſſet, & homines eodem die trecentos ſecuri percuti iuſſiſſet, elata ceruice uultuq́; ſuperbo inter cadauera ipſa incedens, quaſi magnificum & egregium quoddam facinus geſſiſſet, proclamans Græcè, O πρᾶγμα, inquit, βασιλικόν; O rem, inquit, regalem. Et cum in omnibus ira periculoſa eſt, tum in iјs maximè principibus, qui pro ſua libidine omnia metiũtur. Qualis uir habitus eſſet M. Marius, illud de eius bonitate publicum iudicium, non dubium affert teſtimonium; quod uicatim ei populus Romanus ſtatuas poſuerat, & thure uinoq́; ſupplicabat. At huic tali, tantoq́; uiro, L. Sylla, ut erat unus omnium maximè iracundus, crura perfregit, oculos eruit, manus amputauit, & pro ſingulis eum paulatim, et per ſingulos artus lacerari iuſsit. Atq́; idem L. Sylla, poſteaquàm dictaturam poſuiſſe dicebatur, ſeq́;, exutus tyrannum, ciuili reddidiſſet togæ, ciues Romanos ad ſeptem milia trucidauit. Et cum in ipſo tanti, & tam atrocis, atq́; truculenti, diriq́; facinoris initio, ad ædem Bellonæ ſedens, tot ciuium Romanorum eiulatus ſub gladio, atq́; exclamationes exaudiſſet, uultu minaci furibundoq́;, uidiſſetq́; Senatum tã horribili exterritum ſpectaculo; Hoc (inquit) agamus populo Romano, ſeditioſi pauculi iuſſu meo occiduntur. Sed quid de ciuitatum dominis, quid de regibus dicemus? Prætereo Phalaridis taurum, prætereo Clearchum, prætereo Apollodorũ, prætereo Lyſimachum, prætereo C. Cæſarem, Auguſti ex filia nepotem, prætereo Leonta, pretero etiam Neronem ipſum, ne tantam hominibus noſtris faciamus iniuriam; ut quos mites atq́; manſuetos haberi cupiam, eos omnem barbariem, ubi ſe ira inferiores præſtitiſſent; per omne crudelitatis genus ſuperaſſe oſtendam. Paucis igitur externarum gentium utamur exemplis. Tradũt illuſtres quidam rerum geſtarum ſcriptores Cambyſem Cyri illius ſenioris filium, qui primus regnum in Perſis conſtituit; uniuerſi populi nares ira percitum in Syria reſcidiſſe. Vnde etiam locus ille ubi ea ſæuitia eſt perpetrata Rhinocolos appellatur.

Declaratio pulchra dicti Piſiſtrati ex loco Platonis.

Iram ſemper eſſe coniunctam cũ crudelitate

Exempla multa.

latur. Et Darius ille, qui ubi Mago imperium eſt ablatum, Perſide primus, & magna Orientis parte potitus legitur. Cum bellum Scythis indixiſſet, qui Oriē-tem ditione cingebant, ab illuſtri ſene Orobazo rogatus, ut unum ex tribus liberis quos habebat, ſibi in ſolatium ſuæ ſenectutis relinqueret, aliorum autē opera pro ſua uoluntate uteretur; indignatus ille reſpondit; Eſto bono animo Orobaze, nam eos tibi remittam omnes; quos continuò in eius conſpectu occiſos abiecit. At Xerxes multo ſe Dario benigniorē exhibuit; qui Phythio ex quinq; liberis quos habebat, unius uacationem cum precaretur, reſpondit; Tua Phythi ſit optio, ut petas quem malis, deindè in duas illum, quem petiſſet, partes diſtractum, ab utroq; uiæ latere poni iuſſit; & ita, ut ira exæſtuabat, eiuſmodi hoſtia illum omnem luſtrauit exercitum, quem ex quinquiesdecies centenis hominum milibus conflarat, talem in ſuis habiturus euentum belli, quali in imolando Phythij filio fuerat uſus initio. Sed quoniam iam mihi ſatis oſtendiſſe uideor, quid de ira ſit, & iracundia ſentiendum; & ſi qua præterea dicenda reſtant, alio loco ſumus explicaturi; quæ de Manſuetudine reliqua ſunt præcepta, perſequamur.

Hactenus de ira, & iracundia.

MANSVETVDINEM *igitur mediocritatē quandā eſſe diximus, inter irā & ſegnitiē. Verum māſuetudinis extrema, fuerunt qui poſuerint per exceſſum quidem crudelitatem, per defectum uerò indolentiam. Quam ſentētiam ſequutū uideo Plutarchum in libro de Morali uirtute. Et crudelitas ſanè eſt, quædam animi in exigendis pœnis atrocitas, quæ ipſa clementiæ maximè opponitur. Non enim in illis crudelitas locum habet, qui etſi læſi non ſunt, nec ulla in delinquentem ira perciti, cum nullum anteceſſerit delictum, ſæuiunt tamen in homines torquendo, occidendoq; quos forſitan nunquam uiderint, quales ſunt latrones prædonesq;, & quos nominant Peripheten, Sinin, Scirona, ceterosq; huiuſmodi. Nam ij quoniam immanium belluarum ſequuntur imitanturq; feritatem, non tam crudelitatis, quàm feritatis nomine digni ſunt, utpote qui ne minima ipſi quidem læſi iniuria, tum magis lætantur, cum uehementius lædunt; communes humani generis* DEIq; *hoſtes atq; inimici. At Crudeles illos appellamus, quorum animi ad aſperiora inclinati, maiores exigunt pœnas, quàm pro perpetratis delictis debeantur, qualem Phalarin extitiſſe conſtat, & longè magis quàm Phalarin, Nedium Pollionem. Hic enim Nedius Pollio, ut erat uel ob minimam offenſionē procliuis ac præceps ad iracundiam, continuò exclamans, ac toto corpore concitatus ac furens, dentibusq; infrendens, ſeruum qui uas criſtallinum fregerat, rapi iuſſit, ut eum murenis, quas & multas & ingentes in piſcina ſeruabat, deuorandum obijceret. Nam ut erat homo acerbis moribus ac ſæuus, uulgari pœna contentus eſſe non poterat. Miſerabilis puer ille ita raptus ut erat, uel conſeruorum commiſeratione, quos omnes ſi quid etiam minimum peccaſſent eadē pœna manebat; uel benignitate diuina quadam ex illorum elapſus manibus, ad pedes Cæſaris Auguſti confugit, ab eius clementia auxilium implorans; non ut mortis pœnam non daret; ſed ne periturus murenis eſca obijceretur; Auguſtus enim apud Nedium Pollionem cœnabat. Quare motus immanis hominis ſæuitia, ut erat princeps humaniſſimus iuſtiſſimusq; iuſſit confeſtim & puerum liberum eſſe,*

Nunc de mā ſuetudine.

Extrema manſuetudinis.

Qui dicantur crudeles.

rum eſſe, & illa omnia uaſa criſtallina coram ſe frangi, & in uiuarium illud proijci. Huiuſmodi exemplo monens, & ira nimia eſſe abſtinendum, & ab omni cauendum materia, qua in iram poſſimus accendi. Eiuſmodi igitur mediocritatẽ, manſuetudinem eſſe uolo, quæ inter ſegniciam uerſatur, & naturalem illum motum, qui eſt tãquam præparatio quædam ac principium iraſcendi.

Mãſuetudo media inter quæ.

Hic enim motus non difficulter à ratione compeſcatur, eiq́; pareat, nec longius aut uehementius, quàm illa iuſſerit, progrediatur. Nam ſi magis quàm par ſit quiſquam læſus moueatur; hic iracundus dicetur, extremumq́; iracundia; qui uerò nulla mouetur iniuria, uel ſua uel aliena; hũc ſegnem fatuumq́; uocabimus, et extremum ipſum ſegniciam ac fatuitatem. Non enim is ſolus fatuus eſt dicendus, qui neq́; quod ipſe, neq́; quod alij fantur, intelligit, ſed etiam homines illos dicemus fatuos, qui tanquam ſtupidi & uecordes, nullo prorſus tanguntur naturali motu, & iccirco ſuo proprioq́; nomine ſegnes, & habentur & ſunt. Nam non minus ratio eſt habenda de alterius iniuria, quam propulſare ipſi poſſimus; quàm de noſtra; cum homo hominis gratia natus ſit; ob eamq́; rationem communi hominum utilitati dignitatiq́; debeat conſulere.

Etiam aliorum iniuriæ propulsãdæ

Cæterum minimis quibuſdam moueri iniurijs, muliebris eſt ingenij. Eoq́; magis quiſq́; accuſandus eſt, quo celerius mouetur ad ulciſcendum ac facilius. Et ut animo decet uirum manſuetum & conſtanti eſſe & tranquillo; ita etiam uultu ipſo lenitatem oſtendere, ſeq́; à conuitijs & litigijs alienum præſtare, & ad caſtigandum, dum opus eſt, quàm ad plectendum propenſiorem.

Non omnibus iniurijs debemus moueri.

Verùm in ipſa caſtigatione uerbis ijs eſt utendum, quæ non contumelia modo uacent, ſed etiam inſolentia. Pœna uerò cum omni moderatione animi inferenda, quo uiedamur non ſponte uti eiuſmodi animaduerſione; ſed ne iure poſſimus iniuſtitiæ accuſari, cum ſine iuſtitia ſtare nulla poſſit humana ſocietas. Nec enim iniuriam decet iniuria penſari, quod proprium eſt irati hominis opus.

Caſtigatio & pœna quomodo inferendæ.

At ira, quod iam ſæpè monuimus, periculoſius nihil. Itaq́; nobis imitandus eſt Dyogenes ille Cynicus, in quem de ira diligentius diſſerentem proternus quiſpiam atq́; impudens adoleſcens cum inſpuiſſet; id ut uir erat grauiſſimus, tulit mira cum lenitate, inquiens; Non equidem iraſcor, tametſi dubito iraſcendúmne ſit. Et ſapienter id quidem Diogenes, ut alia perſæpè multa. Nam cũ omnis iniuria indigna cenſenda ſit; nulla tamen ea indignior, quæ ab indigno inferatur.

Ira quàm periculoſa.

Ferunt Timagenen quendam rerum geſtarum ſcriptorem, permulta in Cæſarem Auguſtum, permulta in Liuiam uxorem & uniuerſam eius familiam proteruè petulanterq́; loquutum, quæ Auguſtus cum audiſſet, ſæpenumero illum monuit, ut moderatius lingua uteretur, maledictiſq́; abſtineret. Cui ille, ut erat deprauato corruptoq́; ingenio, cum indies magis magiſq́; importunum ſe præberet, interdixit homini Auguſtus domo ſua. Nec tamen præcluſa domus Auguſti Timageni, clauſit ædes cæteras urbis Romæ; Nam in contubernio Aſinij Pollionis conſenuit, idemq́; libros, quibus Auguſti acta continebantur, igni tradidit, nec deſtitit quicquã agere, quo meritò, optimoq́; iure iratum principẽ reddere debuerat in perniciem ſuam. At ille qui iudicabat magni eſſe animi munus, non ſentire improbi hominis percuſſionem; omnem Timaginis uel iniuriam uel

Exempla.

contumeliam æquo animo tulit; cum libros etiam, quos de ſuis & rebus geſtis & laudibus ante ſcripſerat, noſſet ab eodem publicè recitatos atq; combuſtos. Quid? quod ne minimum quidem uerbum cum Pollione *unquã eſt queſtus, quod illũ apud ſe haberet? Cumq; aliquãdo iocatus ei dixiſſet* Græcè θηριοτρόφε, *hoc eſt altor belluæ, ob eamq; rem pararet* Pollio, *domo quoq; ſua* Timageni *interdicere, noluit Cæſar Auguſtus; quin (inquit) fruere* Timagene Pollio, *fruere.* Et *cum rurſus dixiſſet* Pollio; *Si iuſſeris Cæſar, ſtatim illi domo mea interdicam;* Hoc *me, reſpondit, putas facturum, cum ego uos inuicem reconciliarim?* Fuerat *enim aliquando* Timageni *iratus* Pollio, *cum Cæſar illos in gratiam reduxiſſet.* Quid *erat facilius Auguſto, aut etiam iuſtius, quàm de* Timagene *ſupplicium ſumere? At norat oportere principem nulli iræ uideri conceſſiſſe, ſed & manſuetum eſſe, & omnia, quantum in eo eſt, reddere manſueta.* Nam *principum uita eſſe cæteris debet exemplo. Sed ne ſim oratione prolixior, quàm ratio iubet, eum ego mãſuetum exiſtimabo, qui quod medium eſt inter parum et nimis, aſſequi tueriq; ſtudebit.* Quod *ſi alteratram in partem ab extremis fuerit declinandum, is mihi magis laudandus uideatur, qui, modo nemini fiat iniuria, ueniam maluerit; quàm ultionem ſequi; præſertim cum ſcriptum ſit;* Iraſcimini *&* nolite peccare. *Sed iam tempus monet, ut ad* Fortitudinis *præcepta tranſeamus.*

Fortitudo media inter metum, & audaciam.

VOLVMVS Fortitudinem *eſſe, mediocritatem quandam inter metum & audaciam.* Nam *uirtutes quaſdam eſſe mediocritates, ita non difficulter probari poteſt. In mediocritate poſitum eſſe, quod bonum optimum dicimus, philoſophus nullus diſſentit. At uirtus eſt optimus habitus, per quem, & boni ſumus & iure laudamur. Quo fit ut optimum ſit, quod medium dicitur. Quare ſi audax ille eſt, qui & ubiq;, & aduerſus omnes, & omnibus de rebus, & omni tempore, & magis quàm oportet, audacem ſe præſtat; & qui hæc facit uituperatur, cum neq; aduerſus omnes audendum ſit, nec omnibus de rebus, nec omni tempore, nec omni item modo, nec ubiq;; & qui harum ſimiliumq; circunſtantiarum rationem non habet; ſe uituperationi facit obnoxium.* Nec *item contra ita habere oportet, ut nullo pacto audeat. Indeq; fit, ut neq; audax, neq; timidus laudetur: cõſequens eſt, ut qui horum medius fuerit, & fortis dicendus habenduſq; ſit, idemque laudandus.* Nam *is, qui neq; excedit elatus audaciæ temeritate, nec deficit deiectus metus ignauia, ſed mediocriter habet; & fortis eſt, et laudatur, habituſq; ipſe uocatur fortitudo; quippe quæ harum affectionum mediocritas quædam ſit; illud nobis ſuppoſitum ſit, neminem dici fortem uirum, ni ſemper idem ſit fortis.*

Qui nõ ſint habendi fortes.

Non *enim illum ego uirum fortem exiſtimabo, qui propter aliquam animi perturbationem, uideatur quicquam fortiter agere; quales ſunt uel amore capti, qui nullum uitæ periculum ſubterfugiunt, quo re concupita potiantur, uel ſuis rebus deſperantes, ut eſt apud* Virgilium;

» *Vna ſalus uictis nullam ſperare ſalutem.*

AVT *qui non tam conſilio, aut* Fortunæ *fiſi, extremis periculis temerè ſe committunt, ut legitur item apud* Virgilium;

» Audentes Fortuna iuuat.

Nec illos

Nec illos item fortes habendos cenſeo, qui periculi magnitudine coacti in pugnam prodeunt. Nam eo pacto & apros & urſos diceremus fortes; qui dum à canibus atq; uenatoribus circumdatos ſenſerint, intrepidè feruntur in ipſa uenabula, quo ſe tutos reddant. Nec item illi fortitudinis laude ſunt digni, qui non conſilio, ſed pudore quodam, infamiæq; metu, uitæ diſcrimini ſe obijciũt, qualis fingitur ab Homero Diomedes, quem ita loquentem facit ad Hectora; *Alia ſpecies falſæ fortitudinis.* *Item alia.*

» Hector apud Troas dum ſeſe extollit & orat,
» Tytides dicet noſtræ formidine dextræ
» Fugerat ad naues. Nam ſic iactabit; At ipſe
» Malim; terra mihi penitus prius ima debiſcat.

Rursus que apud eundem Homerum inducitur Hector hæc loquẽs; *Locus ex Homero.*

» Hei mihi, ſi portas rediens murosq; ſubibo,
» Polydamanta probro primum mihi credo daturum,
» Qui reduces agerem Troas iuſsiſſet ad urbem,
» Nocte ſub hac miſera irrueret cum dius Achilles.

Hic enim, ſi Homero credimus, tãti faciebat nominis ſplendorem, ut etiam certam mortem ſubire non dubitaret, quo uitaret timiditatis infamiam. Hæc minus doctè Virgilius in eãdem ſententiam de Turno cecinit, ita inquiens; *Locus ex Vergilio.*

» Obſtupuit uaria confuſus imagine rerum
» Turnus; & obtutu tacito ſtetit, æſtuat ingens
» Imo in corde pauor, mixtoq; infamia luctu,
» Et furijs agitatus amor, & conſcia uirtus.

Non equidem illum ego unquam uirum fortem iudicabo, qui aut audebit, quod audendum non ſit; aut metuet, quod metuere non oporteat. Nam timere populares offenſiones, aut morbos, aut paupertatem, aut inimicitias, aut aliud quicquam; quod noſtra culpa non eueniat; nullam præ ſe fert fortitudinis laudem, aut etiam ignominiam popularem. Paulus Aemylius Africani poſterioris pater, cum ſecundum peteret cõſulatum, repulſam habuit. Quam ille, ut erat uir grauiſsimus, permodicè tulit. Intelligebat enim quanta eſſet multitudinis ſtultitia. Sed ubi eo usq; imperatorum uel imperitia uel mollitia itum eſt, ut bellum aduerſus Perſen, atq; Macedonas, indies diuturnius grauiusq; fieret, ne petens quidem, conſul eſſet declaratus; non dubitauit, profectus in medium, palam ſublataq; uoce dicere: Ego uobis Quirites gratias habeo nullas, quoniam non ſum à uobis creatus imperator; quod tam mihi imperio opus ſit, quàm uobis imperatore. Quæ autem natura metuenda ſunt, ut fulmina, ut ædium ruinæ, ut terræmotus, ut naufragia, ut peſtilentiæ; ſi quis in his intrepidum ſeſe, audacemq; præſtiterit, non fortis, ſed furioſus dicendus eſt, ac planè inſanus. Præclaræ mortes uirum fortem oſtendunt; ut eæ ſunt, quæ cum maximis laboribus & periculis, uel pro religione ac diuino cultu, uel pro patria ac parentibus, uel pro uxoribus ac liberis, uel aliter pro iniuria et contumelia propulſanda, impauidè atq; alacriter oppetuntur. Hinc L. Brutus, hinc tres Decij, pater, filius, ac nepos, hinc duo fulmina belli, ut eſt apud Ennium, Cnæus & Publius Scipiones, hinc M. *Deſcriptio ueri fortis, qui non metuit, nec audet omnia.* *Exẽpla ex hiſtorijs.* *Hæc Ariſtoteles lib. III. Eth.* *Vir fortis ex genere mortis cognoſcitur.* *Exempla multa.*

Marcellus,hinc Paulus Aemilius, qui cecidit apud Cannas, hinc alij penè innu-
merabiles Romani duces & magni uiri,doctorum omnium eloquentiumq́; uiro-
Exempla factorum, & dictorũ. rum & ore celebrantur & literis. Eadem ratio eſt de Leonida Lacedæmonio ad
Thermophylas; qui ad certam mortem paulopoſt profecturus; cum dixiſſent
Ephori,eum paucos ſecum ducere; Nequaquã (inquit)paucos ad quod negotiũ
proficiſcimur. Iiſdemq́; rogantibus,nunquid aliud facere decreuiſſet? Quidnam
inquit aliud, quàm Barbarorum tranſitum uerbo impediturus,re uerò pro Græ-
cis interiturus? Quare cum iam ad Thermophylas uentum eſſet, conuerſus ad
commilitones; Aiunt (inquit)o cõmilitones mei,Barbarum eſſe in proximo;qua-
re tempus non eſt terendum.Iam enim aut uincendi à nobis ſunt Barbari,aut no-
bis moriendum. Cumq́; dixiſſet quiſpiam; Hoſtes propè nos adſunt; & nos itẽ
propè illos,reſpondit,adſumus. Subdenteq́; alio,O Leonida aduerſus multos cum
paucis ades dimicaturus? Si me (inquit) multitudini fidere exiſtimatis, ne uni-
uerſa Græcia ſatis ſit,quippe quæ pro illorũ innumerabili multitudine, perbre-
uis quædam portio eſt.Sin autem uirtutibus ipſis fidimus, uel hic numerus ſatis
eſt.Eadéq́; alio dicente; Veruntamẽ(inquit) multos mecum ago,ut morituros.
Et cum iam hoſtes adoriri inſtituiſſet, ac magiſtri equitum monerent, alios ei
ſocios expectandos eſſe; Nonne hi adſunt(inquit)qui ſunt pugnaturi? An for-
ſitan neſcitis eos ſocios cum hoſtibus congredi, qui & uerentur et metuunt Re-
ges ſuos? Itaq́; illico appoſitis eſculentis conuerſus ad milites: Prãdete(inquit)
commilitones mei; nam apud inferos fortaſſe cœnabimus. Intelligebat profectò
Leonidas omne periculum eſſe pro libertate patriæ ſubeundum; & eam mortẽ
duci pulcherrimam oportere, qua in amiſsione paucorum publica ſalus conti-
neretur. Id quod certè ex ſententia ei contigit. Nam & hoſtes cum ingenti cæ-
de fudit,fugauitq́;,& ipſe cũ ſuis inter pugnandum præ laſsitudine uictor occu-
buit. Sed quid de uirorum fortitudine multi ſcribendo ſimus? cũ ipſæ quoq́; La-
cenæ mulieres, eadem fuerint animi magnitudine? Braſidas ad bellum egreſſus,
ut eos Græcos, qui Barbaris ſeruirent in Thracia, liberos faceret; ad Ephoros
ſcripſit, Quæcunq́; ſum detrimenta, atq́; perniciem illaturus,ea omnia bellige-
rabo,aut moriar. Cum uerò is occidiſſet Græcis Thraciæ liberatis, legati Am-
phipolitani,qui Lacedæmona miſsi fuerant; illius matrem Argileomda conſolã-
di gratia adiere.Quos ubi illa rogaſſet, præclarè ne Braſidas & pro dignitate
patria cecidiſſet; Ac illi Braſidan magnificantes ſummis efferrent laudibus, di-
cerentq́; nullum Spartæ alium talem eſſe,exhilarata illa primum eſt ad nuntium
de præclara filij morte, deinde ſubdidit; Non mediocris uos ignoratio tenet ho-
ſpites; Nam quamquam Braſidas fuit uir fortis, multos tamen habet Sparta
illo meliores. At Damatria,filium,quẽ didiciſſet & timidum,& ſeipſa indignũ,
ubi adueniſſet enecauit inſcripſitq́; hoc epigramma;

» Hunc timidum mater Damatrion ipſa peremit;
» Nec dignum matre,nec Lacedæmonium.

Lacenarum mulierum exempla. ALTERA Lacena, filium,qui ex acie fugerat,interemit, à qua hoc eſt
epigramma.

Vade

» *Vade malum germen, tenebras pete, quemq; p eroſus* Exempla multa Lacænarum.
» *Eurotas; ceruas nec fluat ad timidas.*
» *Si catulus nequam perrexeris, ito ſub Orchum;*
» *Nec Sparta dignus, nec generis titulis.*

ALIA *quoq; Lacæna cum accepiſſet filium decorè inter pugnandum occubuiſſe, ait;*

» *Sit flendum miſeris, hilaris te nate ſepulchro*
» *Condo meum pariter & Lacedæmonium.*

LACAENA *item alia filium aduenientem intuita, percunctata eſt quid ageret patria; qui cum reſpondiſſet; Omnes periere continuo ſublatam tegulam in eum immiſit atq; interemit, inquiens; Te igitur malum nuntium miſere nobis? Afferre poſſem alia huiuſmodi exempla permulta; quibus fortitudinis laudi etiam apud mulieres locum fuiſſe oſtenderem. Sed unum addidiſſe ſit ſatis. Cum mulier quoq; Lacæna quædam filios quinq;, quos habebat, ad eam miſiſſet pugnam, quæ in ſuburbijs gerebatur, ſtaretq; animo ſolicito, expectans euentum pugnæ, ubi quis aduenit, & de pugna percunctanti ſibi is nuntiaſſet obiſſe eius filios omnes; At nõ hoc ego (inquit) percunctabar ignauum mancipium, ſed quid agit patria. Cui cum ille reſpõdiſſet ab ea eſſe uictoriam. Libenter igitur (ait) accipio etiam mortem filiorum. Magnam uim habet ad omne uirtutis genus reipub. diſciplina, eiusq; obſeruandæ diligentia. Ea erat per Lycurgi leges rei militaris conſtituta diſciplina, ut timiditatem alere liceret nemini. Qua ipſa re factum audimus, ut eadem hora Archilochum poëtã Lacedæmone expulerint, cum primum didiciſcent eum poëticè ſcripſiſſe, melius eſſe amittere arma, quàm mori. Nam ita ſcripſit Archilochus.* Lacedæmoniorum diſciplina.

,, *Aſpida quæ circum perijt mihi Callipon alto*
,, *In luco, Saion poßidet ille meam.*
,, *At caruiſſe armis, quàm mortem occumbere præſtat;*
,, *Aſpide pro capta mox melior dabitur.*

NEC PROFECTO *abſurdè quicquam Lacedæmonios feciſſe arbitror, cum deceat poëtas reprehendere, non confirmare quadam canendi ſuauitate malos mores. Itaq; Plato quoq;, non Homerum, nec Heſiodum, ſed iſtiuſmodi poëtas, qui mores optimos, & optimũ reipub. ſtatum deprauare, corrumpereq; ſtudent, è ciuitate iubet expellendos. Quare illud Laconis dictum non ineptè à uiris grauißimis laudatur, qui rogatus cuiuſmodi poëta Tyrtæus eſſet: Bonus inquit, qui iuuentutis animos & contumelia imbuat, & ſtultitia. Fortis autem nemo eſt iudicandus, quem uel auaritia, uel luxuria, uel iniuſtitia, uel aliud quodquam flagitij genus impulerit ad agendum periculoſè. Nam ita & adulteri, & fures, et latrones, fortes eſſe uideantur, qui nullum in facinore perpetrando ſubterfugiunt uitæ periculum. Nec illum ego fortem exiſtimabo, qui non ſponte, & pro decoro, ſed coactus, aut pœna legibus conſtituta, aut ui aliqua ſeſe morti audaciter obijcit, nec ullo dolore cruciatuq; deterretur. Is mihi ſanè uir fortis habendus eſt, qui honeſtatis ductus cauſa nihil agit, quod ab ullo uirtutis genere* Laconis cuiuſdam dictũ de Tyrtæo. Qui fortis ſit dicẽdus.

 abhorreat

Probat Stoicorum definitionem de fortitudine.

abhorreat. Et cum uirtutis omnis habenda ſit ratio, tum iuſtitiæ potiſſimum. Non poſſum equidem non probare ueterem illam Stoicorum, pergrauemq; ſententiam, qua fortitudinem definiunt eſſe, uirtutem pro æquitate pugnantem. Quo quidem loco ſe mihi tempeſtiuè offert, quod puer quidam Lacedæmonius reſpondit, ut prudentiſſimus ſenex. Is enim cum inter pugnandũ fuiſſet in ludo ab altero puero percuſſus falce letali uulnere, ob eamq; neceſſitatem pugnam dimitteret: hortatus à familiaribus pueris ne id faceret, quod & auxilium ſe laturos pollicebantur, illumq; interfecturos; Nullo modo iſtud quidem, reſpondit, per deos immortales nullo modo; non enim eſt iuſtum. Nam ego etiam hoc feciſſem, ſi potuiſſem iſtum aſſequi, fortiſq; fuiſſem. Nunquam uir fortis utatur dolo malo, nunquam fraude, aut perfidia; ſed prudentia & conſilio potius. Præoccupabit conſilia hoſtium, iter omne inueſtigabit. Alia ſimulabit, cum aliud ſit facturus; referetq; omnia iure belli ad ſuam utilitatem. Nam alia eſt ratio hominis urbani atq; otioſi, alia militis & bellicoſi. Nunqnam ego minus fortem Annibalem arbitrabor, quod ad Trebiam, ad Thraſymenum, ad Cannas, & locorum, & temporum habens rationem, non minus prudenter, quàm fortiter tam præclaris uictorijs eſt potitus. Sed illud certè non ei potero nõ maximo dare uitio, quod quo tempore uictoria erat utendum, omnem laudem ſuam Campana luxuria obſcurauit. Et quamquam omni uitio uirum fortem uacuum eſſe decet, tum una luxuria, aliud nullum eſt dedecoroſius. Nam & prouidendi atq; iudicandi aciem obtundit, & corpus eneruat, & contemptum maximum parit. M. Antonius quàm diu ſub C. Iulio Cæſare militiæ operam dedit; res geſſit magnas atq; perilluſtres; Cum primum partitus orbem terrarum cum Cæſare Auguſto, ſe Cleopatræ in obſequium per omnes illecebras dedidit, conſilium omne probitatemq; amiſit, & in tantam deſperationem eſt actus, ut ſeipſum uita priuarit.

Vir fortis ex ſe ipſo pendet.

Vir fortis totus pẽdet ex ſeſe, nullam uim timet impetumq; Fortunæ. Quæ pericula eſt ſuſcepturus, quoſq; inituras labores, multò ante conſiderat. Quare cũ nihil ei inopinato poſſit accidere, ut intrepido quietoq; animo, res duras ac periculoſas aggreditur; ita magnificè ac fidenter bonæq; ſpei plenus, fortem ſe gerit ſemper; nec animo unqua in deficit, ſed uſq; magis magiſq; perſeuerat, per omnem laborum perpeſſionem; nullumq; detrectat uel incommodum, uel uitæ diſcrimen unius honeſtatis gratia.

Qualis ſit audax.

At ipſe audax, quoniam inconſultò agit omnia, feſtinat, minatur, clamat antequàm periculo ſe obiecerit; ſed ubi in rem præſentem eſt iam itum, continuo feruor animi ille omnis refrigeſcit; pauloq; poſt intellecta periculi magnitudine, rubor quem uæſana ira pepererat, in pallorem uertitur, & temeraria audacia, in metum tranſit; ut meliore ferè conditione timidus uideatur cenſendus, qui præ puſillanimitate nihil ſit auſus, quàm ipſe audax; qui magnificum de ſe quiddam polliceri uiſus, tam illico ſententia exciderit, uel nullo adhuc excepto uulnere in corpore.

Lex apud Lacedæmonios permittens furari.

Quis huic Therſitæ non puerum Lacedæmonium illum iure anteponat, qui propterea quod id aderat tempus, quo per Lycurgi legem licebat ingenuis furari, quidquid aliquis poſſet, dabaturq; turpitudini in furto quẽquam deprehendi; ubi pueri cum illo qui una aderant uiuam uulpeculam furati ei

ti ei aſſeruandam tradidiſſent; & illi qui uulpeculam amiſerant, ueniſſent eam quæſitum; qui (inquã) puer beſtiolam ſubiecit ſub amictum, at illa cum exaſperaſceret, ac pueri latus ad exta uſq; deuoraret; is ne res palam fieret, ne minimum quidem ſignum doloris repræſentans, in tanto corporis cruciatu quieſcebat. Sed ubi demum poſt quærentium abitionem reliqui pueri tam tetrum uulnus aſpexiſſent, eum increpabant inquientes. Nonne fuerat melius manifeſtare uulpeculam, quàm iſtam celare ad mortem uſq; ? Minimè quidem ille reſpõdit, quin longè melius eſt doloribus, quàm ſomno diem obire, & quàm hominum ſermonibus diuulgari, quod ob molliciam turpiter uiuere curauerim. Sed in hac uirtute magna & excellenti, cum ab omni perturbatione nobis cauendum eſt, tum ab iracundia maximè. Hæc enim plærumq; in cauſa eſt, ut nulla ſeruetur humana ſocietas. Nam qui ſe cæteris hominibus hac animi magnitudine præſtare animaduerterit, non facilè adducatur, ut uelit æquo iure cum cæteris uiuere. Itaq; ſuæ honeſtatis oblitus, nihil malit quàm imperare, & quod omnibus natura debet eſſe commune, id uertere in ſuum commodum. Quare iuſtitiæ legibus ſemper parendum eſt, nec ulli cupiditati ſeruiendum. Qui enim cupiditate illa cõcitati agere quicquam periculoſè aggrediuntur, euaduntq; uictores; bellicoſi atq; pugnaces dicendi ſunt, non magnifici ac fortes, cum fortitudo, & quæq; fortitudinis ſpecies, ab honeſtate dũtaxat debet proficiſci, & omnia referre ad honeſtatem. Honeſtas autem ita cuiq; conſulit, ut nemini fiat iniuria. Nec uirtus ulla ſibi nomen uirtutis aſciſcat, ſi minus cum cæteris uirtutibus conuenerit. Id autem contingere nemini poteſt, qui elatus animo, ſuperiorẽ ſe uelit, cum pari iure debeat, cum ciuibus uiuere. Quare qui putant iram adiuuare uirum fortem, inſanire mihi uidentur. Satis enim Fortitudo per ſeſe munita eſt, nullis eget ſtimulis. Tollit enim ſeſe cum opus eſt, nec ullo eget uitij cuiuſquam adiumento. Nam quis ambigat iram pro uitio habendam, cum uindictæ ſit cupida? Quin potius eo eſt periculoſior, quod cæteræ animi affectiones dilatione curari poſſunt; At ira nullam patitur dilationem, ſed mox inflammata ipſo etiam initio tota eſt, animóſque non tam ſolicitat, quàm abducit, atq; abſtrahit ad ſeſe, & uſqueadeò impotentes ſui & auidos reddit, ut communis publiciq; boni nullis ſuaſionibus, nullis adhortationibus uelint meminiſſe, cum deceat uirum fortem non iraſci, ſed exurgere, & quoad opus eſt, ita concitari remittiq;, ut à ratione nunquam diſcedatur. Nam ut honeſta mors, turpi uitæ eſt anteponenda; ita eſt omni non uitio ſolum, ſed uitij ſuſpitione abſtinendum. Iræ feruor in magnis etiam uiris, ſi quis apparet, reprehenſione non uacat. Itaq; non parum mirari Virgilium ſoleo, qui Aeneam, quem religioſum, quem pium, uel propter Cæſarem Auguſtum laudare debebat plurimum, oſtendit quandoq; ira inferiorem; cum de illo ita reliquit ſcriptum;

Iracundia debet abeſſe à fortitudine.

Reprehenditur Virgilius, quòd iram nimiã tribuat Aeneæ.

„ *Sæuæ iamq; altius iræ*
„ *Dardanio ſurgunt ductori.* Et alio loco circa nobiliſſimi carminis conſummationem ait;

„ *Ille oculis poſtquam ſæui monumenta doloris*

» Exuuiasq; hauſit, furijs accenſus, & ira
» Terribilis, Túne hinc ſpolijs indute meorum,
» Eripiêre mihi? Pallas te hoc uulnere Pallas
» Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit,
» Hæc dicens, ferrum aduerſo ſub pectore condit
» Feruidus.

Epilogus dictorum.

MOVERI quemq; decet ad res magnas periculoſasq; regendas, ut nō infamiæ, id quod eſſet uerecundiæ & modeſtiæ, nec item pœnæ alicuius metu, quæ ſine reprehenſione eſſe non poteſt; ita ne ira quidem, qua animus perturbatus ſui iuris non eſt, id facere iudicetur. Et ut neminem, qui per imprudentiam obit quicquam periculoſius & illuſtrius, fortem eſſe cenſemus; ita ne per confidentiam quidem. Quanquam & fiduciæ, & conſtantiæ magnanimitatis, & aliarū ſpecierum ratio, longiorem quandam requirit dictionem, quàm iſtam, ne tædium pariamus multitudine uerborum, in proximum uolumen quintum haud intempeſtiuè atq; inutiliter reijcimus. Nam Quartus hic liber ſatis creuit in cumulum.

QVARTI LIBRI FINIS.

FRANCISCI PHILELPHI AD LAVRENTIVM MEDICEM DE MORALI DISCIPLINA.

LIBER QVINTVS.

QVANTAM ſim ego Laurenti Medices noſtris hominibus utilitatem allaturus, ex huiuſmodi meo de Morali diſciplina ſcribendi munere, nondum ſatis intelligo. Tum uerò longè facilius iudicabo, cum mea hæc ſcripta uenerint in hominum manus; eorum præſertim, qui quemadmodum tu, iudicio ſint incorrupto et graui omnia expenſuri. Sed mihi certè non poſſum non lætari plurimum hoc tempore; qui cũ antea ſcripſerim quàm plurima de alijs atq; alijs rebus, & ea quidem tam uerſu, quàm ſoluta oratione, non Latinè ſolum, uerum etiam Græcè; nunquam mihi tamen ſatisfeci magis ulla in materia, quàm in his præceptis de Moribus. Nec ſanè dubito fore nonnullos, qui multis in locis mihi aduerſentur; & eos maximè, qui pro inito & confirmato iam habitu arbitrentur, quæ ipſi didicerint, uſq; adeò & caſtigata eſſe, & perfecta, ut melius quicquam excogitari non poſſit. Quod ſi priſci philoſophi idem fuiſſent de ſuis aut diſciplinis aut inuentis opinati, eandemq; opinionem in poſteros tranſmittere potuiſſent; multo maiorem haberemus librorum inopiam. Sed ſi percurrere uelimus aut Italicos philoſophos, aut Ionicos, nullam hominum memoriam inueniamus, cui ita ſcriptores ſuperiores omnibus in rebus ſatis omnino fecerint, quo minus iuniorum etiam monimentis delectata ſit. Vt enim cæteros præteream, quid Plato in Academica, quid Anthiſtenes in Stoica, quid in Cyrenaica Ariſtippus, quid Ariſtoteles in Peripatetica diſciplina intactum, aut minus elaboratum reliquiſſe arguatur; Nam unus Democritus, quàm & multa, & perilluſtria ſcripſerit ſatis perſpicuo indicio eſſe omnibus poteſt uel ſolus eius μεγάκοσμος qui uocatur, hoc eſt Magnus mundus, iccirco ita appellatus, quod totius mundi naturam, quæq; in mundo ſunt, non doctè minus quàm copioſè complecteretur. Num præterea alij atq; alij eadem argumenta minus complexi ſunt, habitiq; in pretio? Quare cum nec mihi, nec alteri cuiquã præcluſum iter ad ſcribendum exiſtimauerim; uolui etiam ipſe uel exercendi ingenij gratia ad communem utilitatem, uel quo etiam alios doctiores ad ſcribendum incitarem, in ea potiſſimum philoſophiæ parte uerſari, quæ maximè conducit hominum uitæ. Nam quãquam & mathematicæ, & phyſicæ diſciplinæ, pulcherrimæ ſunt, permagnoq; dignæ ſtudio; cum ad acuendum amplificandumq; ingenium, tum ad perſpicientiam rerum altiſſimarum; longè tamen magis hac adiuuamur philoſophia, cuius ſalutiferis præceptis ad honeſtatem decorumq; compoſiti, & benè

Multum ſibi applaudit in hoc opere Philelphus.

Varietas antiquorũ philoſophorũ.

Moralis philoſophia plurimi facienda.

uiuimus, & beatè. Quis enim ſine cognitione morum, quibus uirtus & uitium definitur, quicquam magnum ac præclarum, aut ſperare de ſe queat, aut alij polliceri? Quid? quod uirtutibus morum, non animis medemur ſolum, ſed etiam corporibus? Nam hæ præſtant ut nullis prorſus perturbationibus concedamus. At animi, qui perturbationibus ſeſe inferiores geſſerint, mox omni conſilio uacui, ſe duces præſtant ad omne uitiorum genus. Hinc ut cætera incommoda conticeſcam, quæ & domi & foris conſequi ſolent, quotidie uſu fieri uidemus; ut homines neq; incontinentia, nec flagitio ullo abſtineant. Hinc non pericula ſolum maxima, ſed ægrotationes plurimæ morbiq; orientes, et conficiunt homines, & interimunt; Nec ſecus fieri certè queat. Nam quo pacto animus remedijs ullis corpori medeatur, cum ipſe ſit æger? Equidem hac in re ab Ariſtotele diſſentio, qui non probat eam Socratis ſententiam, qua uir grauiſſimus uirtutes definiebat quaſdam eſſe ſcientias, & eas ſingulas pro ſua definitione. Non enim ſumus neſcij omnes homines natura bonum appetere, eoſdemq; duci mira quadam ſciẽdi cupiditate. Quod ſi ea uirtutum ſemina, quæ nobis natura ipſa ſubminiſtrat, coaleſcere unà cum ætatis progreſſu pateremur, ut boni eſſemus omnes; ita nulli ægrotationi obnoxij. Sed quoniam per uitæ incontinentiam atq; intemperantiam, continuo cum in lucem ſuſcepti ſumus, à natura ipſa deſciſcimus; ita malis inficimur moribus, ut ſemina illa optima in ſuam ſegetem ac frugem prodire non patiamur. Quod certè alia nulla ſit cauſa, quàm inſcientia bonitatis. Etenim nemo eſt, qui quod uerè cognouerit bonum eſſe, non illud ſummo ſtudio perſequatur. Nam ſi de incontinente ſecus uidetur accidere, qui & intelligit bonum eſſe, continenter uiuere, & uiuit tamen incontinenter; qui ita exiſtimat, errat non mediocriter. Quoniam quãdiu affectione liber ſcit, quæ, qualiſq; ſit uis cõtinentiæ ac bonum, nihil agit per incontinentiam. Cum uerò agit; quid agat, perinde atq; oblitus, non intelligit. Id autem ita eſſe patet ex eo dolore, quo poſt perpetrata ab ſe incontinenter afficitur. Nam quod antea cum de Spontaneo Inuitoq; loqueremur oſtendimus; is quàm diu intelligit ſuiq; compos eſt, nulli concedit incontinentiæ, quo ſit ut neſciat ſe peccare, cum peccat. Itaq; non abſurdè Socrates dixit uirtutes eſſe ſciẽtias; quas qui rectè tenet perpetuoq; obſeruat, ab omni abhorreat prauitate, ſitq; planè uir optimus. A qua quidem Socratis ſententia me nullæ unquam ſophiſticæ captiones abducẽt. Sed nunc ad ea quæ de Fortitudinis præceptis reliqua ſunt pergamus, ut etiã quæ ſpecies fortitudini ſubijciuntur, earumq; officia, & quæ de alijs uirtutibus dicenda reſtant, ſuo ordine perſequamur. Hæc enim tibi Laurenti Medices pro magnitudine ingenij tui gratiſſima fore omnia non dubitamus.

Diſſentit ab Ariſtotele, qui nõ uult uirtutes eſſe ſcientias. Vide lib. 1. Magn. mor.

De officijs fortitudinis

CVM in quarto libro non pauca de Fortitudine diſſeruimus, ſatis uidemur monuiſſe, quanto ſtudio ſit cauendum ne quod ratione & propter honeſtatem uitæ periculum obimus; id iræ impetu concitati facere uideamur. Et quod de Ira diximus, idem de cæteris quoq; affectionibus eſt curandum. Nolim ſanè quemquã ita fortiter adire mortis diſcrimen, ut metus uideatur fuiſſe in cauſa, ut ſe audacius morti obijceret. Quale autem id ſit ex imperante minitanteq; Agamemnone apud

Quales debeant eſſe fortes.

ne apud Homerum hiſce uerſibus comprehendi poteſt; malo enim mea ſemper, quàm alterius cuiuſquam interpretatione uti, cum ne Cicero quidem ipſe mihi quandoq; ſatisfaciat, præſertim in uerſibus interpretandis. Ita(inquam)apud *Homerum loquitur* Agamemnon;

Locus Homeri quem ipſe uertit.

» *Eminus à pugna quem nouero ſponte terentem*
» *Tempus apud naues, laniatus uulturis inde,*
» *Non erit atq; canes ſatis huic fugiſſe uoraces.*

QVA ITEM *ratione ita de* Hectore *apud* Homerum *quoq; legimus;*

Alter locus Homeri.

» *Altius at Phrygibus ſublata uoce iubebat*
» *Hector, ut irrumpant in naues, atq; cruentis*
» *Abſtineant ſpolijs, minitatus talia ductor,*
» *Hunc alibi à ratibus quem uidero longius unum*
» *Illic interimam, quem nemo ſanguine iunctus*
» *Extinctum patriæ telluris honore ſequatur,*
» *Sed coram à canibus diſcerptum Pergama cernant.*

PRAETEREA *non modo in rebus bellicis uir fortis probitatem ſuam oſtendat, ſed etiam ubicunq; decoro ipſi per eximiam quandam animi elationem, per conſtantiam, per tolerantiam locus datur.* Trebonius *manipularis adoleſcẽs, ne quid turpiter pateretur, non dubitauit* C. Luſium Tribunum *militum ſorore* C. Marij *natum, uim ſuæ pudicitiæ inferentem interimere. Qua quidem re diligenter cognita;* Marius Imperator *probum adoleſcentem non abſoluit modo, ſed etiam præclari facinoris laudauit; & quæ pro illuſtribus militiæ facinoribus corona dari conſueuerat, ferri ad ſe iuſſit,* Trebonioq; *impoſuit.* Et Pauſanias *adoleſcens, quam non potuit contumeliæ pœnam ab expugnatoribus pudicitiæ ſuæ conſequi, à rege* Philippo *ipſo, qui rem iudicare neglexiſſet, uel certò moriturus, exigere auſus eſt.* Vterq; *profectò mea ſententia præclarum obiuit* Fortitudinis *facinus uel extra aciem.* Nam *in omnibus aduerſis* Fortunæ *caſibus, debet uir fortis & magnus omnia agere pro officio, nec quicquam pertimeſcere, quod officio aduerſetur.* Et *quoniam propter honeſtum uir fortis nullum detrectat uitæ periculum, nullam mortis formidinem, quantam communis hominũ patitur natura: Quod nobiliſſimæ fortitudinis genus in ſanctiſſimis* CHRISTI *Apoſtolis, cæteriſq; martyribus non reperias? Prætereo intollerabiles corporis cruciatus; qui quantam uim habeant ſatis eo probatur argumento; quod uidemus quotidie uſu fieri, ut nonnulli quæſtionibus admoti, confiteantur ea perpetrata ab ſe facinora, quæ ne cogitarant quidem unquam; & ita mortem ipſam doloribus anteponunt.* In *illis ſolis, cum & mortis contemptum propter ipſam ueritatis tuendam ſeruandamq; ſanctimoniam, qua honeſtius nihil eſt, tum intolerabilium dolorum atq; ærumnarum omnium tolerantiam, & in dictis factiſq; conſtantiam, & animi magnitudinem, luce ipſa lucidiorem intuearis. Cæterum ut quæ ſit uera fortitudo, uel ſecundũ priſcos* Philoſophos *clarius pateat; quædam in medium ſunt ſpecies referendæ breuiter.* Numero *quinq; illæ quidem, quæ fortitudinis ſibi uſurpant nomen.* Et *prima ſanè eſt ea, quam ciuilem nominant.*

Nõ in bello tantum fortis ſe oſtentat.

Hoc Cic. narrat *in oratione pro* Milone.

Ariſtotelis *libro* Politicorum V.

Apoſtoli, & martyres fortes.

Falſæ ſpecies fortitudinis quinq;

Vide Ariſtotelem *lib.* V. Ethic.

Hæc

Hac enim fit ut homines uerecundia quadam atq; pudore ducti, quo infamiam fugiant, mortis diſcrimen ſubeant; qualis antea & Hectora & Diomeden, quorum alter Hectoris apud Troianos orationem ac iactantiam uereretur; Hector autem ipſe Polydamantis aduerſus ſeſe exprobrationem. Et hæc ſanè ciuilis fortitudo ſuam uim habet maximè ex legibus reipublicæ, quæ ignominia illos afficiunt, qui in bello timidos ſe præſtiterint, pugnamq; detrectarint. Itaq; à nemine Lacænæ illi uitio datum eſt, quæ filijs qui é pugna fugientes, ubi ad eam ueniſſent; Quo (inquit) itis fugientes ignaua mancipia? an huc unde egreßi eſtis regreſſuri? Et ea quidem in huiuſmodi uerbis ſua pudibunda ſublatis ueſtibus eis oſtendebat. Quis autem ambigat illos præ uerecundia confeſtim in prælium rediiſſe, fortiterq; pugnaſſe? At ij certè uiri fortes habendi non ſunt, non enim ſe ultrò & propter decorum periculo obtulerunt. Et Lacæna item alia cum accepiſſet filium & ſeruatum eſſe, & fugiſſe ex hoſtibus, ad eum ſcripſit; Mala de te fama fili diffuſa eſt; quare aut hanc nunc dilue, aut ne ſis. Nec ſanè mirandum eſt ſi tam ſeuerè de fortitudine apud Spartiatas ratio habebatur, cum uel Lycurgi legibus, uel ex ipſa inueterata conſuetudine ſecus facere non liceret. Legimus enim eam fuiſſe apud illos conſuetudinem, ut ſingulis annis ei dimicationi pueri operam darent, quæ Diſſlagellatio appellatur. Ea uerò erat huiuſmodi. Pueri apud Lacedæmonios totum diem cæſi uirgis in ara Orthiæ Dianæ ad mortem perſæpe uſq; tolerabant; & ij ſanè hilares atq; geſtientes æmulatione uirtutis ac uictoriæ inuicem contendentes, quis ipſorum & diutius, & magis uerbera toleraſſet. Qui autem euaſiſſet uictor, tam illuſtris clarusq; habebatur, quàm qui maximè. Cũ ergò ab uſq; pueris Spartiatæ probitati ſtuderent, & intrepidi uerſabantur in prælijs, et nullum fortunæ periculum metuebãt. Etenim ij qui pueros exercerent atq; erudirent, Pædotribæ appellati, luctantibus pueris præficiebantur idcirco; nulli quo non ſubdola arte quadam, ſed uirtute ipſa gloriæ honoriq; ſtuderent. Itaq; Lyſander quandoq; rogatus, quo nam pacto Charon ſe uiciſſet, ingenio induſtriaq; reſpondit. Hæc uerò non ob eam cauſam à me dicuntur, quod diſciplinam & eruditionem exiſtimem abdicandam: quam plurimi & facio & amplector; ſed ne arte quadam magis ingenioq; fiſi, quod terribile uideatur aggrediamur, quàm certa eligendi ratione, quæ ab honeſtate proficiſcatur. Nam ſcientia & eruditio omnibus in rebus eſt perutilis; ſed qui ea duntaxat fretus, non ſatis eſt eiuſmodi cognitio ad rerum maximarum diſcrimen ſubeundum atq; perferendum, ubi minus actio omnis referatur ad honeſtatis rationem; quæ una ſemper nobis debet eſſe propoſita. Eſt autem uerecundia, à qua ciuilis hæc fortitudinis ſpecies proficiſcitur, quidam infamiæ metus, cuius indicium eſt rubor in faciem prodiens. Itaq; dicere ſolebat Cato ſenior ſe magis ijs adoleſcentibus delectari, qui rubeſcerent, quàm qui palleſcerẽt. Nam pallor erumpens in faciem, pœnæ cuiusſpiã ob perpetratum facinus metum ſignificat. Et eſt ſanè uerecundia, laudabilis quædam mediocritas cuius extrema duo ſunt; Alterum per exuperationem, cui eſt confuſioni nomen; Alterum per defectum, quod Impudentia uocatur. *Secunda uerò ſimulatæ fortitudinis*

Nota exempla multa ciuilis fortitudinis.

Ciuilis fortitudo à uerecundia proficiſcitur.

Secunda ſpecies falſæ fortitudinis

titudinis ſpecies dicitur Militaris, quæ in peritia quadam eſt & cognitione poſita. Milites enim nonnulli, uel propter artem, quam tenent dimicandi, tractandorumq; armorum; uel propter cognitionem quandam locorum, quæ putent ad inſidiandum uincendumq; aptiſſima; uel quoniam exiſtiment temporis oblatam occaſionem, aut propter aliquid aliud huiuſmodi, cuius ſe peritos, & hoſtes imperitos autument; nihil formidantes in periculum feruntur; iidemq; mox audentiam omnem amittunt, ſi quid ſecus, quàm opinabantur, offenderint. Quo igitur pacto quiſquam fortis dicendus ſit, qui non ſemper ſit idem?

TERTIA *quædam fucatæ* Fortitudinis *ſpecies eſt huic contraria, quam parit imperitia. Ob imprudentiam enim quidam non difficulter futurum rati, ut præclarum de ſe facinus prodant, res periculoſiſſimas, & ſuis impares uiribus adoriuntur. Qui ubi primum ſua ſe fruſtratos opinione animaduertunt, turpiſſimè in fugam uerſi, omnibus ſunt ridiculo. Tales etiam ſunt & pueri & inſani.* Nam *cum utriq; euentus nullam habeant rationem, tum ij formidabile nihil exiſtimantes, & fluctibus & fulminibus ſeſe obiectant; tum pueri, tanquam* Hercules *quiſpiam in cunis, ſerpentes manibus corripere non timent.* *Tertia ſpecies falſæ fortitudinis*

QVARTAM *huiuſmodi* Fortitudinis *ſpeciem eſſe uolunt, ab ea ſpe, qua pleraq; ſibi antea ex ſententia contigiſſe meminerint. Cuius quidem rei fiducia indubitatò cenſent nullum offerri tantum diſcrimen poſſe, quo minus ſint futuri ſuperiores. Qui ſi noſſent ſpe aliud nihil ſolere eſſe fallacius, de ſeſe quoq; moderatius iudicarent.* Et *quod de una re cecinit* Euripides, *in multas trāſferri poteſt, quanta ſit poſita in ſpe uanitas;* *Quarta ſpecies.*

» *Spes exules paſcunt;*

» Nimis *at amant moras.*

RARO*ˋ enim, quod diu multumq; expectatur, contingere conſueuit. Quod ſi ulla uis fortitudinis in ſpe foret reponenda, non mediocris quædam* Fortitudinis *laus temulentis danda eſſet; quos uini feruor in omnem ſpem ſuſcitat & inflammat.* At *ijdem ubi deferbuerint, ſpem continuo omnem amittunt, atq; cœptis abſtinent. Quod autem ad* Fiduciæ *rationem attinet, ea mediocritas quædam eſt, qua quis fiſus nihil temerè aggrediēdum ſuſcipit; ſed omnia prius ita conſiderat, ut nihil ſibi præter ſpem queat inopinatò accidere.* Huius *extrema ſunt duo; Alterum dum nimis confidimus; & ita confidentiæ nomen habet, etſi non inutiliter inſolentiam appellare poſſumus; Alterum dum parum; id quod Diffidentiæ datur.*

RELIQVA *non ueræ, & quam quærimus,* Fortitudinis *ſpecies ea eſt, quam perturbatio efficit, ut amor, ut ira, ut cæteræ huiuſmodi affectiones.* Nam *quod antea pluribus docere ſtuduimus, neminem mihi afferas, quem ira fecerit fortiorem, niſi illum fortaſſe, qui ſine ira fortis non eſt. Quis enim negarit ſi in bonis, ſi in laude ira habenda eſſet, ea ſequeretur & uiros bonos, & laude dignos oſtēderet?* At *pueros ægrotosq; uidemus maximè iracundos, & decrepitos quoſdam ſenes, & omne imbecillum hominum genus.* Itaq; *mulieres ipſæ maximè excandeſcunt, ob idq; cupidiſſimæ ſunt uindictæ.* Si *utilis in periculis ira eſſet; nec* *Fortitudo naſcens ex affectu in perturbatione animi.*

Fabius

Exempla quàm plurima.

Fabius maximus in cunctando, & trahendo, ac morando omnia, quo nihil eſt ab ira alienius; fractas atq; debilitatas imperij uires recreaſſet atq; refeciſſet, quod ipſum certè periſſet; ſi iræ parere, quàm conſilio maluiſſet; cum etiam diceret ſe magis Minutij ſecundam, quàm aduerſam Fortunam pertimeſcere. Nec Scipio, cui poſtea Africano cognomentum fuit, Annibale exercituq; eius in Italia relicto, cum ijs omnibus, quibus iraſcendum uidebatur, in Africam bellum tranſtuliſſet, quod breui Carthaginem reddidit Romanis tributariam. Nec eius ex filia nepos, qui Africanus quoq; eſt cognominatus, diu Numātiam multumq; obſediſſet; quo nihil per iram temerè, quod ſuperioribus imperatoribus acciderat, aduerſus ſeſe exiſtimari poßit aggreſſus, cum interea temporis circumuallando, & occludendo, hoſtem tandem effecit ut ſuo ipſius ferro corrueret. Nec enim illud cuiquam fuit obſcurum, quod prudentißimè aliquando reſpondiſſe dicitur ijs, qui ſe hortarentur ad pugnam, quo tempore effrenatam hoſtium amentiam eſſet intuitus, Aiebat enim tēpore ſecuritatē emi. Nā boni imperatoris, ſicuti boni medici munus eſſe, ut ferri curatione utatur ad poſtremū. Quare ubi tempeſtiuè manum conſerens, Numantinos turpiter fuſos uertiſſet in fugam, Numantinorumq; ſeniores uictos ſuos grauiter permoleſteq; ferrēt, exprobrarentq;, cur eos fugiſſent, quos totiens fugaſſent; Numantinum quendam reſpondiſſe tradunt; Pecudes eaſdem etiam nunc eſſe, at paſtorem alium. Quid enim meminero Paulum Aemylium huius patrem? Quanta is moderatione fuit, quanta prudentia? qui cum Macedoniam per locos ſaltuoſos inuaſiſſet, hoſteſq; uideret in acie inſtructos ad pugnam, Naſica hortante uehementius, ut confeſtim manum conſereret; Facerem iſtud equidem Paulus reſpondit, ſi tua mihi ætas eſſet; cæterum ne id faciam, multa mihi peritia eſt impedimento, quo itinere fatigatus aduerſus inſtructam hoſtium aciem pugnam ineā. Cumq; non multo poſt Perſis atq; Macedonibus ſuperatis ac uictis, epulum præberet pro uictoria, dicebat expertum peritumq; exercitum maiori hoſtibus terrori eſſe, ſuauißimumq; amicis præbere conuiuium. Nec eſt minore uſus conſilio conſul Metellus. Qui ubi ueniſſet in Aphricam bellum inſtauraturus, quo aduerſus Iugurtham, auaritia & ignauia ſuperiorum imperatorum, permagnum detrimentum ac dedecus reſpub. Romana acceperat, omnium primum ab omni ſe ſibi ira uendicauit; nulliq; rei magis operam dedit, quàm ut cunctis ſordibus purgaret exercitum, eumq; ad maiorum diſciplinam moremq; redigeret. Quod ubi effecit, tum paulatim ac ſine ulla concitatione animi rem aggreſſus facilè declarauit, iram ne in prælijs quidem ac bellis adminiſtrandis ulli eſſe uſui; utpote quæ in temeritatem prona, et ſua natura præceps, nec pericula nouit inferre, nec ſibi cauere. Itaq; ſapienter Cato ille ſenior monebat eum, qui ira teneretur, nulla re ab inſano differre alia, quàm tempore.

Fortitudo ex amoris ui proficiſcens.

Nam de amoris impetu ac ueſania, quid mihi dicendum ſit, qui reiecta omni ui prudentiæ, prouidentiæ, diligentiæ, cogitationis, quas in homine ſolo ex omnibus animantibus ineſſe natura uoluit, nullum periculum ad mortē uſq; ſubterfugit, quo re concupita potiatur. Quam quidem ſententiam elegāter his uerſibus Virgilius declarauit;

» *Ecce trahebatur paſſis Priameia uirgo* *Locus ex Vergilio.*
» *Crinibus à templo Caſſandra, adytisq; Mineruæ;*
» *Ad cœlum tendens ardentia lumina fruſtra.*
» *Lumina; nam teneras arcebant uincula palmas,*
» *Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorœbus,*
» *Et ſeſe medium iniecit moriturus in hoſtem.*

PROPTER *amoris uehementiā Chorœbus, non ob honeſtatis cauſam, ſe mortis diſcrimini obiectabat.* *Choroebus non eſt fortis cur.*
» *Illis qui ad Troiam fortè diebus, ut paulo ante dixit Virgilius;*
» *Venerat inſano Caſſandræ incenſus amore,*
» *Et gener auxilium Priamo Phrygibusq; ferebat*
» *Infelix, qui non ſponſæ præcepta furentis*
» *Audierat.* QVOD *autē de Ira & Amore diximus, idem de cæteris affectionibus licet intelligi. Nam quod de Metu antea dixeramus, neq; Troiani fortes habendi erant, in pugnaciſſimè præliando, quibus Hector & mortem eſſet, & inhumationem, & canum diſcerptionem in ciuitatis conſpectu minitatus. Nec item Græci, qui ab interminanti Agamemnone, quiddam etiam morte ipſa triſtius atq; acerbius expectare poterant. Vltrò enim, quod perſæpè monuimus, & propter honeſtum extrema ſunt pericula adeunda. Et quoniā uir fortis ijs obiectat ſe periculis propter honeſtum, quæ terribilia dicuntur; illud ſcire nos oportet, dupliciter accipiendum eſſe Terribile, quemadmodum & Iucundum ſolemus & bonum; cum alia ſimpliciter & iucunda & bona ſunt; alia uerò non ſecundum ſeſe, ſed alicui ſunt talia; quin potius ſua natura & mala ſunt, & non iucunda, ut ea omnia, quæ improbis conducere uidentur, & quotquot iucunda ſunt pueris, pro ut pueri ſunt. Eadem ratio de terribilibus eſt, cū alia ſint ſimpliciter terribilia, alia uerò alicui ſint talia. Sic igitur quæ timidus metuit, pro ut timidus eſt, eorū alia terribilia ſunt nemini; at alia parum, alia uerò quàm plurimis, et quotquot pro hominis natura hæc terribilia dicimus. Sed uir fortis circa hæc præſtat ſe intrepidum, eaq; ſuſtinet, quæ ſanè ſunt ipſi ut terribilia; ſed ſua natura terribilia nō ſunt. Verum dicuntur terribilia, pro ut eſt homo, ſecus autem, pro ut eſt uir fortis. Nam quantum ad uirum fortem, aut parum terroris afferunt, aut nihil. Et ſunt hæc ideo terribilia, quoniam quàm plurimis terrorē afferunt. Quo fit ut habitus etiam laudetur. Ita enim is habet, quemadmodum & robuſtum & ſanum dicimus. Nam hi non iccirco dicuntur tales, quia ab nullo dolore obterantur, aut quod alius dolore obteratur, alius uerò ne ulli quidem doloris nimietati concedat; ſed quoniam aduerſus eos dolores, tolerantiam & conſtantiam ſeruent, aut ſimpliciter aut moderatè, aduerſus quos aut multi aut plurimi ſolent. Aegroti igitur, & imbecilli, & timidi, patiuntur uel à communibus affectibus; cæterum & celerius & magis, quàm multitudo. Præterea ex quibus doloribus ipſa patitur multitudo, his liberi ſunt uel omnino uel moderatè. Sed quoniam fortitudinem, quam eſſe ſcientiam rerum terribilium, & non terribilium, & neutrarum, Socratici definiūt; medium tenere illud uolumus, quod inter metum*

Exēpla falſæ fortitudinis ex metu.

Terribile dupliciter.

Hæc omnia ex Ariſtot. lib. III. Ethicorum.

Fortis dicitur ſicut robuſtus, & ſanus.

Fortitudinis definitio per Socraticos.

metum & audaciam ſit poſitum ; pauca & de ipſis extremis,& de medio perſtringamus. Timidum eum dicimus, qui metuit magis,quàm debet,& minus audet,quàm oportet. Itaq; exuperat metu,& deficit audacia. Quiq; & multa & pauca uehementerq; et celeriter metuens, ne ea quidem ſuſtinet,quæ parum terroris præ ſe ferunt. At Audacem contra uolumus eum eſſe,qui ut metuit minus quàm par eſt,& audet magis quàm debet; ita exuperat audacia, ut deficit metu. Adeò ut uel ne metuat quidem, uel & parum,& uix,& rarò,& quæ terrorem excedunt,quiq; ea non dubitet ſuſtinere,quæ ſunt terribiliſſima.

Fortitudo media inter audaciã & timorem.

At Fortitudo cum ſit media quædam diſpoſitio inter Audaciam & Timorẽ; ita certè optima eſt,ob eamq; rationem uir fortis ſe ut plurimum præſtat intrepidum, quum æquanimiter ſuſtineat & magnos metus & multos. Nam fortitudo quidem ſequitur rationem,at ratio id eligendum iubet,quod eſt honeſtum. Quare qui non ſuſtinet propter honeſtum; hic aut ſui factus eſt inops,aut audax. Qui uerò propter honeſtum ſuſtinet,& intrepidus eſt ſolus,et fortis. Itaq; timidus,etiam quæ metuenda non ſunt,metuit; ut audax quoq; ea audet,quæ non ſunt audenda. Sed fortis cum & metuat & audeat pro ratione,ita medius quidam eſt. Ratio enim non iubet ea ſuſtinenda, quæ ſint uehementer triſtia ac pernitioſa, ubi ab honeſtate fuerint aliena. Audax igitur,etiam ſi ratio hæc non iuſſerit,audebit; Timidus uerò contra, ne ſi ratio quidem iubeat, auſus ſit. Itáque ſolus uir fortis rationis ſequitur iuſſa,atq; illis paret. Nec tamen uirum fortem ita metu uacare uolumus,ut ei terrorem afferat nihil. Nam ſi ita eſſet,quid inter eum,& lapidem,cæteraq; inanima intereſſet? Sed timendum eſt etiam uiro forti, quod terribile fuerit, & ſuſtinendum tamen honeſtatis gratia.

Timet fortis.

Si enim nihil prorſus timeret, quid differet ab audaci? Terribilia uerò ea ſunt,quæ inferunt metum, qualia ea dicimus,quæ pernitioſo dolore quodam homines afficiunt. Sed nõ omnibus æq; terribilia ſunt omnia. Quare molles aliqui circa quædam uidentur uiri fortes,& aliqui duri & conſtantes,aliqui timidi. Cæterum fortitudinis proprium munus eſt, cum quis certa quadam ratione ſe gerit aduerſus mortem, & aduerſus mortis dolorem in re bellica. Nam periculum in huiuſmodi formidabilibus rebus dicitur ſolis,cum propè id periculum adeſſe uideatur,quod tale exitium afferat.

Fortitudinis propriũ quid.

Si quis enim id periculum non metuit,quod poſt annum uigeſimũ fore opinetur, nequaquam idcirco hunc fortem iudicabimus. Sunt enim qui ob eam rem audeant,quod exiſtiment diſcrimen abeſſe quàm longiſſimè. Id ſi fortaſſis inſtaret, præ nimio terrore mortuis uiderentur quàm ſimillimi.

Circa quæ terribilia uerſetur fortis.

Terribilia igitur,circa quæ dicimus uirum fortem uerſari, ea eſſe cenſemus,quæ dolorem pernitioſum efficiunt, & hæc ſanè cum propè uidentur ingruere,& nõ eminus; & quæ tantæ magnitudinis aut ſint,aut uideantur, ut cum natura humana conueniant;nam ſupra hominis naturam quæ ſunt, ea ne forti quidem ſunt adeũda. Quædam enim neceſſe omnibus hominibus terribilia uideri, quoniam talia ſint natura, & ea tamen uiro forti detrectanda non eſſe,cum opus ſit. Nec ſanè prohibet, quemadmodum calida & frigida, & alias quaſdam potentias ſupra nos eſſe,& ſupra habitus humani corporis; eodemq; modo eas affectiones,quæ

in animo

in animo inſunt, & timidos & audaces propter habitus fallere. Nam timido ea etiam quæ terribilia non ſunt, uidentur terribilia; & quæ parum ſint terribilia, ea maximè terribilia uideri. Audaci autem ſecus omnia: Nam iuxta quæ terrorē omnem excedunt, atq; parum terribilia ſibi audenda iudicat. At uiro forti ea uidentur terribilia, quæ talia uerò ſunt. Quapropter ſi quis propter imprudentiā perfert terribilia, cum ea non talia eſſe iudicarit, uir fortis habendus non eſt: ut ſi quis inſaniens irruentia tolerat fulmina. Et item ſi quis periculi quantum ſit non ignorat, & illud tamen iræ uipercitus non detrectat. Vt ſi quis inermis irrumpentem leonem oppugnaturus obuiam eat. Sunt etiam aliqui, qui propter alias uoluptates extremis periculis occurrunt. Nam ira quoq; ſine uoluptate non eſt, cum ultionem ſperet. Cæterum neq; propter hanc, nec propter aliam uoluptatem ſuſtinet aliquis mortem, aut quo maiora effugiat. Quare nemo horum uir fortis dicendus eſt. Si enim uoluptas ineſſet in morte; plærumq; luxurioſi homines propter incontinentiam mortem obirent. Quemadmodum etiam hoc tēpore uidemus quotidie uenire uſu. Nam quamquam in ipſa morte nulla ineſt iucunditas, non tamen deeſt, quin multi per uitæ incontinentiam in ea incidāt, quæ mortis ſunt cauſa; & hi quidem eiuſce rei haud ignari. Quis autem horum quēquam audeat fortem affirmare uel in ſumma moriendi alacritate? Nec item ſi quis, quo doloribus corporis liberetur, id quod faciunt nonnulli, ſe morti dediderit, is fortitudinis laudem mereatur. Cuius quidem rei ſententiam ſatis luculenter expreſſit Agathon; Quoniam improbi dolore uicti mortem adamant. Quare etiam ipſe Hercules, quem inter Heroas non in poſtremis numerauit antiquitas, cum dolorem quem ex uiperino ueneno contraxerat, perferre non poſſet, mori, quàm uiuere maluit. Et Chiron cum eſſet immortalis, ut Poëtæ fabulantur, mortem ob ulceris dolorem optauit. Illud nobis uſq; propoſitum ſit, Fortitudinem nullam eſſe, quæ ſibi minus ſemper perinde ac finem, honeſtatem ipſam propoſuerit. Et quamquam circa metum & audaciam, Fortitudo uerſatur, non eodem modo uirum fortem habere iudicandum eſt. Nam circa formidabilia magis uis eius omnis ſplendet. In his enim qui ſeſe impauidum intrepidumq; præſtiterit lōgè clarius fortitudinis exemplum exhibebit, quàm in iis quæ uideantur audenda. Itaq; uiro forti ea ſunt perferenda, quæ triſtia ducuntur, quo iure queat laudari. Quis enim neſcius eſſe debet, longè eſſe maiorem difficultatem in perferendo dolore, quàm in abſtinenda uoluptate? Vnum autem illud mihi prætereundum non arbitror, proprium eſſe munus imperatoris & ducis in rebus bellicis, omnia cogitare, prouidere, moliri, parare, agere, quæ ad uincendum ſpectant. In milite uerò corporis uires potiſſimum requiruntur, atq; obedientia. Sed is uidetur maximè laudādus, quem uictoriæ auctorem fuiſſe conſtiterit. Qualis apud Athenienſes quondam Tellus ille fuiſſe ab Herodoto perhibetur. Equitatus item Germanorum, ultimæ uictoriæ cauſam de Gallis Cæſari attulit. Nam de Cæſare ipſo quid prædicem, qui & corporis uiribus, & ingenij acrimonia, & prudentia atq; conſilio cunctos mortales mirificè antecelluit? Quibus rebus effectum eſt, ut ſe inuictum uſq; ſeruauerit, & uicerit ſemper. Cæterum quo ad rem de qua dicere cœperam

Qui propter uoluptates periculis ſeſe obijciunt, fortes non ſunt.

Fortitudo non eſt, ſi non proponat ſibi honeſtatem.

Proprium munus Imperatoris.

Ciuilis fortitudo maximè ſimilis ueræ. re cœperam reditum faciam, ex omnibus illis quinq; uſurpatæ fortitudinis ſpeciebus, nulla eſt ueræ propinquior fortitudini, quàm ciuilis, cum ne illa quidem ſit talis. Neq; enim quo uitetur infamia, perferēda ſunt pericula; ſed ob eam potius rationem, quod omnis uirtus eſt habitus electiuus. Quidquid autem uirtus eligit, cuiuſdam eligit rei gratia, & id certè honeſtum eſt. Fortitudo igitur cum ſit uirtus, præſtat ut propter aliquid id nobis perferēdum eligamus, quod formidabile terribileq; ſit. Id uerò, quod ſæpè monuimus, eſt honeſtum. Nam ſi ſecus fuerit, id non modo turpe ſit iudicandum; ſed furioſi & inſani hominis munus, quiq; nihil, nec intelligat, nec ſapiat. Qua enim alia cauſa adduci potuit Horatius Cocles, ut ſolus ad pontem Sublicium in tanta periculi magnitudine uniuerſum hoſtium impetum fortiſſimè præliās ſuſtineret, donec ubi certò uidiſſet patriam imminenti periculo liberatam, ponte eius iuſſu poſt tergum abrupto; nā ipſe extremam pontis partem occuparat; ſe in Tyberim, ita ut erat armatus immiſit, natatu ſuos repetiturus? Isq; neq; animo deficiens, neq; fluminis altitudine non modo deiectus, ſed ne quaſſatus quidem, ac ſi nullo premeretur armorum pondere, inter frequentiſſimos uortices, interq; undiq; irruentium hoſtium tela, ad ſuos breui peruenit illæſus. Vicit ſanè uis honeſtatis, uim omnem non hoſtium ſolum; ſed etiam naturæ. Atqui ut erat animo magnifico Horatius Cocles, nihil aggredi auſus eſt, quod minus antea quàm diligentiſſimè animo uolutaſſet. Quo quidem conſilio factum eſt, ut non minus obſtupeſcentibus Ethruſcis præclara magnifici uiri opera, quàm Romanis de eius euentu metuentibus, is enatarit incolumis. Sed quoniam magnificentiam diximus ſequi fortitudinem; non erit incongruum eam quoq; definire; præſertim quod à pleriſq; quid ea ſit ignoretur.

De Magnificentia. ESt igitur Magnificentia, magnarum excelſarumq; rerum cū animi ampla quadam & ſplendida propoſitione cogitatio. Quid autē maius, quid excelſius excogitari poteſt, quàm ſe offerre mortis diſcrimini propter honeſtatem, ijs in rebus, quæ ſunt apprimè formidabiles? In bellicis (inquā) periculis, & elatione animi opus eſt, & probitate, & conſtantia. In his ſanè facilè declaratur qualis quis ſit, quantusq; uir. Nam de magnanimitate quoniam multiplex eſt ratio, alio loco à nobis commodius tractabitur. Vt enim Ariſtoteles docet libro ſecundo de Demonſtratione, & in contumelia, & in ſecunda aduerſaq; fortuna, magnitudo animi ſe tuetur. Qua quidem ratione non Lyſander, & Socrates modo, ſed etiam C. ille Arpinas Marius, in omni mutabilitate fortunæ eandē æquanimitatem usq; ſeruauit. Et Coriolanus, ob contumeliam bellum patriæ intulit, & Africanus ſuperior, à Petilio, Quintoq; plebis Tribunis, per omne comitium arceſſitus ad reddendam rationem imperij ſui, nō modò non reddidit, ſed ob tantam indignitatem ira commotus, librum quo eius continebatur adminiſtratio, in conſpectu populi lacerauit; in uoluntariumq; profectus exilium, cauit etiā moriens, ne ſua oſſa in Vrbem referrentur. Et Cato Vticenſis, ne uictus à Cæſare cæteris fortunis, utæq; ornamentis, animo quoq; uictus unà cum corpore poſſet exiſtimari; ſibi ipſi mortem conſciuit. Quo quidem loco rurſus admoneor, ut eos omnes nō fortes; ſed molles ac timidos eſſe non uerear affirmare; qui mortis cruciatúſue

Arist. lib. II. posteriorū.

Exempla.

Se ipſos perimentes timidos eſſe.

tis cruciatúſue formidine ſe interimunt. Et hæc de Fortitudine eiuſq; partibus hactenus. Deinceps, quod ſequitur, de Temperantia præcepta referemus.

TEMPERANTIA *igitur, quam parti animi concupiſcibili tribuimus, eſt earum rerum ſcientia, quæ uel iucundæ, uel triſtes; uel nec iucundæ, nec triſtes, circa cibum et potum congreſſusq; uenereos uerſantur. Ita enim à Socraticis definitur. Temperantia, quam eam uolumus mediocritatem eſſe, quæ inter luxuriam & inſenſibilitatem poſita, uoluptates & concupiſcentias ſemper moderatur. Nec deſunt qui Temperantiam aliter definiant, quandoquidem eam dicunt eſſe rationis in libidinem, atq; in alios non rectos animi impetus, firmam & moderatam dominationem. Itaq; uidentur facere non abſurdè, ſi pro ſua definitione, cæteras omnes morum uirtutes, uni Temperātiæ, tanquā ſpecies ſubijciunt. Quibus cum minimè aſſentiendum ſentiam, quod propoſueram, ſuo ordine perſequar. Temperantia igitur mediocritas eſt, inter luxuriam & inſenſibilitatem circa uoluptates. Nam & temperantia, & ita ſimpliciter omnis uirtus, eſt optimus habitus. Quod enim medium tenet inter exceſſum & defectum, id optimum dicimus. Et cum utrūq; extremum uitio detur, patet, quod medium tenet inter luxuriam & inſenſibilitatem, laudari. Quare cum temperantia ſit huiuſmodi, eam & in laude eſſe, & habitum optimum. Et quoniam temperans circa uoluptates uerſatur, neceſſe eſt eundem etiam uerſari circa cupiditates quaſdā; uerum minimè circa omnes; nec item circa omnes uoluptates, uir temperans accipit temperantiæ nomen, ſed quantum uulgò opinantur, circa eas uoluptates temperans ſuum retinet nomen, quæ ex guſtu ac tactu ſuſcipiuntur. Quod ſi uerò quis uelit rem conſiderare, inueniet ex tactus duntaxat uoluptate, temperantiam uenari dignitatem ſuam. Non enim, uerbi gratia, eum temperātem dicimus, qui aut à uiſus uoluptate pulcherrimæ alicuius mulieris, ſine cupiditate rerum uenerearum ſe gerit inuictum, aut eodem pacto dolori deformis mulieris non cōcedit. Eadem ratio eſt circa Muſicam, ut ſi ſuauiſſimo aliquo uel carmine, uel ſono non delectamur magis, quàm opus ſit; aut ſi contrario non offendimur. Et ita de odoratu quoq; accidit, ſiue bonus ſit odor, ſiue malus; non ex eiuſmodi mediocritate quiſquam iudicabitur temperans, cum ne luxurioſus quidem aliquis ſit habendus: ſi his in rebus aut afficiatur, aut id minus. Quare ſi quis intueatur hic Romæ duos iſtos equos marmoreos, & duos itē marmoreos iuuenes; qui ſinguli ex duobus nobiliſſimis opificibus, Praxitele atq; Phydia prodierunt, & ijs ita delectetur, ut & comedere, & bibere, & congreſſu uenereo uti negligat; non idcirco luxurioſus dicendus ſit. Eodemq; modo de ſono & cantu accidat; ut non propterea quiſquam luxuriæ nomen mereatur, quouiam res pulcherrimas intueri, & ſuauiſſimos cantus ac ſonos audire ſtudeat; potu autem ac cibo uenereiſque rebus abſtineat, cum circa duos ſenſus & temperantia, & temperantiæ uerſentur extrema, guſtum & tactum, & maximè circa tactū; circa quos alia etiam animalia potiſſimum uel uoluptatem capiunt, uel dolorem. Nam ex uoluptatibus aliorum ſenſuum, nulla quodāmodo mouet cætera animalia, ac ſi eas nō ſentiant. Itaq; non cantu, aut ſono, non formæ bonitate capiuntur; nec itē bonis malisq;*

De temperantia.

Definitio tēperantiæ.

Inter quæ ſit media tēperantia.

Temperans circa uoluptates, & cupiditates, Sed non omnes.

Hæc ex Ariſtotelis lib. IIII. Eth.

F 2

liſq; odoribus, ni fortaßis aliqui offerantur, qui indicium faciant earum rerum,

Homo ſenſuum acritate ſuperatur à brutis.

quæ uel ad eſum,uel ad potum pertineant,aut etiam ad libidinoſum coitum. Nam cæteris animalibus,ut rationis uis à natura nō eſt data,ita ſenſuum acritate nobis plurimum præſtant. Et ita muribus, quàm nobis,auditus eſt longè acutior, qua etiam in re nobis aſini ſunt multo ſuperiores. Hinc poëtæ finxerunt Apollinem uertiſſe aures Mydæ regis in auriculas aſininas, quo deinde melius audiret,

Fabula Midæ declaratur.

& ita citharæ fiſtulæq; ſono iudicium redderet. Et uulturem ferunt cum acritate uiſus,tum odoratu rei corruptæ ac fœtidæ ex incredibili longitudine ſentire. In uoluptatibus,inquam, quas uel guſtus,uel tactus efficit; luxurioſus cognoſcitur;

Voluptates guſtus, & tactus.

& illis magis,quæ manant ex tactu. Nam guſtus ſenſum omnem & ſuauem & inſuauem, uel extrema oſtendit lingua; ſed tactus latius patet. Quare nemo optat longiorem ſibi linguam dari, at gruis guttur permulti, obſoniorum potuumq; percupidi, ut perhibent Philoxenum Eryxium;

De Philoxeno Athenæus lib. 1.

qui ſe ingurgitabat obſonijs, ex quorum tactū uoluptatem capiebat. Et uidetur mihi quidem uiri Tēperantis non eſſe extremum quoddam munus; ut quanto præſtat ratione cæteris animantibus; tanto ei magis cauendum ſit, ne quid agat,quo illis ſimillimus uideatur. Quare ut in illis ſenſus dominatur,ita in uobis ratio ſuum ſemper ſeruet imperium. Cui qui paruerit,omni luxuriæ labe abſtinebit. Nam quamquam luxuria non in cibo & potu & rebus uenereis ſolum; ſed in ueſtibus quoq; & cætero corporis atq; rerum domeſticarum cultu ſua dilatat ſignificata, non de hac loquimur luxuria, quæ per exuperationem temperantiæ aduerſatur. Nam ſi dixero intemperātiam, ut ſolent pleriq; omnes, hæc iuxta in defectu,ut in exceſſu queat intelligi; perinde quaſi & nimis temperans, & parum temperans, ſub

Luxuriam p exceſſum oppoui temperantiæ.

eodem intemperantiæ nomine queat comprehendi. Itaq; Latinè magis dicere mihi uideor, ſi luxuriam temperantiæ per exuperationem oppoſuero. Huiuſmodi autem luxuria non difficulter abſtinuerimus, ſi nimio delicatioréque & cibo et potu abſtinebimus. Nam ut eſt apud Terentium;

Præceptū.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

NON POTEST *ille non ad uſum ueneris uehementius incitari atq; accendi; qui ſe pretioſioribus aut eſculentis ingurgitarit, aut potulentis obruerit.*

Ratio, & exempla clarorum uirorum cohibēt à uitijs.

Id autem nemini unquam accidat, ſi rationem, ſi clarorum uirorum grauiſsimorumq; exempla ſibi ante oculos poſuerit. Marcus Curius Dentatus, cum Samnites poſt aduerſum conflictum ad eum profecti magnum auri pondus dono darent: rapa elixabat in coctilibus. Ita ſurridens reſpondit Samnitibus, ſibi auro opus non eſſe, qui tali cœna uteretur. Mos olim fuit apud Romanos maximis uiris, ut & pranderent, & cœnarent in propatulo; contenti ueſci ijs epulis,quæ mirabile temperantiæ exemplum repreſentarent. Cum eſſet apud eos

Parſimonia, & frugalitas antiquorum.

frequentior pultis uſus,quàm panis. Quanta uerò Lacedæmonij frugalitate uterentur uel in conuiuijs (Quæ à parſimonia Phiditia uocabant) & Lycurgi uita ex Plutarcho, & Lacedæmoniorum reſpublica ex Xenophonte,quas ipſi Latinas reddidimus,omnibus oſtendunt. Nō poterat ullus eſſe luxuriæ locus,ubi ue-

recundia

recundia maximo haberetur in pretio. Nam quos non pudet, ij flagitio nullo abſtinent. Videmus quæ nõ multo poſt tempora ſint ſubſequuta, cum apud Lacedæmonios, ubi ex præda, & manubijs Athenarum, Lyſander Lacedæmona ultrò pauperem, uel inuitam opulentiſſimam reddidiſſet: Tum apud Romanos. Nã Lacedæmonij pro atro illo iure, quo pro obſonio uti, ab usq; Lycurgi tempeſtate conſuerunt, ad epulas Perſicas per omnem luxuriam, dedecoroſamq; molliciam tranſlerũt. Romani uerò, cum iam propter nimias diuitias, atq; opes, ſeipſos ferre non poſſent, nullis nec delitijs, nec illecebris pepercerunt. Quid enim meminerim hortos penſiles, mira fabricatos arte? cum C. Sergius Orata penſiles balneas facere non erubuerit, et maria uarijs firmiſſimisq; molibus circumcluſa, quo nullo egeret piſcium genere, in multas, diſcretasq; piſcinas, ſibi perinde atq; tributaria effecerit. Et ne longius, quàm res poſtulet euehar dictione; quibus non eſt auditum Nedium Pollionem, hominem cruce dignum, uiuaria habuiſſe, quæ murenis implerat, easq; paſcere conſueſſe humanis carnibus? Qui enim ſerui ſceleratiſſimum hominem (ſi homo potius dicendus eſt, quàm efferata quædam, truculentiſſimaq; bellua) uel uerbo paululum offendiſſent, eos continuo abreptos in piſcinas murenis eſcam obiectare ſolitus traditur. Vide quæſo quãta ſit luxuriæ immanitas, quæ in tactu eſt conſtituta, ut murenis ille, humano ſanguine ſaginatis, incredibili cum uoluptate ueſceretur, id quod etiam auditu mihi nauſeam mouet. Cæterum quid hominum cupiditatibus eſt prohibitum, ubi ſe totos perturbationum temeritati atq; inſaniæ dediderunt? Et ſunt cupiditatum genera duo; Quarum alteræ naturales, alteræ non naturales, inanesq; dicuntur. Et Naturalium rurſus cupiditatum duo ſunt genera; quarum alteras neceſſarias eſſe uideamus, alteras non neceſſarias. Sed illud tamen ſemper nobis propoſitum ſit, quod antea monuimus, quaſdam in nobis natura ineſſe affectionum ſcintillulas; quæ reijci nec poſſunt, nec debent. Et eas quidem minime dandas uitio, modo ſuos terminos non excedãt. Nam cum primum adoleuerint, excreuerintq; in flammas, nullis rationis remedijs compeſcantur. Hac igitur moderatione, qui cupiditates admiſerit, quo pacto ijs utendum ſit, non ignorabit. Nunquam enim cupiditatibus capietur; quas ut nõ naturales; ita inanes eſſe, aſpernandasq; cognouerit; præſertim quod modum nullum recipiant, ſintq; & turbulentæ, & pernitioſæ, nec quicquam, quod deſiderandum uiro ſapienti poſſit iudicari, concupiſcant. Vt ſi quis per eas ſe compotem ſui uoti factum ſenſerit; continuò longè plus mali ex ſuis optatis ſibi eueniſſe animaduertat, quàm quod boni ſperarat. At ne naturales quidem, quæ neceſſariæ fuerint ad hominum uitam, difficultatem nobis poſſunt afferre; quoniam facillimè explentur, uel minima adhibita, aut induſtria, aut impenſa. Naturales uerò ipſæ non neceſſariæ, quàm minimis contentæ ſunt, cum uel ſecũdum ſapientem Epicurum, omnes naturæ opes determinatæ ſint, nec multo egeant labore. Et cibi quidem potusq; cupiditas, naturalis eſt, atq; neceſſaria, cum aut ſicco, aut humido nutrimẽto, aut etiam utriſq; omnibus opus ſit. Et procreandi quoq; cupiditas, naturalis neceſſariaq; eſt. Vt enim ſtirps ſtirpem generat, & herba herbam, & arbos arborem; ita cum in omnibus animantibus, tum

Verecundia homines co hibet à flagitijs.

Cupiditatũ humanarum diuiſio, & ſubdiuiſio.

Quomodo utendum ſit cupiditatibus, ut rectè uiuamus.

in hominibus potiſſimum, quædam ineſt cupiditas natura, ut ſimilẽ ſui procreet. Quibus in rebus qui ſeſe immoderatum, & uehementem præſtat, non modo exuperans, & ita luxurioſus dicendus eſt; ſed acerbiſſimis ægrotationibus, ac morbis ſe facit obnoxium. Qui uerò his omnino abſtinet, quanquam quotumquemque abſtinentem reperias? lapideus quidam ſit, & ita inſenſibilis nominandus. Quò ſit, ut is iure optimo laudetur, qui mediocritatem ſeruat. Hunc autem ut ante deſcripſimus, uirum temperantem, & iudicamus, & dicimus. Nec tamen parua ratio habituum quoq; corporis eſt babenda. Nam alij ſunt natura corporis temperamento calidiore, frigidiore alij. Hunc uis ſanguinis excitat in libidinem, debilitas illum remiſſiorem facit. Paulus Apoſtolus queritur, quod ſibi carnis ſtimulus datus ſit. At Phryne meretrix nobilis &c. * *

R E L I Q V V M *quod huic libro quinto deeſt, quodq; huic materiæ de Morali diſciplina finem imponeret, iniqua Philelphi fata nobis inuiderũt; ſeptuageſimum enim ſeptimum annum, dum hæc ſcriberet, agens (ut in initio feré libri quarti ipſe affirmat) morteq; præuentus inſperata: ſupremam operi manum addere non potuit. Ea igitur, ſicuti ad manus noſtras uenerũt prælo commiſimus, & qua potuimus diligentia ex illius αὐτογράφῳ deſcripta, tibi humaniſſime Lector tradidimus.*

F I N I S.

P A V L O

PAVLO. III. PONTIF. MAX.

IACOB MANTINVS HEBRAEVS. S.

INTER *omnia imperandi nomina.* P. B. *hoc unũ paſtoris nomen tum antiquiſsimum, tum diuinum, tum ſanctum, omnibusq; orbis terrarum populis pergratũ fuiſſe nemo ambigit. Ea ſiquidem imperandi facultas miſericordia, & manſuetudine, fide, & pietate eſt referta.* Iccirco *nedum Græci ubiq; paſtorem populorum regem appellant, uerum & ſacri antiquæ legis codices paſsim* Reges, *ſummósque Sacerdotes,* Iudices, *egregiosq;* Prophetas, *ac aliorum moderatores, paſtores uocant: nec me herculè iniuria, cum* DEVS Opt. Max. *Paſtor Iſraëlis, à* Dauide *fuerit nuncupatus.* Quam *inter cæteras præcipuã artem, & primi omnium parentes, & ſuperis acceptiſsimus* Moſes, *legislator æquiſsimus, accuratè excoluerunt.* Quod *nomen* Chriſtianis *adeò uenerandum, & mirificicum fuiſſe cernimus, ut qui ad ſummi ſacerdotij apicem, dignitatémue fuerint perlati, illico paſtoris nomine decorentur: quo nihil apud eos ſanctius, nihil diuinius, nihil deniq; præſtantius reperiri poſſe exiſtimem.* Quod *non ſolum hominum opinione, quam ſummis tuis uirtutibus tibi comparaueras, ſed diuina quadam ratione tibi deberi ſignificabatur.* Nam *qui primus* Farneſiorum *cognomen in gentem tuam intulit, is (mea quidem ſententia) neſcio quo numine afflatus, prænuntiaſſe uidetur, aliquando fore, ut eius nominis ratio in ſempiterna temporum ſerie inuoluta, inſigni aliquo dignitatis gradu, immortalis efficeretur.* Pharnes *enim,* Hetruſcorũ *lingua (quæ meo iudicio* Aſsyria *eſt, et ut patria* Hebræis *recepta) paſtorem atq; gubernatorem ſignificat:* Et *ſic* DEVS, *Pharnes Iſraëlis apud eos uocatur. Salomon quoq;, in grauiſsimo ſuo poëmate, populum in hunc modum introducit loquentem:* Amicus *meus mihi, & ego illi* Pharnes *inter lilia, ideſt paſtor: ut iam non obſcurè ad gentilitia tua inſignia alluſiſſe intelligatur.* Quod *nomen ex antiquiſsima* Hetruſcorum *origine in tuæ.* B. *familia, ceu diuinum quoddam oraculum relictum exiſtit, quo tibi ſummum, in* Chriſticolas *imperium promittebatur.* Cùm *igitur* Dijs, *hominibusq; fauentibus in cuſtodia quadam totius* Chriſtiani *gregis ſis conſtitutus.* B. P. *diu mecum conſideraui, quidnam in publica lætitia tibi afferrem, quod animum meum.* S. T. *deuotiſsimum, mirificumq; deſiderium ratione aliqua declararet.* Quanquam *uerò intelligerem nihil in me eſſe, quod tanta.* S. T. *maieſtate dignum uideretur, tamen minus culpæ in me reſidere putaui, ſi uel minimo quopiam argumento uoluntatem meam illi aperirem, quàm ſi nullas omnino uoces æderem, quibus me ab ingratitudinis ſuſpicione penitus uindicarem.* Malle *etenim ineptus uideri, quàm ingratus, optimus quisq; debet:* Nam *dilui hoc peccatũ nũquam poteſt, illud humanitate eius, cui debetur gratia, corrigitur.* Quocirca *cõſtitui.* S. T. *hos* Auerrois Cordubenſis

in Platonis Remp.commentarios, à me nunc primùm latinitate donatos, dicare: non quod putem eos ad S.T.rationes pertinere, quam ſciunt omnes literis à pueritia deditam, cum per ætatem licuit, in gerendæ Reip. ſcientia mirificè profeciſſe: ſed ut culpa uacarem, quæ profectò mihi inhæſiſſet grauißima, ſi optimo, & ſapiētißimo principi ſtudiorum meorum rationem non redderem: quæ ab ineūte ætate tibi debita fore, ſemper ſperaui, cui literæ omnes, earumq́; profeſſores, ſe plurimùm debere fateantur. Quod meum conſilium à S.T.improbatum non iri adeò confido, ut etiam laudem, quæ mihi ex ratione ſtudij mei dubia certè eſſet, certißimam ſola S.T.humanitate putem conſequuturū. Cæterum quid cauſæ homini Peripatetico fuerit, ut Platonis de Rep. dialogos ſuſciperet interpretandos, in ipſo ſtatim operis initio explicabitur. Reliquū eſt. B. P. ut tibi meipſum, atq́; otij mei rationes, quæ in ſacrorum librorum interpretationibus, & rei Medicæ conſumuntur ſtudio, diligenter commendem: optemq́; ut ſanctißimis tuis de Repub. negotijs, atq́; deſiderio tuo, felix exitus conſentiat. Vale.

PARAPHRASIS AVERROIS IN LIBROS DE REPVBLICA PLATONIS SPECVLATIVOS, QVAE EST SECVNDA

pars ſcientiæ moralis, Iacob Mantino Medico Hebræo Interprete.

PRAESENTIS *operis propoſitum eſt, ſummatim excerpere ea, quæ Plato ſub demonſtrandi ratione in libro de Republica explicauit, his tamen prætermiſsis, quæ probabilia uidentur. Verùm ut ordo doctrinæ ſeruetur, nonnulla exordiri oportet, è quibus doctrina ipſa quodã ordine deinceps tradetur. Nam Plato in quoſdam alios eiuſdem ſcientiæ libros, hunc etiam poſtea collocauit. Quædam præterea de huius ſcientiæ uſu, eiusq́; inſtituto, ac partibus docebimus.*

Intentio, ſeu propoſitum operis.

Propoſitio dicẽdorum.

DICENDVM *eſt ergò hanc ſcientiam, quæ apud omnes practica eſſe uidetur, ex ſe à contemplatiuis differre. Idq́; in primis ex ipſius ſubiecto uidetur manifeſtum, cum à cuiuſuis contemplatiuæ ſcientiæ ſubiecto diſcrepet, huiusq́; etiam principia, longè ab illarum principijs diſtent. Nam res ipſæ uoluntariæ ſubiectum huius ſcientiæ ſunt, quas ſcilicet dum operamur, ex noſtro arbitrio ipſæ pendent, earumq́; principium ipſa uoluntas, & electio eſt: quemadmodum naturalis ſcientiæ, ipſa natura principium eſt, & ipſius ſubiectum, res naturales. Item diuinæ ſcientiæ principium* DEVS, *& eius ſubiectum, res ipſæ diuinæ. Præterea præſens ſcientia à contemplatiuis ſeiungitur, quandoquidem illarum finis eſt tantummodò ſcientia: ac ſiquid in his operamur, id quidem per accidens fit, utpote in multis rebus, quas Mathematici cõſiderant, euenire ſolet: ſed præſentis ſcientiæ finis eſt ſola praxis. Huius tamen ſcientiæ partes inter ſe differre uidentur, quod quædam facilius, quædam difficilius ipſam praxim tradũt. Nam regulæ, quæ in hac ſciẽtia traduntur, quò communiores extiterint, eò minus ad præſtandam praxim conducunt: & quò minus communes fuerint, eò magis ipſam praxim docere, & oſtendere poſſunt. Idq́; in medicina liquidò patet, cuius una à Medicis ſpeculatiua, altera uerò actiua pars appellatur.*

Politica ſciẽtia practica eſt, et differt à cõtemplatiuis.

Subiectũ politicæ.

Finis politicæ.

Politicæ partes duæ.

ITIDEM *hæc ars in duas diuiditur partes, Prior quidẽ cõmunibus quibuſdam rationibus, habitus, & actiones uoluntarias, nec non Reipublicæ gubernationem in genera deſcribit, itemq́; explicat, quænam ſit unius ad alteram partem ratio, atq́; etiam, quidnam ex his alterius gratia ſit adinuentum. Altera, quonam pacto habitus eiuſmodi in animo firmi, ſtabilésque reddantur exponit, tum qualis habitus ſub alio collocetur, ut ſcilicet, actio ex habitu propoſito proueniẽs, perfectiſsima exiſtat. Docet quoq́; & quis habitus, & à quo impediatur, atq́; (ut in ſummam rem complectar) ea in hac parte traduntur, quæ ſi fuerint*

Prior pars politicæ quid doceat.

Poſterior quid.

cum

cum uniuerſalibus rebus coniuncta, tanquam fundamenta, fieri poterit, ut actiones inde proueniant. Atq; ita huius ſcientiæ pars prior ad alteram ſic ſe habet, uti libri de ſanitate, & ægritudine, ad libros, qui de tuenda ſanitate, deq; morbis curandis inſcribuntur. Præterea pars prior huius artis in eo opere continetur, quod Ariſtoteles ad Nicomachum ſcripſit: Altera in Politicorum libris, de qua & in hoc quoq; Platonis libro, quē expoſituri ſumus, agetur. Nōdum enim Ariſtotelis politicos libros uidimus. Sed ante declarandæ materiæ exordium, operæpretium eſt, ut de his rebus primùm ſermonem faciamus, quæ in prima parte declaratæ ſunt, & quæ ueluti fundamenta quædam ad id, quod dicturi ſumus, ſubijciendæ ſunt.

Prior ps polit. uidetur eſſe ethica. Poſterior, polit. ipſa.

Auerroes cū hæc ſcribebat nōdū legerat polit. li. Ariſt.

Quatuor ſunt genera diſciplinarum.

DICENDVM eſt ergò (ut in prima huius ſcientiæ parte explicatum eſt) quatuor eſſe humanarum perfectionum genera, Contemplatiuas ſcilicet uirtutes, & excogitatiuas, ſeu induſtrias (mechanicas Græci uocant) itemq; morales, & artes practicas, ſeu operarias, uel manuales dixeris: quæ omnes contemplatiuarum gratia adinuentæ ſunt, ad easq;, ueluti præludia quædam, & apparatus habentur. Nam quæ ante finem ſunt, illius gratia expetuntur. Oſtenſum præterea in ea parte eſt, neminem poſſe has omnes uirtutes adipiſci, uel ſi id fieri poßit, difficillimum tamen eſſe: in multis uerò uarijsq; hominibus, eas multoties reperiri poſſe. Quin etiā nemo aliquam ex his uirtutibus perfectè, niſi cæterorum hominum opera, & auxilio obtinebit, proptereaq; unuſquisq; ad eam, quam ſibi propoſuit uirtutem aſſequendam, alterius ope utitur: ideoq; natura ciuilis eſt. Sed ad reliquas etiam res uitæ neceſſarias comparandas, quæ quidem hominibus, & animantibus reliquis quodammodò communes habentur, utpote uictum, ueſtem, & habitanda loca inquirere, & (ut in pauca rem conferam) cūcta, quæ uis in homine concupiſcendi uiuendiq; expoſcit. Quodq; hæc neceßitas multifariam inuenitur, nempe, uel à qua nullum ſit effugium: quemadmodum fieri non poteſt, ut ſolus quilibet homo, quæ ad uictum, ueſtemq;, & domicilia neceſſariò acquirenda ſunt aſſequatur; uel quæ rei commoditatem præſtat, uelut ſi ita dixerim, poßibile eſt hominem quemuis uiuere, ut nec terram colat, nec ſerat frumenta, ſed qui hæc fecerit, commodius uiuet; uel præſidij, ſeu melioris notæ gratia id fiet, ut ſi à teneris annis quiſpiam aliquam artem elegerit, in qua diutius uerſatus fuerit, illius quidem opus in arte eiuſmodi præſtantius erit. Ea de cauſa inter cætera adductus eſt Plato, ut crederet neminem debere, niſi unicæ tātum arti operam dare, idq; à nobis paulo poſt explicabitur. Propterea complures artes quempiam exercere, uel eſt omnino impoßibile; uel ſi fieri quidem poterit, id minimè egregiè erit. Ac quoniam humanæ perfectiones non niſi ſeparatæ quidem ipſæ, aliqua tamen definita multitudine deprehendi omnes poſſunt: ideo ſinguli homines in ſuo ortu, & creatione ſecundum dictarum perfectionum diuerſitatem inter ſe differunt. Nam ſi ſinguli humanas omnes perfectiones aſſequi poſſent, natura quidem temerè, ac fruſtrà quid egiſſet. Siquidem impoßibile eſt, ut detur quicquam poßibile, quod reduci ad actum nō poßit. Idq; iam in naturali Philoſophia explicatum eſt. Senſu quoq; comprobatur, ſingulos homines

Non poſſe omnes ab uno diſci.

Platonis ſententia.

Non omnes diſciplinæ ab uno, ſed omnes ab omnibus ſeparatim percipiuntur.

Probationes. 2.

ita ſe

ita ſe habere, quod ſanè euidentiſſimè patet in uirtutibus præſtantioribus: proptereà quod non quilibet natura accommodatus eſt, ut uel bellicoſus, uel orator, uel Poëta, præſertimq́; Philoſophus euadat. Quod ſi ita res (ut diximus) ſe habet, rationi conſonum eſt, ut humanæ omnes perfectiones in aliquo hominum cœtu inueniantur, atq́; illi uiciſſim ſic ad perfectionem adiuuent: ut uidelicet is qui imperfectè aliquam uirtutem obtinet, ad eum confugiat, qui hanc ipſam uirtutem exactiſſimè adeptus eſt, non ſecus atq́; præludium quoddam ſuæ perfectionis acquirendæ. Similiter qui huiuſcemodi uirtutem abſolutiſſimè poſſidet, illi adiumēto eſſe debeat, qui minus illam perfectam habet, oſtendens illi uidelicet ſuæ perfectionis principia: uerbi gratia, arti equeſtri ars conficiendorum frenorum inſeruit, tanquam eius præparatio quædam: illa quidem hanc docet, quonam pacto frenum aptius, commodiusq́; eſſe debeat, atq́; etiam quo modo in eandem intentionem coeant. In prima autem parte declaratum eſt, quot modis unaquæq́; ars aliarum principatum obtineat. Si ergò talis hominum conuentus non reperiretur, neq́; etiam humanæ uirtutes reperirentur: uel ſi reperirentur, illæ quidem eſſent imperfectæ. Ac poſtremò hæ omnes uirtutes ita ad partes huius R.P. ſe habent, ſicut animæ potentiæ, ad partes unius animæ. Nāq́; huiuſmodi Reſpub. parte quidem qua contemplatur, ſapiens erit, ac reliquis partibus dominabitur: ſicuti homo, parte quà ratione fungitur, ſapiens eſt, ac cæteris animæ uiribus imperat. Intelligo autem per has uires eam partem, quæ rationali adhæret, anneƈtiturq́;, utpote pars iraſcibilis, atq́; etiam cōcupiſcibilis. Hoc enim pacto morales habebit uirtutes, ad ea enim ſe tradet, ac mouebitur, quæ & iudicio intelleƈtus, ac tempori ab eo conſtituto, & conſiderato conueniant, correſpondeantq́;. Ad hæc, fortis quoq́; ea parte erit, qua iraſcitur, non niſi tamen ubi, quatenusq́; ſapientia ſtatuerit, nec niſi quo tempore illa id ipſum exegerit. Quemadmodum & homo ipſe ea, qua iraſcitur parte fortis eſt, dum ea utatur, pro ut intelleƈtus præceperit, modumq́;, ac tempus præſcripſerit. Idem quoq́; de temperantia, & alia quauis uirtute dicendum eſt. Sic deniq́; ille omnibus tum rationalibus, tum moralibus uirtutibus præditus erit, præſtantiorq́; habebitur, ſi præſtantiores uirtutes fuerit aſſequutus. Et hæc eſt illa iuſtitia, quam inueſtigat Plato in primo libro huius operis, declaratq́; in quarto: quæ nihil aliud eſt, quàm ut unuſquiſq́; in R. P. ſuo fungatur naturali munere quàm optimè quiſq́; poterit. Hoc autem intelligi debet, quum partes R.P. mandato contemplatiuæ ſcientiæ, & ei præſidentibus obtemperant. Atq́; hinc manifeſtum eſt, hanc in ea excellere partem, quæ profeſſores contemplatiuarum ſcientiarum continet, omnibusq́; dominari, quemadmodum iuſtitia in unica anima eſt, quò unaquæq́; ipſius pars in ſuo ſit officio: ſcilicet ut decet, & quando decet. Nec aliter hoc in partibus animæ fieri poteſt, niſi ſi dominatur eis intelleƈtus. Quo etiam modo res ſe habet in Repub. Neq́; uerò te latere debet, harū uirtutum nonnullas ineſſe R.P. dici, quod in quadam eius parte ſint, ſicuti eſt Sapientia & Fortitudo: Nonnullas uerò, proptereà quod in omnibus ipſius partibus exiſtant, uti Iuſtitia, & Temperantia, quod ipſum quidem per ſe patet. Nunc, utrum uirtus liberalitatis in omnibus huius

Nota unde mutuū præſidium ſibi præſtent homines.

Similitudo ab artibus ſubalternis.

Analogia pulchra.

Iuſtitia, quā quærit Plato in libris de rep.

Nōnullæ uirtutes in aliqua tantum parte. R.P. Nōnullæ in omnibus.

An uirtus liberalitas in omnibus inſit.

bus huius R.P.partibus, an in una tantùm reperiatur, poſt hac inueſtigabitur, indiget enim conſideratione quadam. Cum igitur res ita habeat, fueritq; in priore huius ſciẽtiæ parte mõſtratum, quidnã ſint ſimpliciter huiuſmodi uirtutes, reliquum certè eſt, ut ad earum exactiorem cognitionem, aliqua amplius de eiſdem dicamus.

Tria proponit ſibi dicẽda exactius de uirtutibus politicis.

Primum eſt, ut eæ conditiones ſeruentur, quæ ſi in aliqua illarum conceſſæ prius fuerint, poßit quiſpiam operari, ut gratia exempli, ſi quæritur, quid ſit Fortitudo, ſimpliciter reſpondebimus quidem, eam eſſe in anima quendam affectum, medium inter audaciam & timiditatem, habitumq;, per quem quis, ubi, quatenusq;, & quando opus eſt, fortiter ſe gerit. Hæc nihilominus definitio non ſatis eſt, quin etiam deſunt inſuper propria quædam præcepta, quæ rei agendæ tempore neceſſaria ſunt, cum alioqui nõ poßit actio fieri.

Vniuerſalis diſputatio lõgius abeſt ab actionis inſtitutiõe.

Atqui ut Ariſtot. placuit, huius cognitionis finis actio quidem eſt, non ſcientia. Secundum eſt, quo nã pacto uirtutes huiuſmodi in adoleſcentium animo inſtituantur, & ſenſim in eis coaleſcant, donec perficiantur ipſæ: tum quæ ſint perfectæ, quo pacto integræ ſeruari debeant: ac deniq; qua cura ex prauorum animis uitia ipſa eximantur: tandemq; eadem uidetur huius negotij, & artis medicæ ratio. Nam ut illic cõtinet ultima pars, docetq;, quid ſit educandis corporibus ſalubre, quidue ſanitatem in eis tueatur, ac ſi quando à ſanitate receſſerint, qua ratione ægritudines amoueantur, ſic quoq; hic res ſe habet. Tertium ſupereſt, ut habitus, quidnam ſit deſcribamus: aut uirtus, quæ ſi alteri cuiuis uirtuti coniuncta ſit, actus inde illius exactior reddatur: Quis præterea habitus alteri officiat, perinde ac

Similitudo ſumpta à medico.

Medicus, hanc illi affectionem copulatam dicit, ſanitatem in corpora inducere, ac ſeruare. Quæ omnia facilè admodum intelligentur, intellecto prius fine, atq; propoſito harum omnium uirtutum, quatenus ſunt R.P. partes: haud ſecus ac ualetudinis membrorum tutela, eiuſdemq; reſtitutio cognoſcitur quidem ſæpißimè, cognita ratione, atq; ordine omnium inter ſe membrorum.

Quãta uis ĩ facultate cõiectãdi, quã græci uocãt ςοχαςικὴν

Quibus in hunc modum expoſitis, explicanda demum uia eſt, qua ſingulas in animis ciuium uirtutes, qualiterq; reperiamus. Et ſi minimè hoc te fugere debet, ad id, ut re ipſa uirtutes in Repub. inſint, ſimiliterq; in populis, non ſatis eſſe id, quod oratione explicari poteſt, donec ad hoc quoq; adhibeatur quædam coniectandi facultas, ut fit in arte medica.

Senes adhibẽdos reip. adminiſtrãdæ.

Atq; hinc colligi poteſt Reipub. gubernacula ſenioribus deberi: quippe qui, præter quod ſcientias ſpeculatiuas adepti ſunt, obtinent præterea experimentum, longo tempore acquiſitum: non aliter quàm medicus conſummatus quidem eſt, qui ad præcepta artis uniuerſalia, atq; immutabilia, adiecit etiam conijciendi uim, qua uniuerſalia illa, ſingulis quibusq; agendis rebus, experientia duce applicet, comparetq;:

De fortit. primũ cur?

Quod totum iam in priore huius ſciẽtiæ parte demõſtratum eſt. Reuertamur ergò ad ſermonem, unde digreßi ſumus, dicamusq; Platonem, cũ de uirtutibus tractare inſtituit, de fortitudine primò initium ſumpſiſſe.

Duplex uia reperiendi uirtutes in animis hominum.

Enimuerò (ut diximus) ratio ipſa, modusq; ſciẽdi, quibus eam perfectißimam ciues adipiſcantur, & ſeruent, ea eſt, ut quod primum ſit operum huius uirtutis propoſitum in ciuitate obſeruemus. Dicendum ergò eſt, duplicem omnino uiam eſſe, ex qua uirtutes in animis ciuium reperiantur. Alteram ſi il-

lorum

lorum animis,ſeu Rhetoricis,ſeu Poëticis orationibus altius opiniones imprimãtur: quæ propria etiam eſt uulgo ad ſpeculatrices ſcientias. Præſtantes alioqui uiros,certiore,ueriorecq; uia ad eaſdem perducimus,ut poſteà dilucidius exponetur.

Rhetoricæ, & poëticæ ſtudiũ quale.

Idcirco autem uulgus Rhetoricæ,& Poëticæ opera,ſcientiaſq; attingit, quod ex duobus unum neceſſarium ſit: ſcilicet ut uel demõſtratiuis rationibus id ſciat, uel penitus neſciat. Horum primum fieri non poteſt, alterum planè eſt poßibile: nam ingenium cuiuſq; ad illam humanam perfectionem adipiſcendam, pro naturæ menſura,atq; promptitudine intendi debet. Adde illud quoq;,cum inducti ſint ad credendum,& perſuaſi de ſcientia primi principij, atq; finis,quantum eis datum eſt,iuuabit id quidem,atq; eò magis,ſi etiam adiunctum fuerit illud alterum, nempe quod ad cæteras morales uirtutes, & manuales artes iam diſpoſiti ſint.

Morales ſcientiæ & practicæ cõfirmantur illis priorib.

Confirmãtur autem morales uirtutes, arteſq; illæ practicæ in animis eorũ priore(quàm diximus)uia, eis uidelicet ducendis ad illarũ artium atq; uirtutũ actiones utroq; horum generum orationis,ſuaſorio ſcilicet, atq; affectionum excitatiuo,quæ ſcilicet ad bonos mores inducunt. Hoc autem diſciplinæ genus, in eos,ut plurimum conuenit ciues, qui à teneris ſimilibus rebus aſſueuerint, atq; ex his duabus diſciplinæ uijs,prior illa naturæ magis conſentanea eſt. Poſterior etenim ea eſt, cuius uſus in aduerſarios potißimùm, ac odioſos nobis eſt, eoſq; qui uirtutibus illis debitis adhærere recuſant, quam quidem uiam quis nuncuparit,tum uerberibus, tum uerbis aſperioribus caſtigatricem. Neminem autem latere debet huic poſteriori uiæ,inter ciues huius.R.P.præſtantißimæ locum non eſſe,ſui autem quoquomodo eſſe intelligatur, non ſaltẽ ſummo illo puniendi genere,quod bellicæ artis proprium eſt,officijq; militaris.

Nonnullæ gentes inſtitutionẽ non recipiunt, niſi per uerbera.

Atqui nonnullæ aliæ gentes improbæ adeò exiſtunt, minimèq; uirtuti parentes,quarumq; mores inhumani ſunt,ut nulla alia ratione inſtitui poßint, niſi cum illis confligatur, ut uirtutibus obſequantur. Vtramq; igitur harum uiarum quibus uulgus corripitur, naturæ haud abſimilem eſſe manifeſtum eſt, ducto à patribusfamilias exemplo, qui,& corripiunt,& increpant familiam ſuam,pueros, adoleſcentes, ſeruos, perinde átque non probarum ciuitatum cuſtodes,ſuos ciues,tum conuitijs, tum fuſtuario, tum capitali deniq; pœna,coercent. Verum enimuero Rempub.illã,de qua nunc nobis ſermo eſt inſtitutus, rarißimè continget illa caſtigatrice uia uti.In externos uerò opus quidem eſt, ut huiuſcemodi uia adhibeatur, utpote cum rebelles populi, non niſi bello emendari poßint.Similiſq; ratio eſt in legibus, quæ ab humanis legibus non diſcrepant.

Lex duplex.

Quemadmodum noſtra hæc lex diuina,cum uia ipſa, quæ ad DEVM glorioſum ducit,ſit duplex. Altera quidem,quæ ſermone, atq; oratione nititur. Altera,quæ armis. Sed cum hæc particularis ars, nõ niſi morali uia tutò perficiatur, qua ſcilicet maximè ad id, quod decet, accedimus, habita tamen,& temporis,& modi ratione, hæc certè ipſa uirtus fortitudo eſt, quæ circa ipſa eadem in optimè inſtituta Repub. ad huiuſmodi officium adducit:

Multæ uirtutes propter artes, & è cõtra.

quæ tamen opus ſuum perficere poſſe non uidetur aliter, quàm arte illa propria addita. Id quòd in pluribus moralibus uirtutibus, artibuſq; operarijs perſpicitur. Multæ ſiquidem uirtutes artium gratia acquiruntur, uiciſsimq; artes non paucæ

ob uirtutes

ob uirtutes repertæ ſunt, eſtq́; quod Ariſto:eles ſenſit de præſtātiſſimæ Reipub. bellis, ut Alpharabius memorat: quod tamen à Platone hoc in libro dictum uidetur non in eum ſenſum, ut hæc ars ad eum finem adinuenta ſit, uerum ob neceſſitatem: hoc ſcilicet præcipuo inſtituto, ut ab alijs ciuitatibus rapiant eas facultates, quas ab eiſdem poſſideri moleſtè ferant, idq; certè propter neceſſitatem, aut quod ita ſatius eſt. Proximum etiam propoſitum eſſe poſſit, ut id cuſtodiæ cauſa faciant, ne exteri illis incommodent: quæ ſanè ſententia probabilis eſt, ſi hominum genus quoddam daretur, quod procliue ad humanas perfectiones, contemplatiuas præſertim, eſſet. Quod ipſum, etſi Plato de græcis opinari uidetur, eosq; recipimus plurimum natura ad recipiendā ſcientiā habiles, negare tamen non poſſimus alios quoq́;, & multos ita affectos reperiri, ut in propinquis Græciæ nationibus uidere eſt, nec non in regione noſtra Vādalia, Samiaq́;, atq; Egypto, certè tum in Græcia hoc ingenium frequentius eſt. Veruntamen, ut id concedamus, poſſumus amplius dicere, in alio uirtutum genere nihil obſtare, quo minus aliqua alia natio natura parata ſit (ut fit plerumq́;) ad certā aliquā uirtutē, ut uerbi gratia, pars ſciētiæ capax in Græcis præſtantior, in Gallis, alijsq́; huiuſmodi gētibus iracundia, et quidē locus hic eximiæ quæſtionis eſt. Cum ubicunq́; pars illa ſcientiæ addicta polleat, ibidem eò, & uirtutes appoſitiores, præſtantioresq́; ſint, idq́; naturali præſtantia. Vtcunq; uerò res ſe habeat, ita in maiore gentium parte comparatum eſt, ut per eas gentes uirtutes huiuſcemodi diſpenſentur, diffundanturq́;, præſertim hoc in quinta, quartaq; regione (clima alij uocāt) quæ reliquis temperatiores ſunt. Idq; pro Platone facere apparet, qui dicit homines eiuſmodi uirtutibus præditos eſſe poſſe, ſi à teneris (ut aiunt) unguiculis in illis fuerint, & educati, & uerſati. Tranſactis uerò his annis, ſi uirtutes has excluſerint, nulla amplius ad eas ſpes relicta eſt. Igitur neq́; obiurgatio, neq; pœna in eos, qui iam ſunt prouectiore ætate, & non in ſtudioſa admodum adminiſtratione educati, aliquod momētum habebit, Verum quandoq; id neceſſariò fit, ad liberos eorum ui auferendos, qui uirtutibus inſtituantur. Neq; uerò fieri non poteſt, ut à quàm plurimis, quorum iuuenilis ætas eſt trāſacta, uirtus aliquatenus acquiratur, idq; imprimis, et ſi non ſint in ea inſtitutione educati, quæ uirtuti eſt maximè proxima, quod ſi ne id quidem eis contingat, tunc eis ut alterum iſtorum accidat neceſſe eſt: uidelicet, aut interficiantur, aut ſeruiant, ſintqúe in repub. propemodum loco animantium irrationalium. Itaq́;, cum ex ſuperioribus clarum ſit, quodnam propoſitum ſit iuſti belli, non ab re nunc uidebitur ad ſingula quæq́; ſermonem transferre, quæ à Platone de eligēdis ad huiuſcemodi uirtutes aptis, diſputata ſunt, & qua ſagacitate, in illorum animo uirtutes ipſæ cōfirmentur, easq́; ipſi exerceant in hunc modum, ut proficiſcentes ab illis uirtutibus actiones optimæ ſint. Ac Platonem quidem ipſum cenſere opinamur, neminem in ciuitate pluſquàm una arte debere inſtitui. Quippè cum nemo unus natura idoneus ſit ad plures artes. Ad hæc, habitum ipſum artis ſic melius adipiſcitur quiuis, quò perfectum opus artis efficiat, ſi à pueris in ea fuerit educatus, ac ſi nemo in equeſtribus ludis, atq; congreſſionibus illis armatorum equitum haſtis

Aliquod hominum genus magis procliue ad ſcientias quàm aliud.

Aetate tenera uirtutes percipi.

Neminem præterquā una arte debere inſtitui.

baſtis infeſtis concurrentium id efficit, quod optat, niſi in utraq; re uſq; à pueris exercitatus aſsiduè, ac planè inſtitutus fuerit, quantò minus in arte militari id conſequetur? Adde etiam complures artes, & rationem, & tempus inter ſe communicare, quò neceſſe eſt conſequens, ut eorũ, qui plures artes aggreſsi ſunt perturbẽtur, implicenturq; opera. Eoq; eſt Plato *opinatus cuſtodes, reliquarum artium expertes eſſe debere, neq; nõ eius potiſsimùm naturæ debere eligi ad huiuſmodi officium, cui cum corporis robore, inſit etiam mouendi uelocitas, ſenſus perſpicacitas, adeò ut ſimulac ſenſerit aliquid, quod in rem ſit, accurrat, indaget, aſſequaturq; idipſum quàm celerrimè: ueluti eſt natura uenatici canis, ſeu maris, ſiue fœminæ: utriuſq; ſiquidem, & canis, & cuſtodis par ingenium eſt, quod ad ea ſpectat, quæ ſunt cuſtodiæ neceſſaria. Atq; eæ ſunt cuſtodũ, militumq; corporales affectiones. Quod uerò ad animi mores attinet, eos natura iracundos eſſe oportet. Nam quicunq; eſt iracundiæ expers, efferueſcere nõ poteſt, atq; ita; neq; arcere, neq; abigere hoſtem. Idq; in homine eſt haud ſecus, atq; in reliquis animantibus: uideturq;, quiſquis eſt his moribus tum corporis, tum animi natura præditus, utramq; rem ex æquo ſeriò, grauiterq; accipere, odium uidelicet, & amicitiam. Atq; in his tamẽ opus eſt, ut duo maximè diſcordia, concordi nectantur, iunganturq; uinculo: quorum alterum eſt, ut maximo amore, ſtudioq; ciues proſequantur, alterum, ut, & maximo odio perſequantur hoſtẽ. Quid igitur, an fieri non poteſt, ut homo quiſpiam duabus his affectionibus inſtructus naſcatur? præſertim cum rarus omnino cuſtos ſit, qui non has duas coniunctas habeat. Quod ipſum, etſi fieri non poſſe uideatur, fieri tamen poteſt, quemadmodum in nonnullis animantibus perſpicuum fit, ueluti in cane: qui cum acres, uehementesq; affectus habeat, natura tamen contrarios etiam admittit, cùm nihil magis homini ſit domeſticum, ac mãſuetum ei, qui cum ipſo ludit, à quoue ſit enutritus: ut è contrario ei, quem non cognoſcit, nihil infeſtius eſt. Dixit inſuper* Plato, *inter cuſtodis mores eſſe, ut naturali quodam ductu diligat agnitos, quæ ipſa quidem natura philoſophica eſt. Quoniam qui aliquid ob id ipſum, quòd eius notitiam, aut ſcientiam habeat eligit, hic natura probus eſſe uidetur, dum etiam quẽ ignorat, odio proſequatur: non propterea tamen quòd aliquid prius ab eo incõmodi receperit, uerum natura ignorantiæ, qua eum ignorat, incitante: quemadmodum amor, quo proſequitur eum, quem nouit, inde eſt, quod ab eo aliquo ſit beneficio affectus, ſcilicet cognitionis natura, uelut ita præcipiente quod, & in eo ipſo animante, à quo paulò ſuperius exemplum duximus, quodq; diximus cuſtodi eſſe ſimile, uidere eſt. Etenim, dum ignotum ſibi quempiã intuetur, malè afficitur quandiu eſt præſens, quanquam nihil antea mali ab eo acceperit: contrà, ſi notum aſpicit, adblanditur ſtatim, etſi nihil etiam ab eo commodi ſenſerit. Hac autem lege prædiximus debere eſſe cuſtodem, ut contrarios illos duos affectus conſummatiſsimos habeat, quibus, & notos, qui ipſi ſunt ciues, deamet, et ignotos, hoſtes ſcilicet exteros, oderit. Namq;, & amicitia utilitatis alicuius cauſa, et inimicitiæ ob damnum aliquod ſuſceptæ perfacilè ceſſant, indeq; efficiatur, ut inimici ſint principes, & uiciſsim principes amici. Atq; id quidem per ſe clarum eſt,*

Cuſtodes ſuos uult Plato eſſe iracundos.

Similes canibus.

Cuſtodes debere eſſe philoſophos.

rum eſt,poteſtq́; ex ſuperioribus uideri conſequens cuſtodes,atq́; defenſores natura debere eſſe philoſophos, uidelicet ſcientiam, ſeu cognitionem diligentes, ignorantiam reſpuentes,iracūdos,motu ueloces,robuſto corpore,perſpicaci ſenſu. Ac rationes quidē,quibus inſtitui,exerceriq́; debent, duæ eſſe uidentur,Gymnaſtica altera, altera Muſica:

Muſica, & Gymnaſtica.

& Gymnaſtica quidem, ut corpus exercitatione ueram,ſolidamq́; uim adipiſcatur. Muſica uerò,quò animus eruditione, uirtuteq́; excolatur ipſe,eiuſmodi tamē eruditio, per muſicam ſcilicet tempore prior exiſtit. Quoniam quidē,quæ in intelligendo eſt habilitas, citior eſt,præceditq́; quālibet corporis aptitudinē,quæ Gymnaſtica acquiritur. Intelligo autem per muſicam poëticos ſermones,cōcentu, numeriſq́; compoſitos, quibus ciues inſtituantur,eaq́; cauſa conſonantiam ineſſe uoluit, quod tales ſermones altius, magiſq́; animum moueant. Namq́;, ut iam ſuperius dictum,poëticæ muſica inſeruit,ad illiuſq́; propoſitum ſe format.

Diuiſio ſciētiarum.

Sermones uerò, quibus ciues edocentur(ut dictum eſt)nonnulli de ſcientijs tractant,nonnulli uerò de rebus agendis. Sermonum quidem illorum duo ſunt genera,quorum alterum in demoſtratiua, alterum in probabili,topica ſcilicet rethorica,& poëtica ratione uerſatur. Inter has uerò poëtica erudiendis pueris maximè propria eſt, qui iam adulti,ſi idonei ſunt, qui ad

Nota de poëtica.

alium diſciplinæ ordinem ſeſe transferant, ea certè iam ita ſunt affecti,ut,ſi natura permiſerit,poſsint ad demonſtratiuas diſciplinas promoueri, quo in gradu ſapientes ſunt. At qui,ſi reluctabitur natura, eo in loco reſtabit, quem tranſire natura non conceſſerit: aut ſcilicet in topicis orationibus, aut uulgaribus alijs duobus diſciplinæ generibus rhetorico, & poëtico, quanquam poëticum ipſum communius,pueris tamen magis proprium. Res uerò, quæ in contemplationem ueniunt,omnibus ferè communes ſunt,niſi fortè cogeremur certi cuiuſpiam finis gratia ſingularia, ac propria quædam fingere ob ſimplicem, ſeu incompoſitam alicuius hominis intentionem,et opinionem. Idq́; his præſertim conuenit,de quibus paulò antè ſermonem fecimus,utpote,qui mortuos uiuere dicunt, alijsq́; fabulis à uerò alieniſsimis utuntur. In contemplatione uerò, quæ per uirtutem fin-

Liber Alfarabij de rerum ordine.

gere licet,ea iam narrauit Alfarabius in libro,quem de rerum ordine cōſcripſit, quamobrem ab ipſo petenda ſunt: quæ uerò ſuperſunt actiua, in hac etiam ſciētia tractata ex his,quæ fingūtur,ut dicetur,alia ſunt ueriſimilia, alia à uerò abhorrentia, alia uera,alia falſa,ut cum figura ex homine,& boue fingitur. Eiuſmodi in hac Repub. figmenta recipi nulla debent,quod maximè pernicioſa ſint. Abhorrentia quoq́; à uerò, quantum fieri poteſt, ſummoueri debent. Eſt tamen

Veriſimilia figmēta debent recipi.

propinquis,ac ſimilibus uerò figmentis omnino hac in repub. locus, quemadmodum,ſi primum principium, & ſecunda deinceps principia,principijs ſimilibus ex ratione ciuili deſumptis imitemur, operaq́; diuina operibus principiorum illorum ciuilium; effingamusq́; potentiarum, & principiorum naturalium actus ſimilitudine quadam uirium, ac artium uoluntariarum; ſimiliterq́; harum intellectiones ſenſilium ſimilitudine,ut materiam per priuationem,& tenebras uelut depingimus. Nec minus ultimæ felicitatis genera, quæ ipſa actionibus uirtutum humanarum finis eſt his bonis, quæ apud nos ſumma eſſe uidentur, utq́; uera re-

fertur

fertur felicitas, eò quod felicitatem eſſe cenſemus. Atq; , ut paucis dicam, quaſi ob oculos ſeries, graduſq; rerum omnium in uniuerſo exponuntur ſimilitudine, ac propinquitate quadam localis, temporaliſq; ordinis. Enimuero Platoni *uiſum eſt pueris nihil pernicioſius eſſe poſſe, quàm ſi in hac ætatula, falſis fabulis imbuantur: quandoquidem eo ipſo tempore maximè procliues ſint ad quaſcunq; uelint fictiones concipiendas.* Quocirca *eo imprimis tempore cauendum eſt, ne falſa audiant, atq; iam inde ab educationis exordio potiſſimum cuſtodiantur, quippe cum ſit actionis cuiuslibet initium apprimè efficax.* Cauendum *quoq; eſt, ut inquit* Plato, *ne aut exerceantur, aut aſſueſiant abſurdiſſimis fabulis. Idq; diligentius, quàm ſi tenera eorum corpuſcula niuibus committantur. Statim igitur nutricibus tradamus, ſimulq; dum ſunt paruuli, pro tempore erudiantur, moxq; hinc ipſi paulò maiuſculi ad ſacras ædes, & ſacrificijs dedicata templa adducantur.* Turpes *ſiquidem, mendacijsq; ſcantentes ſermones, ad finem optimum eos perducere nequeunt.* Et Plato *quidem his tractandis commemorat quæ ſuo tempore in uſu erant, admonetq; ne illis ipſis adhæreant.* Nos *quoq; ipſi eum in hoc genere ſequemur, ac narrabimus id, quod apud nos uulgò committitur.*

Plato putat fabulas nocere pueris.

Similitudo.

DICAMVS QVE *inter abſurdas huiuſmodi fabulas, ut ſcientijs ſpeculatiuis eſt demonſtratum, hanc quoq; eſſe, quam paſſim uulgus agitat, boni pariter, atq; mali* DEVM *cauſam eſſe, cum manifeſtum ſit puram, ſimplicemq; bonitatem nihil ullo tempore mali facere, atq; ideo illius cauſam non eſſe. Id præterea, quod noſtrorum temporum* Theologi *dictitant, bonum, & malum comprehendi in* DEO *optimo maximo nõ poſſe.* Quin *etiam quod omnia ad ipſum relata opera bonum quiddam ſint, manifeſtè abſurdum eſt; propterea quod, ſi ita eſſet, tunc nec bonum, nec malum naturam in ſe definitam haberet, ſed eſſet boni & mali quaſi quędã ex reſpectu cõſideratio: malum itaq; ad aliud debet principium referri, ueluti ad* Aſmedai *cacodæmonum principem, alioſq; ſimilis naturæ dæmones, etſi ficta huiuſmodi ex alia ratione exiſtant praua, nempe ſiquidem, quum puerili ætate quis acceperit eſſe dæmones quoſdam, qui parietes in homines euertant, nec ullo poſſint obice cohiberi, tum qui cum uideant, minimè uideantur, & ſe quandocunq; uoluerint offerant, transformenturq; qualicunq; figura.* Tum *profectò uerendum eſt ne cuſtos optimus ille poſſit effici, eo quod ſermones huiuſmodi in puerilibus animis mollitiem, pauoremq; conciliant, confirmantq;.* Nec *paulò turpius id ipſum eſt, quod dicitur transformari angelos uariè, quod ipſum inter miracula reponendum eſt.* Ideoq; *magis conueniebat ad rationem figuratæ materiæ malum referre, ut qui, uel ad tenebras, uel ad priuationem illud referunt.* Multa *autem malorum genera ſunt, quæ ad* DEVM *referri ſunt ſolita.* At *ea quidem illum non fallunt, qui huiuſmodi multa in legibus perſpexerit.* Inter *commenta quoq; praua connumerabitur commentum felicitatis ipſius ex præmio operum, quibus felicitatem acquiri perſuaſum eſt, necnon ex mercede ab his operibus abſtinendi, quæ felicitatem minimè inducũt.* Sic *namq; dolor uelut pœna eſt inflictæ negligentiæ probarum actionum, ac ſtudio prauis actionibus nauato.* Nam *ſi quæ figmẽtis ſimilibus acquiruntur uirtutes, uitia*

Quales fabulæ noceãt, de Dijs fictæ.

Mala nõ debere referri ad Deos.

Virtutes, quæ mercede exercentur, nō ſunt uirtutes, ſed uitia.

tes, uitia potius quàm uirtutes uideātur, uti ſanè continens non aliter à uolupta- te ſe contineret, quàm ut maiore aliquando fruatur; nihiloſecius & fortis, pro- ptereà fortis non eſt, quòd bonam eſſe mortem cenſuerit, ſed metu mali alicuius grauioris: Similiter neq; iuſtus abſtinet à reliquorū hominum facultatibus, pu- tans id ipſum per ſe honeſtum, uerum ut poſtea duplo amplius conſequatur: Sic itaq; ad complures egregias uirtutes inſtinctu uitiorum ageretur. Sic ergò ma- ior figmentorum pars, quæ uirtutis mercedem exprimunt (ut inquit ipſe) ſenſi- bilibus illecebris explicata eſt, ita certè, ut iuſtus ſit quiſpiam, fortisq;, et uerax, uirtutibusq; quibusq; præditus, ut Venere demum, & cibo, & potu fruatur, quod minimè eum fallet, qui diſciplinis ſe exercuit. Et ſanè quidem impreſſus animo ab huiuſmodi fictionibus affectus, haud diſſimilis eſt ei, qui ita cuiuſpiam animū affecerit, ut ſe ille tantum cohibeat: at nihilominus in illo nihil inerit uirtutis, uerum felicitatē ex his operibus parari credendum eſt, quibus par eſt, quo modo ſanitas ex cibis, medicaminibusq; ſequitur. Idem quoq; de pœna, ac dolore ſentiē- dum eſt eodem modo, illa cauſam ſuam ſequi, quo ſequitur ſcientia diſciplinam.

Fictiones fabularū quo modo non efficiāt aliquem uerè bonum.

Quocirca ſi ita beatitudinem effinxeris, ut ſanitatem animi eſſe facias, ipſiusq; immortalitatem, erit profectò ſermo huiuſmodi non abſonus. Inquit inſuper Pla- to cuſtodibus, qui fortes, pugnacesq; futuri ſunt, nihil planè eorū, quæ poſt mor- tem futura, & offenſura feruntur, formidinem incutere. Nam quiſquis imagina- bitur talia, non præferet, ſi quando pugna accidat, mortem captiuitati, aut ſer- uituti: eoq; ſermones eiuſmodi procul omnino à contemplatione reijciendi ſunt: quin etiam ab actione illi, quicunq; ad uitia, aut turpitudinem cōcitant, ſunt ex- cludendi: qua ratione à muliebribus cantiunculis, ut ne eas audiant abſtinendū. Eodem modo nec cuipiam credenda eſt mors amici, aut ſocij quiddam eſſe, quod triſtitia, aut moleſtia mortuum illum afficiat, aut ob mortem cuiquam damnum eſſe, proptereaq; ſit in luctum maximum, eiulatumq; erūpendum. At uerò longè aliter cuſtos ſe habere debet, ut qui nihil penitus triſtetur defuncto quouis ami- co, uel affini: aut ſaltem, ſi qua triſtitia attingitur, ea ut minima ſit, ac uelut, ſi quod luctuoſum eſt ei cōtigat, ferat id ipſum æquo animo. Nam flere, muliebre abiectiq; planè animi officium eſt, quod utrunq; eſt à natura cuſtodis ualde re- motum. Ideoq; neq; Prophetis, neq; Magiſtratibus formido, aut metus conueniēs, quemadmodum (inquit Plato) eoſipſos in riſum, atq; cachinnos profuſiores eſſe non debere. Nanq; ſi quis animum uehementi riſu ſoluat, non modicæ obnoxius erit mutationi ut à contracta iam cōſuetudine eximatur, quo certè probari poſ- ſit ſummæ authoritatis uiros non debere eſſe in immodicum riſum propenſos.

Cuſtodes ciuitatis non extimeſcere ea, quæ poſt mortē ſunt horribilia.

Non dolendū propter mortē amicorum.

Immodicus riſus damnatur.

Ad hæc inquit quoq; Plato ueritatem plurimi faciendam eſſe, magnamq; de ea curam habendam, ac ſolicitudinem. Mendacium etenim, ut non diuino numini, ita nec regibus, nec priuatis hominibus conuenit, quo nullo modo aſſuefaciendū. Ampliusq; quiſquis aut artifex, aut alius mentiens deprehendatur, ſtatim dare pœnas debet: ac uulgò dicendum eſt, quandocunq; quis ex plebe magiſtratibus mentiatur, non aliter ſibi damnum conſciſcere, quàm ægrotum medico falſa nar- rantem: Contrà uerò, qui Remp. adminiſtrant poſſunt honeſtè nōnunquam mē-

Veritas plurimi facienda, mēdaciū reijciēdum, & puniendum.

dacium dicere, quemadmodum ægrotis à medico, qui pharmacum porrigit, dici- tur. Atqui uti qui pharmacum exhibet Medicus eſt, ſic quoq; qui in negocio re- gni populo mendacia ſubijcit, Rex eſt. Quæ mendacia in inſtituendis ciuibus per ſæpe neceſſaria ſunt, neq; ullus eſt omnium legislatorum, qui non mendacijs uta- tur, idq; populo eſt per neceſſarium ad ſuam felicitatem adipiſcēdam. Ante om- nia autem caueri debet, ne ſermones uoluptatem prouocantes inter eos audian- tur, cuiuſmodi ſermones in Arabum carminibus frequentes ſunt, ea autem au- diant, quæ à uoluptatibus potiſſimum auertant. Temperantia namq;(ut Platoni uiſum eſt) eſt cum continentia, et abſtinentia illecebrarum ſenſualium coniuncta, ut poſt hæc ex illius uerbis enarrabitur. Operum uerò Temperātiæ hoc demum præſtantiſſimum eſt, ſuperioribus ſuis fideliter obtemperare, ac uoluptatibus do- minari, non autem parere. Quocirca qui ad illecebras ſermones alliciunt, nullis omnino auribus permittantur, nec magis noxium quicquam cogitari poteſt, quàm ut magiſtratus, principesq;, uel minimo quidem tempore his illectamentis capiantur. Nec certè potius ſit eos ſermonibus aſſuefieri, qui ad congerendas pe- cunias, & rem acquirendam incitāt. His enim artibus maximè(ut inquit Plato) quæſtus officit: quin & adoleſcentes admonendi ſunt ne hæc, aut ſimilia his au- diant. Neq; uerò te lateat Arabica poëmata nefarijs his rebus ſcatere: ob idq; pernicioſius quicquam eſſe non poteſt, quàm cum adoleſcētes à pueris hiſce im- buti fuerint. Hactenus igitur de fabulis. Plato autem rem magnam cenſuit oſten- dere, quæ fabularum genera à cuſtodibus non audiri debeant, diſtinxitq;, quibus ſermonibus illis utendum non ſit. Atq; inſuper dixit, narrationes, uel præterita- rum, uel præſentium, uel futurarum rerum eſſe. Talis autē narratio, aut eſt ſim- plex, aut quid fictum; & illud quidem rurſum rem eam, quam tractat dupliciter explicat. Nam uel uoce, ſeu figura, ac transformatione quadam, uel imitatorijs uerbis. Antiqua autem illa poëſis prima uocis tantum ſæpius, & figuræ imita- tionem capiebat, donec tandem ad uerborum etiam æmulationem deuentum eſt: Cuiuſmodi ſanè imitandi ſtudium arti poëticæ magis appoſitum eſt, cum ea ra- tioni orationis inſit, non exteriori quidem rei. Modò poëtæ Arabes poſtremum hoc imitationis genus uſitatiſſimum habent. Ac poſtea quàm genera duo oratio- num narratiuarum expoſuit Plato, fingentium, ſeu imitantium uidelicet, & ſim- plicium; fingentium ſanè id, quod narratur per figuram, ac ſimilitudinem, cum talia apud eos tum imitandi genera ualidiora eſſent, perquiſiuit etiam, num li- ceat cuſtodibus imitari: aut ſi liceat, qualiter, quot modis, & quatenus id eis cō- cedatur: planeq; oſtendit, eiſipſis non conuenire imitationem, utpote cum in hac Republ. (ut dictum eſt) nemo, niſi ad unicam artem ſe conferre debeat; & enim hoc pacto in ea efficietur, & aptior, & melior. Quæ etiam ratio in imitationi- bus eadem eſt, ut ſi quis benè, ac perfectè imitari uelit, in unicum ſe imitandi ge- nus tradat. Natura itaq; ingenio quoſdam tulit ad uituperandum, quoſdam ad laudādum ſummos: quod poſterius de quodam Benaltas Arabo dictitatur in lau- dando eum, non in uituperando ualuiſſe. Et ſi quidem non eis conceditur imita- tionis quoduis genus, non tamen idcirco neceſſe eſt, ut unico in genere imitandi

Similitudo.

Legulatores aliquā do mentiuntur. Curā

Irritātia ad uoluptatem non audienda.

Tēperantiæ opus præcipuum.

Non audiendi ſermones de parandā pecunia.

Arabica poëmata reprehendit.

Duplex ratio imitandi in poëſi.

Imitatoriā poëſin reijcit Plato.

Excēpla Arabum poëtarum.

Qualis imitatio concedenda, qualis non.

uerſentur, ſi eis decretum ſit imitari quicquam. Id quidem à pueritia, quod eis cõueniat imitentur, ueluti ſimiles ſe fortibus facere, nec non temperatis, ac liberalibus, ſimilibusq́; his, uitioſis uerò haud licet: Quandoquidem imitationes, ſi à teneris annis exceptæ continuentur, abeant certè quidem in naturam, atq; habitũ: atq; id quidem nõ ſecus in animo, quàm corpore. Quocirca nec præſtantibus illis, ac ſummis uiris concedendum eſt, mulieres parturientes imitari, eoq; in dolore uociferantes: Neq; uerò cõcumbentium, aut rixãtium cum uiris, dum ſe maximè dominio dignas contendunt, morem eos imitari decet, earumq; aut eiulatũ, aut fletum ſeruóſue, aut ſeruas æmulari laudabile eſt, ſicuti neq; ebrios. Neq; uerò id ſolummodo, quin etiam, neq; eis permittemus coriariorum, uel calceariorum artem imitandam, ſed ne aliam quidem quamlibet artem. Non minus enim deforme ſit, ſi huiuſmodi artes ſtudeant exprimere, quàm, ſi ipſas uerè exerceãt. Quãtò igitur minus, aut equos hinnientes, tauróſue mugientes, fluuiorumq́; aut ſtrepitum, aut murmur, maris fremitum, fragoremq́;, ac tonitrua eos agere ſit tolerabile, quia enim id totum meræ inſaniæ eſt. Ad hæc id quoq; dicere iuuat,

Arabũ poëmata reprehendit.

aſſolita Arabibus carmina, quibus ſolẽt hæc nugarum genera effingi, abijci procul debere. Quapropter huius Reipubl. poëtis non cuiuslibet rei permittenda eſt imitatio, idq; compluribus de cauſis. Prima eſt autem, quoniam quandoquidẽ illius imitatione actio erit exactiſsima, ut fit etiam in artibus, qui unam tantum

Poëtis non eſt concedẽda oĩs imitatio. Cur?

ſpeciem exercuerit. Proxima eſt, quòd res turpes, aut quæ nullius ſunt ad inſtãmandum, uel deterrendum efficaciæ; quales innumeræ propè in Arabico poëmate, has inquam, aut imitando exprimi, aut referre huic Reipub. non eſt conſentaneum: Quanquam etiam illis nonnullarum mulierum probarum quidem, et orationes, & ea, quæ ad exemplum pertinent, referre concedamus, uirtutesq́; ipſas, quæ in moribus ſunt imitari. Et quod in poëtis cauemus, id etiam in pictoribus

Neq; pictoribus.

huius Reipub. curandum eſt, ne temerè quidlibet pingant, præſertim ne uitioſos homines, ſed probos omnino: uti & puerorum, & adoleſcentium ex pari auditui, uiſuiq́; conſultũ ſit, ac pulchri quauis ratione actus teneris animis affingantur, ueluti qui ſalubri in loco moram fecerit, omnibus quæ hic ſunt iuuabitur, ſuaui aura, florum fragrantia, herbarum ſalubritate, alijsq́; id genus plurimis. Hæc utiq́; eſt ſumma eorum, quæ de fabulis, quibus inſtituendi ſunt cuſtodes,

Quale genus muſicæ recipiendũ.

diſſeruit Plato. Deinde autem aggreditur, quonam genere muſicæ, cum illis ſimul fabulis, diſciplina illorum inſtruenda ſit: Ac melodia quidem (ut à Platone dictum eſt) ſi orationem comprehenderit, tribus ex partibus conſiſtet, uidelicet conſonãtia, modulatione, orationeq́; ipſa modulatoria: Ac cum expoſuit formulam orationum earum, quæ modulos ſuſcipiunt, ſupereſt ut hunc ſermonem inſtituat, quo genere conſonantiæ, quáue harmonia utendum ſit. Plato quidem cenſet querulos modulos, ac timore afficientes harmonias minimè recipi, quemadmodum neq; hoc genere conſonantiæ modulatam orationem: Nihilo plus etiam eas, quæ diuerſis concentibus componuntur, quales in conuiuijs frequentes, ac nuptijs eſſe ſolent. Tandẽ conuenit, ut omnes reijciantur modi, qui genere ipſo idẽtidem ſunt uariabiles, nam cuiuſmodi uiri ſunt in hac Repub. non habent in rebus

gerendis aliquid ocij: ſi quod tamen genus illis conueniat concentuum, duplex id quidem eſt: aut enim, quod animum ad fortitudinem, conſtantiamq́; in bellis inducat: aut id, quod animum apparet ad eas uirtutes ſuſcipiendas, quas potiſſimũ ſectamur facilè, trãquillè, & quietè: Quæ præceptiones certè actiua muſica definiendæ ſunt, quas tamen Plato definit, uirorum ætate ſua in hac ipſa arte celebrium exemplo, quæ certè his noſtris temporibus exoleuit. Neq; in ciuitate organum admitti debet, quo uti aſſueſcat, cuiuſmodi tibia, & multa alia id genus inſtrumenta ſunt: ſed iubet ille, & lyram, & citharam in ciuitate recipi, ac ut (inquit) ruſtici proprios aliquos mores habent, ita harmonias quoq; ſibi peculiares. Eſt igitur in delectu ipſo laborãdum, ut nos genus illud modulationis proſequamur, quo neq; mulieres, neq; ocioſi homines utantur, quinimò id ſanè, quod fortitudinem animi, atq; magnitudinem conciliet, eamq́; rem, quam quiſquis in primis cõcupiſcat, aſſequi: Quod genus Rythmorum Platonis tempeſtate cognitum, nunc noſtra inueſtigandum ſanè eſt. Cenſet inſuper Plato, ſi ex ciuibus eligantur, qui natura ipſa ad haſcè uirtutes accommodati ſunt, ac in muſica ipſa quaſi educentur, fore, uti ij ipſi ad conſummatam temperantiam, fortitudinemq́;, atq; animi conſtantiam, ac liberalitatem perueniant, amoreq́; rerum pulchrarũ & ſtudioſarum, & iuſtitiæ quoq; qualicunq; forma, aut elegãti ſcilicet, aut turpi ipſi fuerint, incẽdantur, uoluptateſq́; maximè repudiẽt. Neq; enim uoluptatibus, & temperantiæ commune quicquam eſſe poteſt. Siquidem uoluptas mentem hominis ſubducit, nec ſecus quã in furioſis fit, perturbat, quoq; eſt ipſa ualidior, eò id fortius, robuſtiuſq́; agit, ut gratia exempli, uoluptas, quæ circa uenerea eſt, inter cætera incommoda, hominem quoq; dementiſſimum reddit. Igiturq́; nullum eſſe poteſt uoluptati cum amore muſici commercium, imo amabit ille ex ipſa temperãtia pulchrum, atq; honeſtum. Habent autem incontinentia, ac reliqua uitia cum uoluptate affinitatem. At uerò, & qui amat, & qui amatur (ſi rectè inter ſe perament) nihil omnino uoluptatis is amor continebit, cum nihil omnino hæc inter ſe communicatum habeant. Sic igitur in rectè inſtituta ciuitate leges condi debent, quibus ciuium inter ſe amicitia, & charitas ab ea nihil differat, quæ inter parentes, & liberos intercedit, qui ſanè quidem muſici operis finis eſt. Atq; Plato hactenus de ipſa muſica, poſtea gymnaſticæ, ac uictus rationis tractatum aggreditur, neq; non earum rerum, quas uirtus uendicat, non quatenus tamen uera uirtus ſimpliciter eſt, ut & Galenus, & reliqui medici aiunt, ſed ea quidem ratione, qua ad ueram illam animi uirtutem confert, quæ cuſtodiæ potiſſimum eſt, eſtq́; ipſa equidem fortitudo. Proinde ars ipſa gymnaſtica, quæ huiuſmodi cuſtodiæ conducit, uictuſq́; moderatio, non ſanitatem ſolum corpori, ſed animo etiam eam uirtutem, ad quam ſit paratus præſtabit: ut ſimplex quidem exercitium, ſupra quod corpori commodam ualetudinem comparat, præterea etiam ex uiribus animæ iracundiam concitat, redditq́; ualidiorem. Ideoq́; in exercendo Plato præcipit, ut ne muſicam negligamus, neq; uerò doceamus ſine Gymnaſtica muſicam. Sola etenim muſica animum eneruat, ac mollit, & maximè tranquillitatem, & requiem conciliat, præſertim eo in genere, quod delicatum

Duplex genus concentuum.

Qualia inſtrumenta muſica debent recipi, qualia non.

Rhythmi nobis incogniti.

Cõferre muſicam ad fortitudinẽ, & tẽperantiã.

Voluptas reddit hominem furioſum ac dementem.

Leges, ex quibus coaleſcit charitas inter ciues.

Hactenus de muſica, nũc de Gymnaſtica.

Nõ eſſe tradendam muſicam, ſine Gymnaſtica

Quales faciat uiros gymnaſtica

eſt, & molle. Contrà Gymnaſtica animum imprimis iracundum, atq; acrem efficit, minimeq; ſuaſorijs orationibus acquieturum, quin habiturum potius omnem ſermonem odio, ut in his primatibus eſt perſpicuum, qui intractabilis cuiuſdam, ac rudis ſunt ingenij. Ea de re utraq; certè illarum artium ex animæ uiribus ei, quæ eſt iraſcendi, officit, eiq;, quæ ad philoſophiam maximè accommodata eſt, quouſq; illarum temperatura, ac commixtione quadam uirtus illa comparetur, quæ ad cuſtodiam potiſsimùm ſpectat. Id autem tale eſt, ut cuſtodes diligant ciues ſuos, & conſuetudine eorum capiantur, exteris uerò uires ſuas obijciant. Maximè autem congruens illis exercitium, ſimplex quidem, ac rectum, qualeq; belli expeditionibus comparetur:

Ratio uictus qualis eſſe debeat.

Cibi quoq; ipſi quàm fieri poteſt ſimpliciſsimi, qui præterquam quod obuij, & facilè parabiles ſint, corpus inſuper robuſtius, quod ipſum deſideratur, efficiant. Huius autem generis carnes ſunt, nec temperaturam æquabilē, nec modum excedentes, oleraq; cibus ſimpliciſsimus, utpote qui aquæ, & ſali, ac oleo incoquatur. Nam ſi quando alio fortè ciborum genere uſi poſtea priuentur, facilè in caſtris grauiſsimis morbis corripiantur. Haud ſecus in exercitatione ſentiendum eſt, quàm in ratione uictus, animiq; affectibus: ne his conſuetudinibus adhæreant, à quibus ſi quando diſcedere cauentur, ægrotandi cauſa impendeat. Nam (ut inquit Plato) uiri eiuſmodi neceſſariam corporis ſalubritatem opus ita habent, perinde atq; canis perſpicaci uiſu, auditu expeditiſsimo, ac ſagaciſsimo ante omnia indiget.

Analogia cum cane.

Idcirco, & illi maximè ab ebrietate caueant: neq; enim cuiquam minus quàm cuſtodi ebrietas conuenit, ridiculum enim eſſet cuſtodem cuſtode indigere. Proinde & temulentia, & uaria etiam obſonia his ciuibus fugienda ſunt, bellaria præterea, condimenta, & alia id genus. Circa rationem itaq; uictus, & exercitij, non aliter quàm muſicam ſe habeant, ut ſcilicet in utraq; ſimplici genere utantur. Nam ut multiplex, ac uaria muſica in animo uitia plurima parit: itidem & Gymnaſtica non ſimplex, in corpore ſimul atq; anima ægritudines excitat. Ac muſicæ quidem imperitia, ac uehemens gulæ malum, in ciuitate ſi augeantur, indigebimus ob id frequenti, & Iudicium, & Medicorum opera. Neq; certè quidem, aut maior, aut uerior de affectibus ciuium uitiatis, corruptaq; opinione coniectura haberi poteſt, quàm ſi medicis, iudicibuſque opus ſit, qui ipſi quidem per ſe nulla dignitate, aut honore cenſentur, niſi ob neceſsitatem: Quãtoq; magis hæ duæ corpori neceſſariæ ſunt artes, quoq; magis floreſcunt illæ, & uigent, eò longius ciues abſunt à recto. Eſt ergo conſequens, ut Reipub. huic propriũ ſit, neutra iſtarum artium indigere, nec ullum omnino, aut medicum, aut iudicem poſtulare: niſi fortè una uoce, diuerſa ſignificemus, differantq; illæ ab his, quibus nunc in ciuitatibus utimur.

Non requirit medicos Plato. Cur?

Namq; ciuium alimenta ſi modo, ſi ordine, ſi tempore, ſi genere temperata ſint, eodemq; modo exercitatio, conſentaneum eſt ita inſtitutos non habere opus tot medicis, quot hac tempeſtate noſtra, & retro actis etiam temporibus, uſi ſumus. Siquidem Plato exiſtimat genera hæc morborum in ciuitatibus oborta, noua quidem eſſe, neq; durante Aeſculapij dogmate iam extitiſſe, nouaq; perinde nomina illis fuiſſe impoſita. Ac morbos quidem eos intelligit, quos mala materiæ temperatura efficit. Quod

genus

Ex intemperato uictu morbos gigni.

genus ſunt abſceſſus,& febres,cæteraq; eiuſmodi. Atq; ſanè hoc modo nullus aduerſus hæc mala in hac Rep.medicaminis uſus erit. Quod,mea quidem ſententia, de his medicaminibus intelligendum eſt, quæ non ad exteriores morbos conferunt,uti uulnera,luxationes,fracturas,aliaq; id genus.

Medicum reperit Chirurgum.

Eſt tamen ſuper hæc nonnũquam etiam medicus neceſſarius,puta ſi quis magno aliquo, nec tolerabili uitio deformatus naſcatur,uti dignoſcat,curabilis ſit illa naturæ culpa necne, quò alium quidem curet,alium morti deſtinet.

Luxatos ac mutilos reijci.

Quanquam ut poßit quis medicamine ſanari,atq; ita uiuere, nullo tamen in ciuitatis munere poſtea utilis ſit, illum inter debiles, & uitiatos Plato annumerat, quoniam qui nequit in ulla uirtute conſummatus euadere, ille certè nihil refert,ut curetur:& quæcunq; quidem res finem ſuum,cuius gratia eſt facta,indipiſci nequit,ipſa prorſus ſit ne, an non ſit, nihil intereſt.Quapropter Socrates haud immeritò mortem uitæ prætulit, cum præuideret uera hominis uita, ac ſtudioſa ſe frui non poſſe. Ad hunc modum, cũ ita quis natus ſit,ut huius Reip.ſit particula, ac munus aliquod in ea exequatur, ſi nullum officij ſui uſum eſſe poſſe animaduertat, tum demum uita equidē mors potior eſt.Non diſsimiliter quoq; id membrum,quod & putridum,& inutile eſt, ſolent medici amputare,uti digitos,dentes putrefactos. Ad hoc tales homines,ſi in ciuitatē recipiātur,ſimiles ſui,ut ſæpius fit,ac inutiles naſci faciant. Quod ipſum potes in manualibus artificibus percipere,qui cum ægrotāt à medico pharmacum petunt,quo uel aluo ſoluta,uel uomitu, aut uenæ ſectione euacuentur, ut citius artis ſuæ opus repetāt,quod ſi ille præſtiterit, obtemperant ipſi eius mādato:at, ſi longius quoddam regimen iniungat, quo uidelicet diuturniore cura, ipſi diutius à conſuetò opere ceſſent, recuſant profectò, ueluti ſuperuacuam uitam ſuam exiſtimātes,niſi ipſi munere ſuo fungantur. Cōtrà uerò ocioſi,et inertes nihilominus uitæ cupidi ſunt, etſi inſigni aliqua labe, atq; uitio notati ſint. Qui autem uitio in aliquo nati poſſunt nihilominus non adhibita cura uiuere, nulla tamen in Reipub.re robori,ac firmitati conferāt,debeant admitti, an interimi quæſtionis eſt. At qui eos ad aliquem uſum ciuitatis tolerandos putant,nihil equidem dicunt.

Quales medici neceſſarij.

Eſt itaq; huius neceßitatis medicum in hac Repub.non inutilem fore:ut uidelicet externas ægritudines curet,ac naturæ defectum à non naturali dignoſcat.Quin,& alioqui uideri poßit medicus huic Reipub.neceſſarius: ut ciborum,& modum, & ordinem definiat,pro ſingulorum quorunq; differentia,temporiſq;, ac regionis, idq; coniectura duce, quam ab experientia adeptus fuerit,ideoq; medicus profeßioni nunquam ſufficiet,niſi præter artis ipſius ſtudium,ac diſciplinam,plurimis in morbis uitijſq; periculum fecerit, eoq;, cum in ſeipſo,tum in alijs uſus fuerit.

Medicus ex ſua ægritudine peritus fit.

Et enim ipſe, ſi aduerſis morbis laborauerit, aſſequetur inde cognitionem,quàm ex aliena ægritudine percipere non poßit.

Iudex neceſſarius.

Eſtq; in hac Repub.quamobrem ſit neceſſarius iudex : ut certè qui uitioſus ſit natura, neq; curabilis idem conſideret, hic autem eſt,qui ſit diſciplinæ, quæ animum reſpicit,minimè capax, quem certè perimere iudicis officium eſt, quemadmodum eum,qui ſit ad diſciplinam idoneus,inſtituere.Nec ſanè,niſi diuturna,longaq; experientia artis ſuæ iudex notitiam aſſequetur, Prauitatis enim cauſas ita demum

agnoſcit, ſi in alijs perquiſitas deprehenderit. Ac inter reliquos eius mores hic non poſtremus eſt, ut ne ſit praui animi, quin à teneris annis recta illa, & ſimplici muſica inſtitutus. Neq; non tamen iudex à medico differt. Nam medico quidem, ſi corpore ægrotauerit non officit: Iudex uerò, qui praui fuerit animi, nemo unquam bonus, peritusq; erit, cum animi illa peruerſitas, neq; uirtutem, neq; ſeipſam cognoſcit: uirtus uerò, & ſe, & alterius cuiuſuis malitiam longo experimento internoſcit.

Iudex ſenior requiritur. Cur?

Hinc quoq; perſpicuum eſt, iudicem haud dubiè ſenem eſſe debere: ſiquidem adoleſcentes id quod bonum eſt ſolùm cognoſcũt. Quod de adoleſcentibus intelligi uelim, qui, & ingenuæ illi muſicæ, probisq; poëmatis ſint aſſoliti. Quibus ſanè quidem rationibus demonſtratum eſſe arbitror, & iudicia, & medicinã in hac Repub. eſſe poſſe. His explicatis Plato narrare aggreditur quibus

Princeps cuſtodum qualis eſſe debeat.

moribus cuſtodum illorum principem ornatum deligamus: eumq; debere eſſe dicit cuſtodum omnium præſtantiſsimum, utilitatisq; & diſciplinæ ciuium cupidiſsimum. Hoc autem ita demum accidet, ſi in quempiam hæc omnia cõuenerint, quorum primum eſt; ne unquam à grauiſsima illa ſententia quocunq; modo, nec metu, neq; dolore, neq; errore inuitus dimoueatur, aut illecebris ullis peruertatur,

Tenacem oportet eſſe ſuæ ſentẽtiæ

ſed nec obliuione, quæ ex maximo temporis interuallo imminet. Opinio nãq; duplex, ſcilicet, & quæ uolentibus elabitur, falſa ſcilicet, nam unusquisq; quod malum eſt lubenter abijcit; altera eſt, quæ inuitis eripitur, uera ipſa quidem, quis enim mortalium non inuitus boni aliquid amittit? Sed adimitur quidem hæc ſa-

Opinio duplex, et quo modo tollatur.

na opinio, aut ui aliqua ingruente, aut erroribus, aut præſtigijs, quocirca ab eo genere errorum cauendum illi eſt, nondum opinionis ſententiæq; ſuæ oblito, qua ſibi perſuaſum habet ea agi oportere, quæ maximè Reipub. conducant, dandaq; opera, ne in eo ipſo aliquãdo fallatur: hisq; maximè illi aſſueſcẽdum eſt, quæ animum à uoluptate auertunt, rebusq; timorem incutientibus, & ſermonibus hu-

Conſtãtes in ſua ſentẽtia qui ſint.

iuſmodi nihil moueatur. Quisquis igitur eorum, ita penitus affectus fuerit, nunquàm de ſentẽtia decedet, conſtabitq; ſuo in arbitrio, non ſecus quàm ipſo in igni aurum puriſsimum. Atq; is ſanè eſt, qui dignus ſit, ut Reip. imperet, eamq; cuſtodiat, cui uiuo, & mortuo honores habendi ſint, nec nõ cuius ſepulchrum, ac fu-

Funebres honores habendi principi.

nebria ornentur, laudesq;, quæ ſplendidæ in funere dici ſolent, procurentur. Super hæc autem reliqua, quæ in principibus deſiderantur ornamenta uirtutum, quæ tum in moribus, tum in animi quadam facultate (quàm ſpeculatiuam uirtutem dicunt) poſtmodum explicabimus. Et quidem in hac Repub. principes planè ſapientes ſunt, quibus etiam ultra ſapientiam, cum illæ uirtutes, tum aliæ in-

Ex ſimilibus ferè ſemper ſimiles gigni.

ſunt, quas enumerabimus. Quandoquidem uerò fieri poteſt, ut inter cuſtodes naſcatur cuſtodiæ minimè idoneus, quanquam id quidem rarò, ita nec deſperandum eſt, ut in reliquis ciuibus aliquis ad cuſtodiã aptus exoriatur, etſi hoc quoq; perrarò accidat, imprimis ubi inter ſimiles, uniusq; generis matrimonia contrahuntur, uidelicet cuſtodum inter ſe, atq; aliorum, ut agricolarum cum alijs ſui generis; ijq; omnes ad id, quod agunt, natura prompti ſint, atq; habiles, ſic enim fi-

Ratio phyſica.

liorum natura, ut plurimùm non diſsimilis euadet, quandoquidem (ut fit frequentiſsimè) parentes ſubſtantiã, ſimilitudinemq; ſuis liberis infundant. Sed quoniã

nonnunquam

no nnunquam(ut diximus)ea ſecus accidunt, neq́; quicquam huic Reipub.*pernicioſius eſſe poteſt ad corruptelam & uitium, quàm ut cuiuſuis actio immiſceatur, eiusq́; natura ad illam inepta ſit, ideoq́;* Plato Reipubl.*orationem proponit ad permutandos nonnunquam inter ſe cuſtodum, & reliquæ plebis liberos, ut de genere in genus adoptentur. Hæc autem oratio eſt,* Vos *ò egregij, probiq́; uiri medijs quidem in uiſceribus terræ concepti eſtis, in eaq́; ueſtra aptitudine naturæ cum ad arma, tum ad alia quæuis, idq́; ſanè quidem ante quàm eſſetis perfecti: tum enim cum perfecti fuiſſetis, uos quidem terra, communis parens, enixa eſt omnes fraterna neceßitudine coniunctos. Sententia igitur ueſtrũ omnium una eſſe debet,* Reipub. *in commune conſulere, eiusq́; cauſa ita doctos, inſtitutosq́; eſſe, ut quicunq́; eam, aut inuadere, aut oppugnare tentauerit, eo inter uos animo ſitis, quo, qui fraterno inter ſe amore accenſi ſunt, ut qui eiuſdem genitricis terræ nati ſitis. Quid enim, nõne ex eadem parẽte geniti omnes in hoc ciuium conuentu fratres eſtis? utiq́;.* DEVS *autem optimus maximus uobis procreandis quoſdam principatui deſtinabat, quorum in procreatione aurum immiſcuit purißimum, qua de re ſunt, & ipſi certè honoratißimi: at enim horum miniſtris in ipſa generatione eorum ita proſpexit, ut temperaturæ argentum inderet. Alia fuit inferiorum, ut agricolarum, artificumq́; generandorum ratio, quippe quorum nonnullis ferri aliquid inſertum ſit, alijs uerò æris nõnihil. Itaq́; poſtquam uos ita eſtis æditi, etſi eiuſdem omnes generis, ingenijs tamen, ac moribus diuerſis diſcernimini: ac ita, etſi omnibus penè comparatum eſt, ut ſui generis, ac planè ſtudio ſimiles uobis liberos procreetis, nihilo ſecius, quandoquidem ex auro argentum, ac uicißim ex argento aurum producitur, reliquisq́; in generibus hoc modo, ſcilicet ex ære, uel aurum, uel argentum oritur, & è contrario, illud ex his* DEVS *principibus ipſis mandauit, ut nihil æquè, ac liberorum naturam, & ingenium curẽt, & ſi quid eis deterioris immixtum ſit naturæ extrahant. Quòd ſi illis fortè æneus filius naſcatur, ne eius curam negligant, at uerò corripiant, corrigantq́;, quatenus in eum obiurgatione profici poßit, deinde opificibus, uel agricultoribus tradatur.* Rurſusq́;, *ſi ex obſcuris iſtis contingat, ut aureus aliquis naſcatur, aut argentus, cum honoribus ac dignitatibus promoueãt, in cuſtodes, & auxiliarios tranſcribendo. Hæc ergò ille* Rempub.*curans præcipit.* Nam Propheta *ſi quãdo* Rempub. *interiturã prædicit, id eò accidit, cũ princeps illius cuſtos, uel fereus extiterit, uel æneus.* Hæc *igitur perſuaſio ciuibus adhuc pueris tradetur, ut aliæ quoq́; tradi ſolent illi ætati.* Deinde *locum habitandi cuſtodibus maximè opportunum, & principibus,* Plato *debere eſſe ait in ſublimi, atq́; unde ciuitatem omnem oculis ſubijciant, & quicunq́; legi non obedire uelit, ab illis puniatur:* Præterea *ea in parte urbis, unde ſi quis aliunde hoſtis ciuitatem inuaſerit, cum facilius arcere poßint, & ulciſci, & perſequi. Ac poſtquàm de habitatione diſſeruit, quæſiuit, nũ par eſſet cuſtodes proprium aliquid, ſeu habitatio ſit, ſeu aliud quiduis poßidere, quod cæteri non habeant, dicitque, quemadmodum nihil iniquius eſt, quàm ſi à paſtoribus canes cuſtodes gregis ita educentur, ac doceantur, ut incitante, uel fame, uel formidine, uel conſuetudine,*

Oratio *Platonis, in qua cõparantur hominũ genera cũ generibus metallorum.*

Interit *reſp. cum cuſtos ferreus fit ex aureo.*

Locus *ubi habitẽt cuſtodes.*

An *cuſtodes debeant aliquid peculiare poßidere.*

Similitudo cuſtodum cū canibus.

atq; inſtituto prauo in gregem ipſum irruant,ac deuorent, aut quouis afficiant incommodo,ut profectò ex canibus lupi effecti uideantur. Similis & in cuſtodibus ratio eſt,nihil abſurdius eſſe, quàm eos, ita deprauata natura fieri, ut ſuis ciuibus ſint incommodo,ac noceant imprimis,quod ciuibus reliquis,& potentiores,et ualidiores ſint : Quo circa id ipſum maximè in illis ipſis Reip.*propugnatoribus cauendum eſt.Poßit autem id quiuis facilè ex his, quorum nunc maxima in* Rep.*auctoritas eſt,perſpicere.Nam ut primum princeps tyrannus deceßit, is ſcilicet, qui eos cobibebat,conuertunt ſe potentiores illi ad eos deuorandos, qui præcipui ſunt,ac uelut reliquorum paſtores. Eſt ergò danda maiorem in modum opera,ne ita cuſtodes affecti euadant, ut non ſolum optimi cuſtodes, ſed ne ullo quidem modo cuſtodes habeantur.Eſt itáque magis conſentaneum, ne quiuis eorum proprium aliquid ſeiunctum ab alijs poßideat, ſeu habitationem,ſeu ſupellectilem, ſeu aliud quodcunq; uolueris.*

Vt cuſtodes neceſſaria ad uictum accipiant à ciuibus.

Quæ uerò ad uictum,& indumēta eorum attinent,ea certè quidem tot,tantáque, ab alijs ciuibus accipiant,quot,quantiſq; opus erit,ut nec deſit quicquam,nec ſuperſit. Auri uerò,átque argenti uſus nullus planè eis conceditur,quin admonendi ſunt hoc pacto. Satis uobis abundè eſſe debet,ò cuſtodes,quod diuinum in animò donum continetis loco pecuniarum,néque corruptibili illo auro uobis opus eſt. Quid enim magis abſurdum,quā aurum id præſtantißimū, quod uobis in genitura infuſum eſt,auro iſto mortaliū contaminare?& uulgus ſiquidem pecuniaria facultate abutitur multa per inhoneſta, & turpia:aurum uerò,quod uobis ineſt,immaculatum prorſus,ac purum exiſtit.

Auri, et argenti poſſeſſio atq; uſus interdicitur cuſtodibus.

Sic igitur nec uobis fas eſt aurum aliud,uel argentum acquirere, aut ſub tectum recipere,nec quicquam huiuſmodi perquirere, ſed ne aureis quidem, aut argenteis poculis uti.Cur autem nociuum ſit,cuſtodes, bona quæuis, aut pecunias poßidere,eò eſt, quod ſi uel agros, uel domos, uel pecunias proprias habeat, uelut ſibi ipſi quisque poßideat, cupiátque in congerenda eſſe unicus inter omnes ciues quatenus poßit, ſicqué ut reliquos & odio habeat, & ab illis quóque odio habeatur, cæterique illi inter ſe eodem agitentur odio. Néque illis cuſtodibus hoc modo ullum magis neceſſarium bellum ſit,quàm propter rem ſuam, non propter Remp.*tandémque ipſis,átque ciuibus reliquis,quin etiā ipſis inter ſe id inimicitiarum,odij,inſidiarum mutuarū intercedet, quod in his noſtris reb.pub.agētibus accidit.*

Vide rationes quibus id fit.

Quæ ſanè cauſa eſt nonnunquam,ut in Remp.ipſam coniurent,illámque conficiant,ac perdant. Ac,ut paucis dicam,ciues reliqui illis pro hoſtibus erunt, ac uicißim; nec ſecus ipſi quàm hoſtes externi,ciuibus erunt formidabiles,néque ſi quandóque cum exteris pugnent, uerum hoc certamen, et naturæ ſuæ propriū erit,quippe pro poſſeßionibus,pro ſeipſis,non pro ciuibus periclitabūtur. Quāquam hi certè ciues ipſos libenter periculo eximant, ſi poßint, hoc tamen libētius, ſi quid inde uelut mercedis à ciuibus recepturi ſunt, quòd hoſtes à fortunis ciuium repulerint. Super hæc poſſeßio etiam cuſtodes impedit, retrahitque ab eo officio,ad quod penitus ſunt comparati. Quod ſi eorum agri, aut poſſeßiones cuiuſuis generis ab hoſtibus infeſtentur, tunc certè ciues non pro natura officij ſui defendent,ſed ex accidenti,pugnabūt que maximè, dum id bonorum ſuorum

cura

cura exiget; pugnam uerò detrectabunt, ſi nulla talis impendeat neceßitas. Neque quidem certè fieri poteſt, quin hoc eis accidat, ſi locupletes, & opulenti fuerint. Quamobrē ſi quales optimi eſſe poſſunt cuſtodes, tales eos fingamus, eos oportet nihil poßidere, etiam ſi in poſſeßione, & opibus aliqua uirtus, ſeu felicitas comprehenderetur: Cuſtodes tamen, ut cuſtodes ſunt, diuites eſſe non debeant, cū non ſimpliciter quæratur, ut probi, ſeu felices; ſed ea tantum ratione, qua ſunt cuſtodes probi, ſeu felicitates. Verum enimuero, ſi quis ita obijciet, ò uiri cum ſeiungetis opes à cuſtodibus, non animaduertitis rem optimam uos illis adimere, nempe illos hoc modo (ut Plato *inquit) ſeruos, & inopes facitis, & omni poſſeßione exuitis:* Reſ*ponderi poteſt, perinde nos facere, ac ſi quis (exempli gratia) dicat pictori humanam figuram pingenti, ne membrum corporis præſtantißimū præſtantißimo colore exornaret, nempe ita alioqui oculos, ſi pingendi eſſent, exornari debere colore purpureo, non nigro: At uerò ipſe perſuaſum habeat, oculi figuram non ſimpliciter ſpecioſam eſſe debere, aut quolibet præſtanti colore pictam, uerùm eo colore, quo oculi actio ſignificatur, expeditißima redditur. Quæ quidem ratio in cuſtodibus eadem eſt, ut nō in eis deſideremus ſimpliciter, atq; abſolutè felicitatem, ſed quatenus cuſtodes ſunt.* Id *(inquā) ita intelligimus, ſi modò ſumptus faciendi modus, ac moderatio pro uirtute habeatur.* Tandem, *poſteaquàm cuſtodibus nihil eſſe poßidendum probauit, ad artifices, & reliquos operarios orationem tranſtulit, quærens num in hac* Repub. *huiuſmodi hominibus ita permittenda ſit poſſeßio, ut ex ſua arte, uel opera quæſtum faciant, & ſic acquirāt ſibi rem, atq; augeant. Atq; in eam ille ſententiam conuenit, unam eſſe ſcilicet, quod ad congerendas opes attinet cuſtodum, & reliquorum rationem, neq; quicquàm huic* Reipub. *deterius accidere poſſe, quàm ſi uel inopiā, uel opulentiam ſibi recipiat.* Et *quidem, ſi opificibus artem ſuam quæſtuariam eſſe permittamus, ad eum finem dirigent, ad quæſtum ſcilicet, & ad ea, quæcunq; congerendis opibus conducūt: ita ut non niſi caſu quodam ciuibus ſuis utiles ſint, ſitq; eorum ars non ad id, quamobrem inſtituta eſt, tractata, & agitata, quin eius (quem diximus) quæſtus gratia, quò neceſſe ſit peruerſum iri uerum, legitimum finem artis, ipſum ciuium emolumētum. Illi inſuper diuites facti, conſequens eſt, artem ſuam ut negligant, ac contemnant, & exinde otio, ac diſidia corrumpantur, ut cum neceßitas artis ſuæ uſum repetat, carius ſua omnia uendant, deterioraq; multo faciant. Propterea in hac* Repub. *Plato uoluit non licere cuiquā aliquid ſeorſum ab alijs poßidere, ueluti ex arbitrio ſuo: Prætereaq; neq; auri, neq; argenti uſum ullum eſſe neceſſarium. Aurum ſiquidem, & argentum, quemadmodum in Ethicis Ariſtotelis ad* Nicomachum *probatum eſt, neceſſaria quidem ſint in his noſtris* Rebuſpub. *propter rerum inter ſe permutandarum difficultatem, atq; moleſtiam, ueluti quaſi medium quiddam intercedant, rebus à ſe inuicem differentibus, quò æquitas ea in permutatione cōſeruetur, in re planè, quæ egrè admodum æquitatem admittit. Difficultas autem hæc permutandi atq; inæqualitas eſt huiuſmodi, ueluti ſi agricola aratorio aliquo inſtrumento indigeat, nihil certè habeat, quod fabro ferrario permutet, niſi quod ad uictum pertineat: quid au-*

tem ſi

Obiectio ad uerſus prædicta.

Similitudo pulcherrima.

Felicitas cuſtodū qualis.

Nunc agit de opificibus, et reliquis.

Quæſtum non eſſe uerū artis finem.

Auri uſus propter difficultatem permutandi res.

Difficultas permutandi qualis.

tem ſi faber ferrarius annona affluens indumento eguerit, aut aliquo alio genere, quo pacto inter iſtos permutatio contrahetur? nonne cogentur rem excogitare, quæ ui ſua quaſi res omnes comprehendat? quam cum colonus ille fabro dederit, & acceperit inuicem aratorium inſtrumentum, conſultum etiam ſit fabro ad eam rem, qua indigeat. Itidemq; hoc ipſum in reliquis ciuibus eandem rationem habet. Congerent igitur agricolæ id frumenti, atq; annonæ reliquæ, quatenus ad ſe ſpectat, quod & ſibi, & ciuibus neceſſarium eſt. Adhuc fabri ex ſua arte, quæ ciuibus conducunt, curabunt: ſic textores, ſic architecti, ſtructoresq;. Et eſt in ciuitate genus quoddam nummarium, ad quod uelut ad regulam frumentum, inſtrumentaq;, & reliqua inter ſe & comparantur, & compenſantur. Atq; ita facile ciuibus omnibus communicantur, pro cuiusq; neceßitate, & commodo. De his autem artibus id intellectum eſſe oportet, quæ ipſæ neceſſariæ ſint, non quidem ad uoluptatem, & delectationem adinuentæ ſunt: cuius generis ars eſt unguentaria, pictoria, ſculptoria, et annulorum conficiendorum, aliæq; id genus, quales in Rebuſpub. noſtris plurimæ uſurpātur. In illa autem Platonica certum eſt nulla pecunia, ac nummo opus eſſe. Nec numerus quidē artificum ita temere in ipſa eſſe debet, ut nunc diminuatur forte, nunc creſcat, eo modo, ut quādoq; artes ipſæ aboleri poßint, ac deficere: ut in tonſoribus, & alijs qui in Rebuſpub. noſtris artes ſuas exercēt manifeſtum eſt. Verum ſingularum artium neceſſariarum, atq; utilium omnibus ciuibus, tot aſſumantur artifices, quot poßint publicè ſufficere: ut in agricultura, & textoria arte eſt faciendum. Quæ uerò nō omnibus, ſed generi cuidam ciuium utilis fuerit, eius proportione, ac ratione eorum, quibus prodeſt, artifices numerabuntur. Huius autem generis eſt, ars conficiendorum frenorum. Hinc quoq; rationabile eſt, huius Reipub. ciuem nullum pro arbitrio, ac uoluntate liberis procreandis operam dare, neq; cum qua uoluerit congredi, ſed adhibito modo, ac ratione, pro generis cuiusq; conſeruatione, cuius in Repub. certum, & definitum numerum eſſe uolumus, ut poſtea dicetur planius, quo in ſermone de cuſtodum concubitu agetur. Poſtquàm igitur ab hac Rep. auri, atq; argēti uſum excluſit, ſubdubitare uiſus eſt, qui hæc ciuitas aduerſus opulentam, atq; amplam bellum ſuſtentare poßit; ac periculum uidetur, ne amplæ illi ciuitati impar futura ſit. Tandem reſpondit, re diligenter conſiderata, contrarium potius uideri, ſiquidem diuitiæ, opesq; poſſeſſores ſuos tum cōtumaces, tum bellicæ rei imperitos, & expertes maximè efficiant. Quamobrem ſi quo pacto diximus, cuſtodes educati, inſtitutique fuerint, & militaris, bellicæq; facultatis morem, ac experientiam induerint, ad quæ etiam naturalis aptitudo accedat, haud ſecus ſe aduerſus diuites illos, et opulentos gerant, quàm lupus aduerſus benè pingues, & obeſas oues: adeò certè, ut non ſit alienum credere, cum duplo, triploq; pluribus illos congredi poſſe. Hoc ſanè poßit quis ex latronibus deſertæ Arabiæ, & alijs huiuſmodi fortibus uiris egenis, qui nihilo ſecius opulentam quamuis, & diuitem gentem facilè ſubiugant, dijudicare. Id quóque rex Arabum aduerſus Perſarum regē expertus eſt. Præterea quoq; huic Reipub. bellum, ſi quando contingat id, neceſſe eſt, contra ciuitatē unam, aut contra duas

accidere

Ratio tollēdæ difficultatis in permutando.

Numarius uſus qualis.

Artium aliæ neceſſariæ, aliæ uoluptuariæ.

Artificū numerus ex proportione aliorum.

De matrimonijs.

Dubitatio circa bellū gerendum.

Reſponſio.

Similitudo.

Nota de Arabibus.

accidere, ſed finge duas, eo certè facilius, quandoquidem miſſa in alterutram illarum ciuitatum legatione, aut exhortabitur, aut deprecabitur, hoc modo: Nobis quidem ò uiri, neq; auri, neq; argenti uſus ullus eſt, ſed neq; id leges noſtræ ſinunt, quod ipſum uobis ſané fas eſt: uobis igitur, rationibusq; ueſtris cõferat, nobiſcum aduerſus alios belli ſocietatem inire, donec facultates illorum, & pecunias diripuerimus, nonne certiſſimum eſt, qualiſcunq; ſit illa ciuitas, ab illa eos in amicitiam, & fœdera recipi? Enimuero ſi quiſpiam obijcit, timendum eſſe, ne contracta amicitia, et percuſſo fœdere, parta etiam uictoria, actis prædis, cumulataq; pecunia, altera illa ciuitas opulentior inde, ac ditior huic ciuitati noſtræ pauperi bellum inferat, ac forſan etiam ſuperet: huic reſpondet Plato, *ſecus rẽ eſſe atq; opinatur ille, cùm nulla ne cogitari quidem ciuitas poßit uerè una, præter hanc, quam condere conamur.* Aliæ *quidem certè ciuitates quotquot ſunt, etiam ſingulæ, multæ quidem in ſe ſunt, & uariæ, quamuis unius circũſcriptione loci capiantur.* Illis *enim* Reipub. *adminiſtratio curæ rei familiaris inſeruit, nõ rei familiaris cura adminiſtrationi* Reipub. Quare *in illis hoc unius ciuitatis nomen profectò eſt ſuppoſititium:* In *uera autem, ac legitima* Repub. *ac partibus eius ea eſt ratio, quam in uniuerſo corpore, & membris cernere eſt.* Partes *etenim corporis, ut ſunt manus, pedes, ac reliquæ, antequam corpus uniuerſum cõſtaret, factæ eius particulæ gratia ſunt, quæ toto in corpore princeps eſt:* No*ſtris autem* Rebuſpub. *non is eſt partium conſenſus in uniuerſum.* Nam *ueluti ui quadam inter eas concurſus fieri ſolet, eò ſcilicet ut ſinguli rem ſuam domeſticã curent cuſtodiantq;.* Id *quod minimè eum fallere poteſt, qui aliquantiſper in hac ſcientia uerſatus ſit.* Et *tandem* Plato *huiuſmodi ciuitates bifariam diuiſas aſſerit, in pauperes ſiquidem, & opulentas, atq; utroq; ex membro multiplices, ac uarias prodire:* Et *tum etiam, cùm pauperibus ciuibus eius ciuitatis cõceſſa fuerint bona diuitum ciuitatis eiuſdem, non minus pernicioſum, & exitiale bellum exoriturum in ea imperita ciuitate, quàm ſi reuera duæ eſſent ciuitates inter ſeſe pugnantes.* Proinde *hæc, quam inſtituimus, ciuitas ampla quidem ſpatio erit, ualoriſq;, ac roboris (ut inquit* Plato*) eximij, quanquam propugnatoribus duntaxat mille defendatur.* De *illis etenim hoc dicitur, ex eis uiginti omni negotio liberos, hoſtes ducẽtos uincere.* Ad *hæc, hæc ciuitas, neq; magnitudine quauis, neq; ſpatio eſſe debet, ex qua numerus hic bellatorum exeat: neq; tam exigua, paruaq;, ut finitimis populis ſit facilis expugnatu: neq; etiam uaſta, ut in ea & arari, & ſeri facilè poßit.* At *principes huius ciuitatis, puta de magnitudine, & exiguitate ipſius conſtituere debere, necnon de cuſtodum, & cuiuſuis artificum generis numero.* Res *enim in hac* Repub. *nõ aliter atq; in natura ſe habet.* Velut *enim humanæ actiones, humanaq; corpora non menſura quauis perficiuntur, neq; exigua, ut in fabulis fertur* Pygmæos *cubitalis, aut unius palmi ſtaturæ eſſe: neq; magna, atq; enormi, ut* Gigantes *olim fuiſſe ferunt altitudinis ſexaginta palmorum, hiſq; ſimilia monſtra:* Verùm *quadam certa magnitudine, qualis compluribus in hominibus reperitur.* Nec *hoc tantum in natura perſpicitur, uerùm in artificialibus etiam rebus: ſicut non ex quauis uocularũ menſura in muſica id harmoniæ*

[Margin notes: Obiectio de inopia ciuitatis. — Solutio. — Ciuitatis diſtributio duplex. — Quantam amplitudinem urbis requirat Plato. — Similitudo.]

monię

De magnitudine urbis, & numero cuſtodum.

moniæ reſultat, quod muſicæ ſit conueniens. Quærat ergò fortaſſe aliquis, quæ ciuitatis huius, quantaq; magnitudo, quis cuſtodū numerus eſſe debeat? cui equidem, eam rationem uariari pro temporis, loci, uicinorumq; populorum uarietate, atq; natura reſpondebimus, quocirca ut de ea re conſtituat, proprium ipſius ciuilis coniecturæ eſt, quæ facultas experientia conſtat, & uniuerſa illa, atq; generalia deſpicit, quouſq; ſingulis in rebus, ueluti materijs ſubiectis uerſentur. At Plato quidem, dum & temporis ſui, & gentium finitimarum rationem habet, huius Reipub. cuſtodes, propugnatoreſq; mille ſatis futuros arbitratur. In quem

Galenus in Platonem.

rationibus Galenus inuectus eſt, dicens, illam opinionem Platonis, ſi ad ætatē noſtram transferetur, abſurdam fore. Qua in re Galenus quidem, regni illius præſtantiam, quod ſua ætate maximum fuit, ſpectabat: At Plato uideatur quidem nō

Defenditur Plato.

ita ſenſiſſe, ut rem aliter eſſe non poſſe putaret, ſicuti neq; alijs in rebus, quas in uniuerſum tractat, ſed id tantum dixit, quantum & ætatis ſuæ ratio, & generis uidelicet Græciæ cōditio poſtulabat. Quis enim aliter intelligere poſſit, cum hāc Rempub. aduerſus omnes mortales pugnaturam eſſe certū ſit? Quod igitur Plato hoc nō aduerterat minimè conuenire. Forſan & quis dicat, Platonem ſenſiſſe uniuſcuiuſq; ciuitatis benè inſtitutæ multitudinē nō debere eſſe numeroſiorē, quæ uno loco, unaq; urbe contineatur: Ad huius tamen exemplum multæ aliæ ciuitates, debitum certumq; modum, numerumq; ciuium habebunt. Quæ res, ſi ita habet, nihilominus tamen ex locorum uarietate ratio quoq; uaria erit. Ac ueriſſimum quidem eſt, diffinitam eſſe debere felicis cuiuſq; ciuitatis, & multitudinē, & magnitudinem: quis autem unicuiq; numerus præfiniendus ſit, non niſi explorata, & regionis, & incolarum natura dijudicari poteſt. Cuius rei ſignificationē

Nota dictū quoddā obſcurum Arabum.

quandam dictū illud à profeſſoribus noſtræ legis habet, Miſit (aiunt) ad rubrū; atq; ad nigrum. Quod quidem, etſi Plato nō cenſet, hæc tamē eſt Ariſtotelis ſententia, cuius de ueritate minimè dubitatur. Inquit igitur Plato, egregiam adminiſtrationem in hanc formulam compoſitam, cuiuſmodi ciuitatem hanc eſſe diximus, definitæ & magnitudinis, & multitudinis eſſe. Quod non paulò quidem facilius eſt, quàm id, quod paulo ſuperius diximus, oportere ſi cui naſcatur ex cuſtodibus æneus, eum ad inferiorem ordinem traduci: contrà, ſi alijs contingat aureum filium, aut argēteum gignere, inter cuſtodes eum coaptari. Quæ omnia ita præcipiuntur, ut omnes in hac Repub. nati in unam rem natura magiſtra cōſentiant. Siquidem uno in opere omnes, ac ſinguli inter ſe conueniunt: id autem opus intelligo, ad quod natura quiſq; cōparatur. Vtq; ſummatim comprehendā, præcepta hæc omnia, & admonitiones, quæ ad harum legum obſeruationem faciunt, neq; non aliarum etiam quæ poſtea commemorabuntur, ut quæ de uirorum, ac fœminarum copulatione, de procreādis liberis agunt, hæc inquam præcepta difficilia non ſunt, nec quæ uiris huiuſmodi, aut moleſta, aut grauia ſint; quin potius leuia his, qui in hac, quam educandi, atq; inſtituēdi rationem præſcripſimus, mu-

Nihil in muſica innouādum.

ſica uidelicet, atq; gymnaſtica adoleuerint. Et quod ad muſicam quidem attinet, cauendum imprimis eſt, ne quid præter conſtitutum prioribus legibus modum innouet. Nanq; id ſi contingat, ciuitas ipſa facilè ægrotauerit, idq; erit clam omnibus.

nibus.Nec minus propterea interim affectus animi tranquillitate, & quiete retinebitur,quousq; inſinuante ſe magis magisq; pernicie, ad ultimum res ad legũ corruptelam,& morum redierit. Eſt præterea manifeſtum, quotquot his in legibus inſtitutionibusq; uniuerſalibus enutriti fuerint, ſuopte ingenio ad quamplurimas priuatas leges optimas deuenire poſſe. Quo in genere eſt, reuereri parentes,& coram maioribus natu, ſenioribusq; tacere, atq; reliquæ etiam leges, quæ in actione uerſantur. Quamobrem priuata hæc officia nihil attinebit, tanquam leges atq; ſtatuta deſcribere. Nam uniuerſarum rerum leges illæ, ſi rectè atq; ordine ferantur, ciues quidem ad has particulas ſua ſponte mouebunt,ac facile cum unicuiq; ita conſtet puerilis educationis, & naturæ,initijq; ratio,ut tota deinde uita quod ſequitur & appetit ſimile ſit, atq; conforme illis, ſeu bona fuerint,ſeu mala. Ac equidem qui partialibus legibus mores formare inſtituerit,omiſsis generalibus illis, quod ipſum quidem non pauci legum conditores fecerunt,is ſanè medico ſimilis ſit, qui ægrotos curat,quorum diſſoluta in cibo,& potu,& uenere libido obſtet,nec ulla proſit cura, quia non cohibita intemperãtia eorum,quicquid adhibetur medicinæ augebit, multiplicabitq; ægritudinem, potius quàm ſedabit. Proinde & quiſquis partiales has leges,& ueluti ſingulares imponere conabitur,nunquam à corrigendis his,emendãdisq; quieſcet, in quo uno omnes nihilominus,& acquieſcunt,& confidunt,quin ipſe quoq; ea ratione putat ſe finem attigiſſe, à quo profectò permultum abeſt. Hoc quidem non in paucis legum conditoribus quorum ad nos hiſtoria tradita eſt, probatum fuit. Quiſquis itaq; huiuſmodi Reſpub.corrigere (ut inquit Plato) enitetur, perinde erit,ac ſi unũ ex hydræ capitibus amputet,inutile quidẽ id,atq; abſurdũ faciẽs, quandoquidem per reliqua capita uenenum,nihiloſecius emittatur. Eſt ergo neceſſe legibus his,quæ de uniuerſo genere præcipiũt inniti imprimis, quales à nobis nonnullæ dictæ ſunt, dicenturq; in poſterum.Inquit inſuper Plato legem,quæ de templorum ædificatione, de conſtituendis oratorijs,deniq; de precibus, de ſacrificijs, de donarijs agit, docetq; quæ omnia & humanum animum ſubigunt, & DEVM,& Angelos laudibus extollunt, coluntq;, eam ſcilicet legem Prophetæ,qui diuinum mandatum referat arbitrio permittendam:quaſi rem huiuſmodi diuinam eſſe uelit,& quicquid eius in ciuitatibus reperitur, acceptandum qualitercunq; traditum eſt,quoniam hoc, uelut legitimis omnibus conſtitutionibus legibusq; ipſis commune eſt. At quandoquidem in huius libri primordio de iuſtitia quidnam eſſet Plato attentauit requirere,cõnfutauitq; quicquid de iuſtitia celebriores ſua ætate opiniones aſſeruerant: ac erat ipſe pollicitus primùm naturam iuſtitiæ in Repub.oſtendere, ob id ipſum poſtmodum iuſtitiæ ipſius in aliqua una anima naturam explicabit,ut fuerit in Repub. id clariùs expoſitum, quemadmodum ſi quis ſcriptum aliquid exiguiſsimis, ac tenuiſsimis literis, & procul à nobis interuallo ſeparatis,ut legamus præcipiat, nosq; idem illud alibi maiuſculis, grandiuſculisq; literis ſcriptum uideamus, paruoq; id à nobis ſpatio ſeiungatur; nobis certè congruentius uidebitur,ac commodius grandiuſculis his characteribus primùm uti, quibus facilè perceptis, deinde minutulas illas nullo

legemus

Inſtitutio ciuium Platonicæ ciuitatis.

Leges particulares nõ ſunt ſanciendæ omiſſis uniuerſalibus.

Leges Platonis de rebus ſacris.

Digreſsio lõga Platonis in diſputatione de iuſtitia.

Similitudo.

legemus negotio. Ita res ſe habet,quod ad iuſtitiam Reipub.et alicuius unius animæ attinet. Qua ratione etiam,ut dictum à nobis prius eſt, antequàm iuſtitiæ naturam oratione proſequatur, cœpit illam ipſam in moribus ac uita iuſtæ ciuitatis deſcribere qualis eſſet.

Ordo ſeruatus à Platone in ſuis libris.

Ac deinde,ut primùm in ea diſputatione, quæ de uita,& inſtituto Reipub.inſtituta eſt,natura iuſtitiæ manifeſta erit, iuſtitiam ipſam per ſe qualis ſit oſtendere aggredietur: eademq; opera ciuitatem illam ſapientem eſſe, fortemq;, ac temperatam oſtẽdet.De quibus uirtutibus quatuor, quæ in hac Repub.inueniuntur,hic inueſtigat, quænam ſit uniuſcuiuſq; natura,

De uirtutib. quæ in rep. enitent maximè.

in qua Reipub. parte ſingulæ eniteant. Incepitq; à ſapientia diſputationem, ac dixit neminem latere Rempub.hanc ſapientia, & ſcientia inſtructiſsimam, nam & quacũq; de re deliberat conſilio ualet, & prudentia in inſtituendis legibus atq; ſanctionibus, quarum nunc mentionem facimus. At optima gubernatio, optimusq; modus, etſi quædam ſcientia omnino ſit, non poſſumus tamen dicere

Prima Virtus ē.Sapiẽtia,& ſciẽtia.

eiuſmodi optimam gubernationem, atq; modum in hac Repub. reperiri, propter operarias artes, exempli gratia, propter agriculturam, uel artem tectonicam. Eſt ergò illa quidem ſapiens, ac ipſa, de qua nunc tractatur, ſcientia. Neq; quis niſi immeritò,abnuat hanc ſcientiam ex cognitione finis humani perfici, cum hæc adminiſtratio ad eam maximè accedat. Nec quẽquam fugere poteſt, humanum nos finem ſcientijs contemplatiuis conſiderare, cognoſcereq;. Quocirca hæc Reſpub. duplici ſcientiarum genere ſapiens appellabitur, & eo quod ad agendum,& eo quod ad cognoſcendum inſtitutum eſt. Quæ tamen certè ſapientia in minima huius ciuitatis parte conſiſtet, in ipſis quidem philoſophis: cuius naturæ,ut præſtantiſsimæ, ſunt ſemper admodum pauci, ſi reliquarum artium, aut fabrilium, aut quæſtuariarum profeſſoribus comparentur: Et ſapientia quidem illa ipſo in principe Reipub.ineſſe debet, eademq; ciuitati dominari.Principes ergò huius Reipub. ſapientes eſſe oportet. Atq; ita nobis non perperam explicatum eſſe putamus, quo in genere ſcientiæ hæc Reſpub. dicatur ſapiens, & qua in parte ipſius ſapientia conſtet.

Secũda Virtus Fortitudo.

Fortitudo autem, quæ ad hanc Rempub. ſpectat, eſt nihil aliud, quàm obſeruatio fortis cuiuſdam opinionis, atq; electionis,& quaſi adhibita diligentia, ut omnibus in hominibus natura ad eam affectis,rata ſit,& permanens,contraq; terrentia, ac omnia allicientia.Intelligo autem per terribilia illa,timorem ipſum, atq; dolorem: per illecebras, concupiſcentias omnes, & uoluptates. Eſt autem perſpicuum, ſi ita populus (ut deſcripſimus ſuprà) doceatur, atq; inſtituatur, muſica ſcilicet & Gymnaſtica, fore ut nec timoribus nec cupiditatibus ab eorum animo fortitudinis opinio, ſententiaq; dimoueatur: contrà uerò, ſi educati fuerint aliter, tunc illis facilè animo excidet fortitudinis propoſitum.

Exemplum ſeu ſimilitudo ducta à Fullonibus.

Quod ipſum, ſi uis, exemplo tibi perfacilè planum (inquit Plato) faciam. Fullones quidem noſti quandocunq; purpureo colore pannum adamuſsim infecturi ſunt, ut color ipſe deleri nequeat, eos ante omnia ex tot diuerſis coloribus album deligere, quem deinde non modica opera ad recipiendum colorem præparant, ut quàm optimè purpureum recipiat, atq; ita demum comparatum colore tingunt purpureo: ac demum,

ac demum, quod ita infectum eſt, neq; abſterſione, neq; ablutione quauis colorem perdere poteſt. Quod ſi fortè pannus non fuerit ita præparatus, facilè color ipſe à detergentibus, aut dilui, aut deleri poterit. Quæ ratio, & in custodibus eadem eſt, ſi non ea, qua diximus institutione atq; diſciplina educati, & quaſi præparati fuerint, neq; natura eorum ad id ipſum delecta, tunc enim magnopere uerendum eſſet, ne fortis, ac conſtans opinio, quaſi color ab eorum animo facilè fugiat, atq; deleatur. Neq; quidem eſt quod ſit ad detergendas, extirpandaſq; uirtutes potentius uoluptate ipſa, aut cupiditate, aut dolore, aut metu. At uerò uirtus hæc fortitudinis, qua in ciuitatis parte, quo in negotio emineat, neminem latere puto: Eam ſiquidē maximè eorum propriam eſſe, quorum natura, ut maximopere idonea ad cuſtodiā delecta eſt, quos ſanè ad hanc partem adimplendam delegimus. Eſt enim (ut puto) clarum, nullam ciuitatem, aut fortem, aut timidam dici, ita ut uel in omnibus eius partibus, aut in quauis earum exiſtat fortitudo, uel timiditas: Quarum neutra, neq; in diuitum genere, neq; in genere fabrorum inueniatur, uerùm custodibus ipſis illæ ipſæ ſunt peculiares. Eſt itaq; à nobis expoſitum, & quid ſit hæc uirtus, & quam Reipub. partem ſpectet: Superſunt igitur duæ in ciuitate uirtutes examinandæ, Temperantia, & Iuſtitia: tumq; quidnam ipſæ ſint, & cui ciuitatis parti attributæ dicendum.

Similitudo. Pulchra.

Quæ res euellāt uirtutem.

Fortitudo propria uirtus eſt custodum.

TEMPERANTIAM *certè non malè in cibo, & potu, et uenere mediocritatem quandam dixerimus: eumq; appellamus temperantem qui per ſe moderationem hanc continuare poßit. Simile id quoq;, quod de Temperantia dicitur, eam quidem eſſe abſtinentiam quandam animæ, & cobibitionem à uoluptatibus & cupiditatibus. Dicimus inſuper, temperatum hominem ſeipſo potentiorem eſſe, & ſui ipſius uictorem. Qui ſermo in hunc ſenſum accipiendus eſt, ut cū præcipuarum in homine partium altera præſtantior ſit, & nobilior intellectus quidem ipſe; altera uilior, ipſa ſcilicet concupiſcendi pars: ſi præſtātior illa præualeat, imperetq; uiliori, ac uilior illi ſubiecta ſit, dicimus tunc ipſum ſibiipſi dominari. E diuerſo ſi abiectiori parti melior illa ſubijciatur, idq; aut propter uitioſam educationem, aut propter aliud quiduis incommodum; ipſum tunc ſibi ipſi imparem eſſe, atq; ſeruire affirmemus. Quæ ratio utrobiq; perpetua eſt. Hoc igitur modo dubitari non poteſt, ciuitatem noſtram, & ſibi, & alijs imperare: eamq; uirtutem non in uno tantùm genere eſſe, uelut in principibus, ſed in uniuerſo etiam populo. At nec in opere humano perfectum quicquam unum, atq; adeò humanum dici poteſt, quacunq; ex uirtute acquiratur, niſi quod temperatum ſit: Secus in ſapientia, & fortitudine res habet: quibus uirtutibus neceſſe eſt partes aliquas Reipub. carere, cum hæc temperātia per uniuerſas currat, ac diffundatur: ſtatimq;, ac primo quoq; tempore tradenda eſt omnibus in ipſa educatione, contrariumq; uitium arcendum. Atq; in hunc modum quid ipſa eſſet Temperantia, quatenus Reipub. ineſſet, dictum eſt à nobis: reſtat ut de quarta uirtute, cuius gratia ab initio iniecta quæſtio eſt, ſermonem inſtituamus.*

De Temperantia.

Quid ſit.

Temperantia in omnibus partibus reip. neceſſaria.

IVSTITIA *itaq; eſt in hac Repub. & Prudentia, quæ eadem iuſtitiæ ipſius actus eſt, nihil aliud, quàm quod ſuperius diximus, cum de regimine huius*

De iuſtitia, et prudētia.

H Reip.

Reip. agebatur. Siquidē illic dicebamus, ſingulos quoſq; in hac ciuitate opus uni- cum præſtare debere, ad quod eum ipſum natura præparauiſſet: eamq; iuſtitiam eſſe, quæ optimum ſtatum ciuitati, ac perpetuum quidem exhiberet, quādiu in eadem exerceretur, ac tres illas ſuperiores, quarum paulò antè diſputationem terminauimus, ciuitati eidē præberet. Quod totum non niſi uno, et imperantiū, & ſubditorum, plebiſue conſenſu ad obſeruationem, reuerentiamq; legum fie- ri poteſt: tanquam hæc ſanè quidem facultas promiſcuè in pueris, in mulieribus, in ſeruis, in liberis, magiſtratibusq;, & priuatis, ac demum in omnibus Reipub. partibus inſit. Quod ita intelligitur, ſi unusquisq; deſtinatum ſibi à natura opus

Quomodo reſp. fuerit iuſta.

amplectatur, nec alienum unquam concupiſcat. Erit igitur hæc Reſpub. ita de- mum iuſta, ſi conuentu, atq; multitudine iuſtorum conſtiterit, dum ſinguli pro- priam ſibi, atq; aßignatam actionem ciues exerceant. Quo in genere ciuilis quó- que æquitas comprehenditur; ſicuti in ciuitatibus iniquitatem ponimus, ipſam quidem iniuſtitiæ cauſam non aliter eſſe, quàm ſi ſinguli ciues plus una re agen- da aggrediantur, ac ex alia in aliam ſe transferant, ex alioq; munere in aliud, ac per multos deinceps ordines, gradusq; uagentur. Quod licet uideri poßit ciui- tati minimè nocere, præſertim quod ad eas artes attinet, quæ opificum ſunt, atq; artificum: manifeſtum tamen eſt, in his quoq; artibus eam permutationē Reip. incommodare: quemadmodum, ſi quæſtuarius natura, uel diuitijs, uel robore ela- tus, aut cuiuſuis generis alio impulſu in militarem ordinem tranſire conetur, ſiue (quod indignius quidem eſt) miles in conſularem, & cuſtodum ipſorum digni- tatem aſcendere contendat: utrūq; enim ciuitatem magna afficit iactura. Id quod etiam tu ex ciuitatibus noſtris facilè comprobes. Quibus omnibus expoſi-

Iuſtitia diffuſa in omnes ciuitatis partes.

tis, iuſtitia quid ſit perſpicuum eſt, ipſamq; in uniuerſas huius ciuitatis partes eſſe diffuſam. Cuius naturam, ut in ciuitatibus eſſe intelligitur, poſtquàm eſt Pla to executus, ad eam ſe rationem conuertit perueſtigandam, an ipſa in unica qua- piam anima inueniri poßit, quæ ſit ciuili iuſtitiæ ſimilis, an ſecus: ſi ſit, benè qui- dem: ſi non ſit, ſe ad tractatum ciuilis iuſtitiæ referet. Et quidem quæcunq; ſecū- dum magis, ac minus tantummodò differunt, unius eſſe generis neceſſe eſt: nec hactenus in uno quicquam eſt, quod ſit alteri contrarium. Qua ratione in unica anima iuſtitiam, & æquitatem nihil differre clarum eſt ab ea, quæ in ciuitate

Qualis iuſtitia in animo.

ponitur. Inquit ad hæc, huiuſmodi ciuilem eſſe iuſtitiam, ſi ex tribus naturis illis ſingulæ uidelicet, & qua diſcimus, & qua iraſcimur, & qua concupiſcimus, in officio ſuo ſint, idq; ipſum, & modo, & tempore debito agant: Ex qua etiam ra- tione hanc Rempub. ponimus, ſapientem, fortem, temperatam eſſe. Quod ſi hæ tres naturæ in una quadam anima reperiantur, ac perficiantur, non aliter in ci- uitate iuſtitia erit, & prudentia, quàm partibus illis ita affectis, ut ratio ipſa

Analogia iuſtitiæ cū ratione in animo.

imperet, reliquæ duæ iracundia, & cupiditas obtemperent: cum neminem lateat, non potuiſſe has partes in ciuitate fingi, niſi in anima inuenirentur. Nam quali- ter iuſtitia in ciuitate eſſe intelligitur, niſi quatenus in ciuibus eſt? Ac in natu- rali quidem philoſophia oſtenſum eſt, duas ineſſe nobis contrarias inter ſe uires, rationem, & concupiſcentiam, in duo uidelicet cupiditatem, & iracūdiam. Hoc

ſecundum

ſecundum manifeſtum eſt, cum ipſi ſæpe experiamur cupiditati iracundiam repugnare, atq; imperare, ueluti inſtrumentum quoddam ſit, quo cupiditatem retundimus: ideoq; accidit non infrequenter, ut ſi quando cupiditate præter rationem agitamur, atq; diſtrabimur, iraſcamur quidem. Cum igitur res ita ſe habeat, ac tres illæ in anima facultates exiſtant, quemadmodum in ciuitate non ſunt, niſi ea ratione, qua ipſæ in anima inueniuntur: erit quidē iuſtitia, & æquitas unius cuiuſpiam animæ ita demum, ſi ſingulæ illæ partes ſuo, ac proprio munere perfungantur, quemadmodum in ciuitate diximus. Ac ſic itaq; omnes animæ partes conſpirabunt, ut ratio, tanquam ſapiens dominetur: iraſcendi uis obſequatur illi, atq; ſubijciatur, ac proprio incitata feruore aduerſus contrarium quidlibet pugnet. Quæ ſanè concordia, & uelut conſenſus una in anima per muſicā, & gymnaſticam conficitur. Quandoquidem gymnaſtica ipſa iraſcendi partem corroborat, & fortitudine inſtruit: Muſica eam ipſam, & diſciplinæ capacem, & rationi obſequentem facit. Ac illæ duæ quidem partes, ſi ſic componentur atq; conueniēt, tertiæ, quæ supereſt, parti inſtituendæ conferent, atq; coaptabuntur. Quāobrem eadem ratione, eademq; parte, unumquemlibet hominem ſapientem uocamus, qua ciuitatem ſimiliter, & tēperatam, & fortem: idq; cum eum, qui rationis præcepta prima quæq; obſeruat, ac retinet, fortem appellemus. Id uerò, quod ſemper dixi, intelligo in ipſo formidinis tempore, ipſoq; dolore imminente, uel uoluptate: & ita ciuitatis fortitudinē diffinimus. Itidem & homo etiam ipſe ſapiens eſt, in quo penes rationis partem rerum omnium eſt arbitrium, cæteris partibus illi morem gerentibus, ut in ciuitate eſſe ſolet: Neq; nō hic temperatus uir eſt, qui eſt temperatæ ciuitati ſimilis. Ob idq; quiſquis naturam huius, quæ inſtituitur ciuitatis fuerit aſſecutus, maximè is uirtute erit præditus, ſicut hæc quoq; ciuitas ſtudioſiſſima eſt, & optima. Quibus omnibus facilè eſt colligi, non aliam eſſe in ciuitate æquitatem & iuſtitam, aliam in anima. Ex quo ipſo etiam perſpicuum eſt, eandem & in ciuitate improba, & in anima iniquitatem, iniuſtitiamq; eſſe. Vtrobiq; enim illud ipſum uitium nihil eſt aliud, quàm partiū ipſarum peruerſum dominium, obſequiumq;: quemadmodum ſi in anima pars iræ, aut cupiditatis dominium obtineat. Idq; non malè ſanitati, atq; ægritudini corporis comparetur. Etenim ſicut proſpera corporis ualetudo in humorum æquabilitate conſiſtit, ac naturæ in illos ipſos dominio: contrà ægritudo eſt, ſi illi naturam ſuperent, atq; opprimant. Ita res quoq; in anima habet. nam eius demum conſiſtit ſanitas, ſi parti rationali tota anima conſpiret ægritudo, ſi illi reliquæ partes imperent. hoc modo uirtus, ſanitas quædam eſt, & pulchritudo: uitium uerò, deformitas quædam, atq; ægritudo. Ac ita ſanè ſanitas eſt una, ut uirtus, nec alia de cauſa proba ciuitas una eſt: uitia autem ſic diuerſa ſunt, & plura, ut morbi ipſi multiplices, & uarij. Ob idq; malè inſtitutæ ciuitates, ſingulæ etiam, plures quodam modo ſunt, & diuerſæ: quæ tamen quatuor generibus, ut poſtmodum dicetur, comprehenduntur. Vera autem, ac recta adminiſtratio duobus tātùm nominibus appellatur. Nā uel unius gubernatione, regnum dicetur: aut plurium optimorum, ſtatus optimatum appellabitur. Abſoluto itaq; de uirtutum

Cōſpiratio partiū animæ per muſicam, & gymnaſticam.

Eadē iuſtitia in ciuitate, quæ in anima.

Similitudo.

Malè inſtitutæ ciuitates quodāmodo plures eſſe dici poſſunt.

Hactenus de uirtutibus.

generibus ſermone earum, quæ in hac ciuitate exiſtunt, refert ſe ad ea perſequenda, quæ de cuſtodibus reliqua erãt: Quo uidelicet modo cum uxoribus congredi debeant, qualiter liberos educare; quo modo etiam generare. Ac dicamus

Nunc de cõgreſſu, cuſtodũ cũ uxoribus & liberorũ educatione.

quidem id neminem latere poſſe, ut quandoquidem cuſtodum naturas in ciuitate perpetuari uolumus, nec id aliter quàm, ut ſibi ſimiles cum plurimùm generent. Hoc fieri nõ poßit, ſi cum quauis muliere commiſceantur, uerùm tantummodo, ſi cum ſimilis naturæ mulieribus, ſimiliſq; educationis coniungantur. Nec id ſolum cuſtodibus conuenit, ſed reliquis etiam, ſuo cuiq; in genere. Hinc exoritur ſanè quæſtio, num mulieres ipſæ ſint ſimilis naturæ, ac uelut congruant naturæ ciuiũ, uirorum, præſertimq; cuſtodum; an ipſarum natura, à maſculorum genio diſcrepet? Prius ſi dabitur, fœminæ eadem munera, officiaq; explebunt, quæ maribus quoq; ipſis aßignata ſunt, ita ut, & militarem facultatem, Philoſophiamq;, ac

Quæſtio.

principatum, reliquaq; ſimiliter aſſequi poßint: ſin ſecus, tum mulieres ipſæ nõnulla ad munera habiles erunt, ad quæ uiri ipſi erunt penitus inepti, cuiuſmodi ſunt nutriendorum liberorum partes, pariendiq; labor, & alia id genus. Nos uerò eiuſdem ſpeciei eſſe, & mulieres, & uiros, in humano fine adipiſcendo affir-

Solutio.

mamus: nec quicquam intereſſe, niſi prout, aut magis, aut minus idipſum agant, uidelicet quod compluribus in rebus uir ſedulitate, ac diligentia mulierem ſuperet. Quanquam non adeò abſurdum ſit, aliquando nonnullis in actionibus mulieres uiris diligentiores eſſe, ut in muſica practica uidere eſt: ideoq; fertur, muſicos modulos tum demum perfectos eſſe, ſi à uiris excogitati, à mulieribus abſo-

Nota modũ loquendi.

luti, & conſummati ſint. Itaq; cum uiri, ut diximus, & mulieres ſpeciei eiuſdem ſint: atq; ea, quæ natura ſpecie non differunt, ad eundem actum in ciuitate ſe cõuertant, hinc credo manifeſtum eſſe, eodem munere hac in Rep. & uiros, & mulieres uti, etſi ſuapte natura illæ ad illud quiduis imbecilliores ſint: quatenus benè conſultum ſit, ſi leuiora illis opera, ac faciliora aßignentur. Nec id inquirentibus difficile eſt inueſtigatu. Videmus enim mulieres nõnullis in artibus maſcu-

Mulierum præſtantia.

lis nihil eſſe diſpares, præter quod ipſæ ad eas minus ualidæ, minusq; perferentes ſint: non tamen excluſo, quin mulierum aliquot aliqua in arte uiris ipſis præſtantiores ſint, ac diligentiores, ut in arte textoria, ſartoriaq;, & alijs nonnullis. At uerò quod militarem artem, induſtriamq; participent, uidere eſt cum in alijs pluribus, tum in his, quæ nonnullis in partibus Africæ habitant. Qua ratione colligi poteſt, nihil alienum uideri, ſi quæ mulieres ingenij quadam perſpicacitate, ac prudentia maxima à natura ornatæ fuerint, ſapientes ſint in ciuitate,

Mulieres prohibẽtur a ſacerdotio.

& principes. Verùm quoniam id perraròcontingit, ideò eſt, quod leges nonnullæ mulieres prohibuerunt ad ſacerdotium, præſertim pontificiam dignitatẽ promoueri. Cæterum & inductione, et ſimilitudine à brutis animantibus ducta, pro-

Adductio probãs mulierum præſtantiam.

babile eſt, quemadmodum inter cuſtodes gregis canes fœminas, nihil à maſculis, quod ad cuſtodiam attinet, ac pugnam, inimicitiasq; aduerſus lupos differre, niſi quatenus ſunt imbecilliores: ſic mulieres quoq; cuſtodes in ciuitate eſſe debere, habita ratione eius animalis, cui nos cuſtodem antè aßimilauimus. Natura uerò (quanquam id raro) nonnunquam tamen aliquibus ad pugnam armis, quibus fœ-

minæ

minæ careret, mares inſtruxit, ut de ſuibus clarum eſt. Ea uerò, qu ibus plurimùm inſtructa ſunt pugnacia animalia, ſunt certè eadem ferè, & maribus, & fœminis: quaſi idem quod maſculus, fœmina agere, & exercere debeat. Enimuerò in his noſtris ciuitatibus nunc perſpicere non licet, quanta ſit mulierum, quàmq; ampla facultas, eas cum tantummodò ad liberorum procreationem habeamus, tanquam ſint imperio mariti, liberis pariendis, lactandis, enutriendis addictæ: quæ ſeruitus quidem liberam illis aliarum rerum adminiſtrationem, curamq; abſtulit. Ea demum cauſa eſt, cur his in ciuitatibus nullæ mulieres ſint, ad aliquā humanarum uirtutum paratæ, ſed plantis potius ſimiles, graues quidem, & moleſtæ uiris ipſis. Quæ etiam ex re potiſſimùm paupertas, & miſeria his ciuitatibus ingruunt: quod mulieres ibi uiris duplo plures ſint, nec aliquid ad neceſſaria quærenda conferant, neq; in illis exercitatæ ſint, niſi perraro admodum aliquibus ſe operibus adhibent: quæ certè ferè, non niſi quando neceſſitas cogit, ſuſcipiunt, ut inopiæ ſuæ opem ferant, cuiuſmodi nendi, & texendi artificium eſt, quæ omnia de ſe ſunt manifeſta. Et cum oſtenſum ſit fœminas bellicam artem cum maribus communem habere, ac aliquas alias: conuenit, ut in eis deligēdis ad quācunq; rem earum naturas ſpectemus: eandemq; adbibeamus diligētiam in eis, & quærendis, & erudiendis, tum muſica, tum gymnaſtica; quam in uiris ipſis præſtitimus. Et ſic mulierum corpora, quæ cum uiris in gymnaſio bellico exercētur, denudanda erunt, cum uirtus illis pro optimo ueſtimento inducenda ſit. Ac ut primùm mulieres oſtendit ſimul cum uiris cuſtodes eſſe debere, unaq; habitare, & uerſari, & epulari, cum nullus in hac Repub. cuſtodibus ad habitandum, uel epulandum aſſignatus ſit locus, inquit inſuper neceſſitatem quoq; uirum, & mulierem cuſtodes ad mutuam commixtionem impellere. Nec temerè tamen quæuis ad arbitrium congreſſio permittenda eſt, neq; cum quocunq; uoluerit, idq; ex inſtituto propoſito. Nos enim eum actum humanum quidem eſſe uolumus, nō quàlitercunq; commiſceri contingat: ſed ita Venus inſtituatur, ut quàm optimè ad generationem, ac propagationem cuſtodiæ appoſita ſit, certis quibuſdam, determinatiſq; temporibus, ſcilicet more quoq; definito pro unius cuiuſq; ratione. Hic autem mos, etſi à reliquis ciuitatum, ac populorum legibus maximopere diſcrepare uidetur, idq; ex ui quadam uerborum potius, atq; ſpecie, nihilominus communis certè reliquis omnibus inſtitutis, ac conſuetudinibus apparet. Et nos quidem breui admodū diſſertatione de hac re, quid Plato ſentiat exponemus. Dicēdum itaq; eſt horum cuſtodum commiſcendorum tempus obſeruari debere, ac cōſiderari, maximè ad continuationem, & perpetuitatem ſui generis: ſimiliterq; et coeundi modus determinādus eſt. Quod ipſum uariari ex bellis ſuperuenientibus poteſt, atq; multa alia interuenire poſſunt, quæ congrediendi modo, uel adijciant, uel detrahant. Et inter priuatos quidem in hac ciuitate, matrimonium ita contrahitur, ut non niſi ſimiles coniungantur, ac boni bonis, ut hac ratione natura eorum optima in liberis ſoboleſcat. Quis enim uenatorios canes, aut aues ad uenationem quoq; aptas deſiderat, qui non idem curam quàm maximam præſtet, ut horum generoſam naturam cum generoſa coniungat: ut ex eo congreſſu, quod

Mulierū munus peculiare.

Cur mulieres rudes alicubi.

Numerus ingens mulierum quando nocet.

Mulieres Plato ad bellicam artem uult inſtitui.

Congreſſio cum mulieribus qualis.

Platonis opinio de cōgreſſione cū mulieribus, et de matrimonio.

natum erit parentum generoſitatem referat? At quantò magis in hac Repub.circa procreandos liberos cura hæc habenda eſt? Quocirca qui huiuſmodi curam in Rep. gerit, committere non debet, ut quælibet temerè ætas ad coitum admittatur, quin florida tantum, & firma: Quæ in muliere à uigeſimo anno incipiens, ad quadrageſimum durat: In uiris uerò, à trigeſimo usq; ad quinq; & quinquaginta annos producatur. Quæ in utriſq; ætas liberis procreandis attributa eſt. Eſt quoq; in his cuſtodibus, ac prole eorum (ut ipſe cenſet) ea nuptiarum habenda ratio, ut mulieres omnibus uiris communes ſint, nullaq; uni tantùm propria, ac ſua aſſignetur, ita ut uno in contubernio cohabitet, ut in his noſtris ciuitatibus fieri ſolet: Et rurſum liberos omnium fore cõmunes arbitratur. Quod uerò ad uxorum communionem attinet, ita mihi ſanè intelligendum uidetur, ut illæ cum omnibus uiris habitent, nullo quod ad id ſpectat diſcrimine: non tamen, ut libera eis commixtio, coituſq; permittatur. Verùm cum principibus neceſſitas uidebitur ſufficiendæ ſobolis, uidebunt ut publicè apparentur nuptiæ: tumq; hinc ſponſi, inde ſponſæ conueniant, ſacrificia fiant, ac uota DEO nuncupabuntur, DEVM opt. max. orabunt, ut ſui ille miſereatur. Ad hæc quoq; præcipient, ut poëtæ hymnos epithalamios, quales in nuptijs celebrari ſolent, conficiant: ac deniq; ex huiuſmodi uniuerſorum ciuium concurſu, uiri, ac mulieres ad nuptias ſeligentur. Tum deinde non ſine arte, atq; ingenio iudices ſortem agitabunt inter eos qui uxores ducturi ſunt. Cuius ſortis ea moderatio eſſe debet, ut quæcunque cuiusuis uxor obuenerit, id caſu non arte factum uideatur. Sic itaq; communes omnibus uidebuntur uxores. Neq; tamen ſors, niſi inter ſimiles, atq; unius ſpeciei iniri debet, ſic ut optimam mulierum ſpeciem, ad optimum uirorum genus conferat, deteriorem quoq; deteriori: data opera in primis, ut nullus id ciuium percipiat, præter ſenes, & iudices ipſos. Galenus autem commeminit librum ſe hoc genere ſortiendi compoſuiſſe, quod ipſum appellatur octogenarium. Quo ex opere commoda duo egredientur: Prius eſt, ut id, quod putabatur de mulierum communione, ratum exiſtimetur: Alterũ, ut optimè ad procreationem prolis naturæ obſeruentur. Et præter hunc quidem modum, poſſunt adhuc alij excogitari. Mox mulieres, inquit, grauidæ à uiris ſeiungentur, & cum prægnantibus reliquis habitabunt, donec pepererint. Poſt partum autem omni opere cauendũ eſt, ne ulla ſuam prolem uideat, ſed continuò quod natum erit aliò ad nutrices transferatur: ad nutrices quidem, ſi matres ſufficienti non abundabunt lacte. Hoc autem propterea inſtitutum eſt, ut nati omnium communes uideantur: idq; adeò, ut ſinguli quiq; uniuerſi illius generis natos credant eſſe ſuos, uiciſſimq; nati arbitrentur omnes illos parentes ſuos eſſe. Quod totum ad conciliandum amorem fit. Nec in hac ciuitate ulla erit alia neceſſitudo, quàm patrum, & auorum, filiorumq;, atq; filiarum, & nepotum, & fratrum, atq; ſororum. Quo in genere huiuſmodi ciuitas uarios cognationis gradus complectetur, in quibus unum ordinem filij conficiant, alium patres, alium aui, alium proaui: Ita ut quiq; in filiorũ ordine patrum ordinem ſuſpiciant, & uenerentur, colantq; ea reuerentia, quæ patribus à filijs debita eſt. Rurſumq; ordo ille paternus, quotquot filiorum gradus complectitur

Aetas præſcripta ad congreſsionem.

Communio uxorũ quæ ſit apud Platonem.

Epithalamia.

Liber Galeni de genere ſortiendi.

Præcepta circa ſobolẽ educandam.

Quales cognationes recipit Plato.

dus cõplectitur amabit, eo ſcilicet amore, quo ſolent filij à parentibus diligi. Propterea fratrum, ſororumq; matrimonia, ac congreſſus legitimi ſunt: Parentum uerò, & liberorum inter ſe congreſſus, licet hinc aſcendatur, illinc deſcendatur, huiuſmodi congreſſus tolerabiles non ſunt: ne dignitas illa paterna, ac reuerentia inſolente Venere contaminetur, & filiaris ille cultus amore uoluptario confundatur: ac demum, ne, ſi depoſita fuerit liberorum erga parentes obſeruantia, & reuerentia, ipſa etiam Reſp. penitus corrumpatur. Quæ cauſa in omni legum inſtitutione obſeruata eſt, & licet inter ſe circa huiuſcemodi graduũ determinationem differant, ſiutq;, & ipſæ inter ſe inuicem rationis diuerſæ. Fratrum et ſororũ matrimonia cõcedit, parentum, & filiorum non.

Aetatum etiam non in poſtremis habendus eſt ad Venerem delectus. Qui enim ætatem ad generandum præfinitam egreſſi fuerint, non indignum eſt inueſtigatione, an præterea cum muliere congredi ad ſubducendum ſeminis excrementum liceat, cum nullum magis inter omnia ſuperflua excretiõe indigeat. Ac Plato permittit id quidem, ſed ex eis ſi qui nati fuerint, nullo loco, nulloq; numero eſſe cenſet, nutrimentumq; eis interdicit. Verùm & id non niſi pro ratione ſanitatis concedi, ac menſurari debet. Superiores autem nuptiæ ſine dubio repetuntur toties, quoties uſus, ac neceßitas poſtulant procreandi: ita habito, & raritatis, & frequentiæ reſpectu, ut Reipub. huius, atq; ciuitatis non excedatur determinata multitudo, prout etiam mulieres ad conceptum, aut faciles, aut tardæ ſunt. Aetatis ratio habenda ad concubitum.

Huius autem loci intellectus Galenum habuit peranxium num ſcilicet huiuſmodi copulationes deberent iterari. Hinc autem illa fuit anxietas, quod Platonis in hoc loco mentem non aſſecutus eſt. Nam niſi renouarentur nuptiæ, ſed ſingulæ ſingulis coniunctæ permanerent, nimiùm in communione illa ceſſaretur, communisq; amor de medio tolleretur, eſſetq; longè maior pro ſeipſis cõſortibus, ad bona acquirenda mutua diligentia ipſorum, & cura, quàm pro alijs: Eaq; ratione familiaris potius adminiſtratio, quàm ciuilis naſceretur. Quod manifeſtum eſt apud eum, qui in hac diſciplina uerſatus fuerit. Eò ergo abſurdius eſſet alicui uni concedere, ut priuatim ſibi ad habitandum domum haberet. Nemo enim in hac Repub. proprium ſibi quicquàm obtinere debet, ac omnium rerum communio perinde in hac Rep. atq; in membris corporis ſe habet. Per has quòque nuptias tantum tempus uir unus quis liberis operam dabit, quantum ut plurimum, ad cõceptum ſufficere dijudicabit: Et hoc mihi eſſe uidetur, quod de communione, & filiorum, & uxorum Plato intellexit. Galenus Platonẽ nõ intellexit.

DEINDE *demonſtrationibus probat communitatem huiuſcemodi neceſſariam eſſe: dixitq; primùm huius Reipub. legislatorem in ciuitate conſtituenda ſpectare debere potißimum, quod ſit ciuitatis ſummum bonum, non ſecus ac repellere à ciuitate debet, quod maximum eſt malum. Ac uullum profectò eſt perniciofius ciuitati ea gubernatione, quæ pro una plures efficit ciuitates: Nihil è contrario ſalutarius, quàm id, quod Rempub. conuertit, conglutinatq;, atq; unã facit: Neq; quenquàm latere arbitror communicationem, & emolumenti, & damni, ciuitatem ſolere colligare, atq; unire, ut illis, & uiuendum pariter, & moriendum ſit, ſi ita ſors tulerit: Itidemq; ualet, & lætitiæ, & doloris communitas.* Communio neceſſaria i ciuitate. Quæ ſit peniciofa gubernatio, itẽ quæ utilis.

Contrà his in rebus diſsidia, & quaſi abalienationes ciuitatem diſſoluunt, ac perimunt: alijs enim gaudentibus, alij dolebunt: quin etiam quandoq; ex aliorum dolore alij uoluptatem accipient. Quamobrem non temerè fertur commercia, atq; communicationes huiuſmodi hominum inter ſe eſſe perutiles. Et ſummatim ut dicam, ciuitati nihil magis officit, nihil magis perturbat, quàm ea uerba, ſi inter ciues euulgata fuerint, meum uidelicet, & non meum. Ac illa demum ciuitas hoc pacto conſtituta, ut nihil unius ſit, quin idem etiam ſit omnium, id ſi tale eſt, ut uniuerſis facilè congruat, hæc certe ciuitas unita, illigataq;, & uera dici poteſt. Ciuitatis enim partium ad totam ciuitatem communio, non alia eſt, quàm membrorum ad corpus totum animalis, quod ad dolorem ſpectat, & uoluptatem. Nam & quoties uni digito dolor eſt, totum huic corpus cõdolet, totumq; afficitur ita, ut ægrotum dici poſsit. Idem etiam in gaudijs, ac uoluptatibus accidit. Res igitur ita ſi ſe habet, ut deſcripſimus, huiuſmodi eſt ciuitas, cuius ciues probos, & bonos eſſe uolumus. Et manifeſtum hinc etiam eſt, communionem illam uxorum, ac puerorum, eſſe perneceſſariam. Namq; nullum horum cuſtodum fas erit quempiam omnium, niſi affinem, atq; propinquum appellare: imò quicũq; occurrerit, eum ipſum ut patrem, uel auum, uel matrem, uel auiã, uel fratrem, uel ſororem, aut filium, aut filiam apud ſe exiſtimare debet. Et in patres quidem (ut diximus) ea utentur reuerentia, quam lex in uniuerſum lata præſcripſit. Hoc etiam maximè ciuitati conducibile eſt, ut ſingulæ partes in lætitia, & dolore ita cum uniuerſa conſentiant, ſicut unius corporis particulæ cũ corpore. Nec diſsimilis eſt uxorum, & liberorum communicatio, bonorum, atq; opum communioni: eratq; quod dicebamus, nullum omnino iſtorum propriam habitationem obtinere, neq; quicquam ſeorſum, ſed unuſquiſq; domum ſuam habeat, in qua & alij habitare poſsint. Similiter etiam reliqui faciant. Multò minus equidem, aut liberi proprij, aut uxores propriæ permittendæ erunt. Sic enim propria, & mala, & bona fierent. Quin etiam huiuſmodi proprietas non rarò (ut diximus) alieni mali cauſa eſt, ſeminatq; rixas, atq; ſeditiones inter ciues: quæ mala propter pecunias, propter liberos, propter uxores frequentia oriuntur. E` diuerſo rectè, & ordine adminiſtrata ciuitas, inimicitias, æmulationes, inuidiam, paupertatem, & reliqua mala, quæ has noſtras ciuitates opprimere ſolent, effugiet. In hac uerò ciuitate nihil eſt, quod furta, & rapinæ probibeãtur, reliquaq; alia, quæ his Rebuſpub. noſtris prohibentur. Et illi etiam ciues ſumma dignitate, ſumma proſperitate felices quidem ſunt, ac beati, his omnibus malis liberi, atq; immunes, quæ noſtrorum temporum ciuitatibus ingruunt. Idq; totum per ſe manifeſtum eſt, ſi quales nunc ſunt conuentus, quis exactè contemplatus fuerit. Et poſtquàm oſtendit neceſſarias eſſe illas communicationes, ac uxores cuſtodum, non minus quàm uiros ipſos cuſtodiæ attentas eſſe oportere, ſeu domi, ſeu foris uidelicet belli res regenda ſit, quemadmodum in canibus fœminæ cum maribus ipſis cuſtodiæ & ipſæ operam præſtãt: Tum inueſtigare incipit, deceátne ita pueros militiæ, ac prælijs aſſuefacere, ut illo ſpectaculo præliorum, & tyrocinio, ac deinceps experimento imbuantur, ut alijs in artibus ſit, quibus

Meum, non meum uerba exitioſa.

Analogia pulchra.

Affinitas, et cognatio inter cuſtodes utilis.

Communio bonorum et fortunarũ.

Vxores cuſtodum quales.

Similitudo.

quibus non antè operi, atq; artificio applicantur tyrones, quàm ſint frequenti inſpectione eruditi. Verbi gratia in fabrica, & non paucis alijs, patres dum arti ſuæ dant operam, præſentes filios adhibent, ut ſe operantes illi aliquãdiu intueãtur, priuſquàm ipſi quicquam ea in arte agant. Nec parui refert an diſcipuli à teneris annis artis ipſius ſpectatores fuerint nécne. Quod ipſum ſi in alijs artibus comprobabitur, quantò maior eadem circa cuſtodum liberos diligentia eſſe debet? cum & cupiamus, & expediat maximè eos peritiſsimos, doctiſsimosq; effici. Adde etiam quod committendo prælio, ſi liberi adfuerint, patres acrius multò, atq; ardentius pugnabunt: Quemadmodum in reliquis etiam animantibus cernitur, quoties alicui eorum præſente prole decertare contigerit. Ita tamẽ adſint pugnantibus patribus liberi, ut ob eorum imbecillitatem, ac puſillanimitatem mortis periculum non ſubeant, ſi parentibus adhæſerint: quin etiam propter id poſſent parentes ipſos in diſcrimen ducere, uerùm hoc in arbitrio ſit parentũ, ac iudicio, cum ipſi maximè illorum naturam cognoſcant, ut ſi quem illorum meticuloſum, atq; timidum norint, eum ad bellum exire non committant, & è contrà, qui firmiore, & ualidiore animo eſt puer, ad id ipſum nõ eſt alienum, ſi egrediatur, tum imprimis, cum equitandi artem exactè eſt aſſecutus. Et quod ad puerorum quidem eo in ſpectaculo curam, atq; tutelam attinet, omne ſtudium nauãdum eſt, ut uidelicet in equis maturioris iam ætatis, atq; obſequentioris naturæ equitent, ab ipſis prælium ſpectent. Præterea autem huic ciuitati ferentur leges, quæ, quicũq; in acie deſertor ordinis fuerit, aut abiecerit arma, aut ſimilem aliquam ignominiam ex timore, uel ignauia admiſerit, in opificum ordinẽ manuariorum eum tranſmittant. Quicũq; etiam apud hoſtes captiuus fuerit, idem hoſtium arbitrio relinquatur, idq; non iniuria, cum ſe ille in laqueos, & captiuitatem dederit, ut cerui ſe in retia uecordia, atq; imprudentia conijciunt. Lex itidem ferenda eſt alia, ne quis occiſos in pugna ſpoliet, iã enim plurimi exercitus hac cauſa periere: licet tamen mortuis etiam arma detrahant tantummodò, ſi quis modò indiguerit: utpote quia, uel gladius, uel haſta, aut rupta, aut inutilis fuerit. Ad hæc Plato his cuſtodibus concedit, quãdiu in caſtris agunt, ut ſinguli oblatum ſibi fortè captiuum ciuem recipiant, ſi uelint, eumq; trucident, quò ſint reliqui animoſiores, pugnacioresq;. Inquit præterea Plato ex cuſtodibus, qui ſe egregiè geſſerint, eis ſummos, ac plurimos in ciuitate honores haberi debere: ac pro eorum dignitate ſacris rebus operandum eſſe, orationibusq;, atq; carminibus eſſe celebrandos. Atq; ex his, quicũq; in acie ſtrenuè pugnantes occiderint, poſt eorum obitum honorificentiſsimè de eis ipſis mentio, memoriaq; habenda eſt, ac commemoranda, tanquam ipſi in Angelos terreſtres, ſanctosq;, & puros tranſmutati ſint, atq; tum maximè ſint mortalium cuſtodes, & mala illis imminentia auertant, atq; uitia. Nec nõ ſepeliendos eſſe fas eſt ſingulari quodam honore, ac loco maximè ad dignitatem expoſito: Quorum quidem ſepulchra, uelut oraculorum ſedes erunt, in hisq; adorabitur. Secundum hos reuerentia quoq; illis exhibebitur, qui fato è uita conceſſerint, fuerintq; genere uitæ, et ciuilis diſciplinæ laudabiles. Omnibus autem his explicatis, in eam ſe confert inueſtigationem, an huius Reipub.

An ſit Aſſueſcendum ſpectaculo præliorum.

Alacritas filiorũ ad pugnam præſentibus parentibus.

Exercitatio equeſtris. De deſertoribus aciei.

Captiui nõ redimẽdi ab hoſtibus.

Captiuos licet trucidare.

Mortui in acie laudandi publicè.

Viri boni, et inſignes honorificè ſepeliendi.

ius Reipub. ciues fas ſit, alium quempiam generis, ac linguæ ſocietate ſibi coniũctum in ſeruitutem redigere: & per genus quidem intelligo cognationis ordinẽ, ac ſeriem præterea etiam patriam. Ac illud quærit, non ex odio, quod ſit utrinq; in bello conflatum, iuſtum ſit hos ciues illorum domos incendere, atq; incidere arbores:

Bellum quale ſit iuſtũ.

Quod quidem nemo in genus ſuum admittere debet. Veluti nõ eſt æquũ, ut Græci ipſi aduerſus Græcos ita bellum inſtituant, ut de ſeruitute, atq; libertate contendatur: neq; hoc in bello ædes comburi decebit, aut excidi arbores. Huiuſmodi enim Græcorum inter ſe diſſidium ſeditio potius, quàm iuſtum bellum appellari debet: & ſeditio quidem, non niſi inter ciues, & uelut familiares, atq; domeſticos, amicosq; malum inteſtinum exoritur.

In bello prohibet uaſtationes.

Quocirca hæc cuſtodibus huius ciuitatis lex imponatur, ne domos Græcorum deuaſtent, arbores concidant, ullóſue in ſeruitutem redigant: Quos error quidem, non rebellis natura in ſeditionem agit, & morbo potius, quàm natura peruertuntur. Quæ Platonis ſententia multorum opinioni contraria eſt, qui hactenus leges condiderunt.

Contra barbaros pugnandum.

Contra barbaros uerò omnia illa depopulationis, & uaſtationis genera exercere licet: ſicq; concluſa eſt Platonis opinio de inſtitutione huius ciuitatis, ipſorumq; maximè cuſtodum, tum quo pacto inter eos, qualisq; rerum communicatio ſit.

Gymnaſticam omnibus conuenire.

Neq; uerò te fugere debet, maximam eorum partem, quæ de communione, & inſtitutione per muſicam, & gymnaſticam artem dicta ſunt, omnibus in hac Repub. ordinibus conuenire, licet tamen nõ una ſit gymnaſticæ in omnibus generibus formula. Idem de fabulis quoq; putandum eſt, quæ per muſicam tradi ſolent, affectus ſcilicet commouentibus, ac inducentibus imprimis ad eam actionem, ad quam quisquis natura maximè paratus eſt. Quam diligentiam Plato non per ſingula ciuium genera executus eſt: cum ſit facilè ex his, quæ de cuſtodibus diſſeruit, eandem rationem ad reliquos etiam ciuium gradus tranſmittere. Eſt igitur nunc conſequens, ut detur generi ſapientum propria, & quaſi ſua diſputatio:

Ratio dignoſcẽdi naturam aptã ad ſapientiam.

& hoc quidem Plato ipſe, ut inſtituerat perficit. Sicq; dicetur, qua ratione naturæ ad ſapientiam idoneæ dignoſci poſſint, qua diligentia ad eam deinceps effingi, & formari debeant, tumq; deniq; quo modo iam perfecti illi in ſapientia uiri, atq; conſummati ciuitati imperare debeant. Hic tamen huius compendij primo tractatui modum imponemus.

TRACTATVS

SECVNDVS.

QVONIAM Quidem, & quæ à nobis inſtituitur Reſp. ſi contingat, tum demum eſſe intelligitur, cum Regem habuerit Philoſophum, illoq; tantummodò præſide ſeruatur, atq; permanet: ubi Platoni erat propoſitum de eorũ natura diſſerere, ideò hic non alieno loco de Philoſopho tractare exorditur: eumq; ſanè ipſum eſſe dicit, qui ipſum quod eſt (ens uocant) ſcire cupit, eiuſdemq; naturam à materia longiſſimè ſeparatam contemplatur. Cuius quidem totius fundamentum in ipſis Platonis uerbis conſiſtit. Eſt autem ſcitu non indignum, quod philoſophi nomen ipſa in prima, atq; præcipua eius notione, accipitur pro eo, qui ſcientias contemplatiuas eſt aſſequutus, illis quatuor conditionibus, quæ in libro poſteriorum analyticorum Ariſtotelis enumeratæ ſunt. Earum autem una eſt, ut poſſit is eas ædere, atq; docere. At docere quidem non uno modo contingit, uerumtamen duobus: Quorum alter, præſtantium, atq; egregiorum ingeniorum proprius rationibusq; demonſtratiuis innititur: Alter uulgaris quidem ille, & communis, uijs quibuſdam inducentibus probabiliter, átque perſuadentibus, poëticaq; induſtria procedit. Quo eodem modo ſi quis docere aggredietur, eum opportet, & rerum agendarum uſu, eaq; facultate excogitandi, qua res adinueniuntur, quæ in ſcientia actiua declaratæ ſunt, pro populis, ac ciuitatibus inſtructum eſſe. Ad hæc etiam Philoſophia, quæ de eximijs hominum moribus & uita contemplatur exornatum, quæ adminiſtratio ciuitatum, et Iuſtitia populorum eligitur. Neq; aliter Philoſophus optans ipſe perfici, atq; conſummari hoc obtinebit, priuſquàm contemplatiuas ſcientias, ac rerum agendarum artes ſimul aſſequutus fuerit: & uirtutes illas morales, cum excogitatiua etiam facultate unà contulerit: imprimisq; illarum omnium præſtantiſſimas complectetur. At uerò quod ad Regis quidem nomen attinet, id illum imprimis ſignificat, qui ciuitatibus dominatur. Atq; planum eſt, illius officium, atq; opus, quo ciuitatum adminiſtrationi præeſt, his omnibus ſimul, quas ſuprà memorauimus artibus, & uirtutibus perfici. Similiter de legiſlatore dicendum, quãuis nomine ipſo is primo intelligi uideatur, qui facultate illa excogitandi eas res, quæ inter gentes in rebusq; publicis actitantur, & exercentur præpollet: ſuperiores tamen illas uirtutes neceſſe eſt, ut habeat. Quocirca uideri hæc omnia poſſunt eiuſdem ſenſus nomina, ſcilicet Philoſophus, Rex, Legiſlator, atq; Sacerdos. Si quidem & lingua noſtra Arabica ſacerdotis nomen pro eo interpretatur, cuius operationibus fides eſt adhibenda. Hic igitur, cui fides habẽda eſt, propter actiones eius, quibus Philoſophus eſt, ſacerdos ſimpliciter eſt. Num uerò præterea, an etiam in eo Prophetia deſiderari, et requiri debeat, eximiæ conſiderationis quidem locus

Philoſophũ requirit Regem.

Qui ſit philoſophus.

Signũ ſciẽtis eſt poſſe docere.

Duo modi docendi.

Philoſophus perfectus.

Regis nomen.

Legiſlator.

Nomina quatuor Regis.

dem locus eſt, quem nos (ſi DEVS annuerit) in prima huius ſcientiæ parte tractabimus: Interim tamen ſciri debet, ſi ita fortè ſit, id quidem nõ eſſe neceſſitatis, ſed & commoditatis, & melioris cuiuſdam ſtatus gratia. Tum poſtea quã de Philoſopho quidnam eſſet diſputatum eſt, ac conuenit, nullũ eſſe in hac Rep. iure atq; natura principem, ac dominum, niſi philoſophum; conſentaneum eſt, ut eos mores enumeret, quibus natura, atq; ingenio ornatus eſſe debet, quæ ornamenta, atq; inſignia ſunt quidem illa Regis ipſius naturalia, & propria. Horum autem primum eſt, atq; præcipuum, ut ingenij claritate ſit aptus à natura ad eas ſcientias comprehendendas, quæ contemplationis tantùm ſunt. Id autem maximè continget, ſi ab ipſa natura quid per ſeipſum ſit dignoſcat: ac deinde idipſum ab eo, quod ex accidenti eſt diſcere ſciat.

Optimi principes philoſophi.

Mores, ac uirtutes Regis quales & quot.

Memoria.

PROXIMVM eſt, ut acri, ac fideli ſit memoria, non obliuioſus natura. Quod ſi hæc duo ingenij bona non obtineat, uidetur ille ſanè ad diſcendum minimè appoſitus: quandoquidem continuo labore obruetur, ut tandem præ tædio omnem lectionem, diſciplinamq; reijciat.

Doctrinæ amor.

TERTIVM etiam accedit ornamentum, ut amet ipſe doctrinam, ac requirat, neq; ullam uniuerſæ ſapientiæ partem negligat. Nam & qui ſummopere aliquid concupierit eius, quod deſiderat, omnes omnino partes perſequitur, ac ſpecies: ut exempli cauſa, qui uini auidiores ſunt, omnia uini genera ſedulò, ac uehementer requirunt. Simile eſt etiã in effœminatis, & mulierũ amatoribus.

Amor ueri.

QVARTVM inſigne quoq; eſt, ut ueri ille amator ſit, inimicus, aduerſariusq; mendacio. Etenim qui ipſum quod eſt affectat cognoſcere eo modo quo eſt, ueritatem diligit: neq; ueri amicus quiſpiam mendacium non odit. Nullus igitur uir, cuiuſmodi eum eſſe uolumus, mendacium amplectetur.

Odium uoluptatis corporis.

QVINTVM Illi etiam pernecessarium eſt, ut corporeas uoluptates exhorreat. Nam quicunq; aliqua in re magna uoluptate capti ſunt, eorũ animus à reliquis omnibus delectationibus auertitur: idq; in philoſophis, quorum animus ad nihil aliud, quàm doctrinam inclinatur.

Cõtemptus lucri.

SEXTVMQVE hoc etiam additur, ne ullius quæſtus cupidus ſit. Nam & ipſæ pecuniæ per ſe cupiditates quodammodò ſunt, quæ omnes ab his uiris ſunt omnino alienæ.

Acumen mẽtis.

SEPTIMVM eſt, ut præſtantis, perſpicacisq;, atq; acutæ ſit ratiocinationis. Nam qui uniuerſa cognoſcere laborat, nuſquam ſe patitur cognitione rerum defici, ut poteſt uis illa cognoſcendi ferre: atq; is quidem incomparabilis eſt ad contemplandum uirtutis. Neq; enim quicquam meritò huic ratiocinanti animæ comparabitur.

Fortitudo.

AD HAEC Fortitudo quoq; in hoc octauum obtinebit locum. Nam ſine fortitudine rationes illas debiles, non demonſtratiuas, in quibus eum educari cõtigit, nec contemneret, néque refelleret. Quod quidem magis etiam perſpicuum eſt in his, qui in noſtris ciuitatibus educati ſunt.

Promptitudo ad bonũ.

NONA denique uirtus, ut per ſe ipſe moueatur ad id, quodcũq; bonum, honeſtumq; uidebitur, tum Iuſtitiæ, tum aliarum ſpecie uirtutum, ac demum hoc

modo

modo continget, ſi anima ipſa concupiſcens totam ſe credat rationi, ac excogitationi. Adde eum inſuper oratorem perfectum eſſe debere, ita ſanè, ut eius oratione ſua in doctrina ad id omne, quod maximè deſiderat, feliciter perueniat. Ad hæc comprehendat breuiter, & facilè medium in ratione (terminum quem uocant). Hæc itaq; inſtrumenta animi ſunt, quibus uir huiuſmodi inſtructus eſſe debet. Virtus autem, uireſq; corporis in iſtis, & cuſtodibus eædem ponuntur, ut ſint utiq; firmæ, ſalubriſque cõſtitutionis, corporeæque temperaturæ. Sic equidẽ cui ab ineũte ætate hæc omnia affuerint, cuique euenerit, ut in ea, quam pòſt deſcribit inſtitutione, doctus, formatúsque fuerit, profectò is ad imperandum huic Reipub. erit idoneus. Ex quo eſſe uidetur id, quod rari admodum huiuſmodi homines, difficileſque inuẽtu ſint: Qua ipſa cauſa, Res quoque publica huiuſcemodi non obuia paßim, átque frequens, ſed inuentu rarißima.

Ciuitatis cuſtodem Oratorẽ debere eſſe perfectum.

De dotibus corporis, quæ debent eſſe in cuſtode.

NEQVE *ſit ſummopere alienum, ſi quis hic addubitet, dicátque nõ poſſe talem ciuitatem exiſtere, niſi dum quales ſuperius deſcripſimus, homines tales inuenientur: nec ſanè eos inueniri, niſi in hac ciuitate moribus illis educati fuerint. Quamobrem collectum eſſe uidetur, quod rationibus fieri poſſe à nobis oſtendebatur, nunc prorſus eſſe nunquam poſſe.*

Dubitatio an poßit eſſe talis reſp.

AD ID *autem non incommodè dici poteſt, non eſſe diſſentaneum, ut nonnulli per ſe, ac naturali quadam affectione his, quos perſcripſimus, moribus inſtructi ſint. Ad hoc etiam, naturæ ipſius inſtinctu, legem aliquam communem, quam certè nonnullæ gentes, uel populus eligit, accipiant. Præterea etiã, ut propria ſe religione aſtringant, quæ legibus tamen humanis non ſit dißimilis. Sicque non incongruũ eſt, ut proceſſu temporis in ſapientes euadant, ueluti etiam hac ætate noſtra, hac noſtra lege res habet. Ergò ſi contigerit uiros ita moribus, uirtutibúſque inſtructos, potentia, átque authoritate ualere, quanquam incerto, infinitóque nobis tempore id accidat: ſic utique talis Reſpub. qualem deſcripſimus, átque quærimus exiſtere poterit.*

Reſponſio.

TVM *uerò, ſimulátque ab illo oſtenſum eſt, ſi quando talis Reſpub. contingat, oportere eius adminiſtratores ſapientes eſſe: inueſtigare incipit, quam ob cauſam eæ, quales nunc extant ciuitates, nihil philoſophorum, & ſapientũ opera adiuuentur. Dicitque idipſum duabus de cauſis accidere, quarum altera eſt, ex eo quod hæ ciuitates nolunt ueris philoſophis, ſapiẽtibuſq; credere, néque admonita eorum, reſpicere: uideatúrque illis inter ſapientes ipſos, & ciuitatum (quales nunc ſunt) ciues ſimile quiddam intercedere, quod inter peritum gubernatorem ſciẽtiæ nauigatoriæ peritum, ubiq; eam artem profitentem, átque offerentẽ, à nullo tamen, qui artis ipſius cupidus ſit receptum, átque imperitos alios nautas, qui artem quidem primùm ipſam doceri debere, uel poſſe negant: deinde átque arti ipſi tantum authoritatis, aut dignitatis adhiberi uolunt, ut eius author, átque profeſſor reliquorum nautarũ ſit princeps. Quin etiam inter eos, ſi fortè quis artem ipſam affirmauerit doceri debere, ei omnes graues ſunt, átque inimici, è nauique eum expellunt: is autem totius nauis gubernaculis admouetur, ac præeſt, qui ab illis omnibus de nauigandi ratione non diſcrepat. Idqúe, uel*

Cur aliquæ ciuitates nihil adiuuãtur à philoſophis.

Similitudo Pulchra.

uel inuitis reliquis nauigatoribus nonnunquam, uel alio quouis pacto, ut principatus, et iniri, et aripi ſolent. Sicque cum is nauis totius gubernator magiſterque effectus ſit, inter illos ſimilis erroris, átque imperitiæ uiros, nunquam à ueri rectoris, gubernatoriſque officio diſceßiſſe aduertetur, imò in eius odium quandóque deuenient. Simile quidem ſapientibus, cum harum ciuitatum habitatoribus accidit.

Alia ſimilitudo.

Nec ſe in comparatione illorum ſapientes, aliter quam medici ad ægrotos habent, qui néque medicinam artem ſanandi eſſe putant, & ea ipſa de cauſa medicos reſpuunt: ipſiſq́; aſſeuerantibus ſanitatem reſtitui poſſe, ipſos lapidibus uulnerare attentant. Quare cuiúſque medici actio nulla perficitur, ac finem ſuum habet, donec totum ſe ægrotus fidei medici committat: quin potius, qui aduerſa eſt ualetudine, ad medicorum fores (ut inquit) neceſſariò ſe cōfert. Par, inquam, eſt philoſophorum ad eos, qui nunc ſunt ciues, comparatio. Et hæc prior cauſa eſt, quamobrem his temporibus ſapientes nulli reliquis ciuibus uſui ſint.

Altera cauſa exponitur.

Altera uerò, quoniam ex his, qui ſe ad philoſophiam conferunt plurimi; pauci ſunt, átque peruerſi admodum. Quod ipſum accidit, ſi qua ex his uirtutibus quæ ſuperius ſunt uero ſapienti attributæ defecerit. Neq́; id mirū, præſertim cū raro inueniri poßit, qui harū omnium numerum impleuerit:

Cur pauci philoſophi boni.

Ac ſi quādo talē inueniri contingat, non ſit adeò promptum, ut hanc ſcientiam, hoc eſt philoſophiam perfectè aſſequatur. Illæ ſiquidem omnes enumeratæ uirtutes magna ex parte philoſophiæ officiūt, illorum maximè, qui noſtris in ciuitatibus nati ſunt: idémque patiuntur, quod plurimi ægroti, quibus morbus ipſe ex optimis cibis aggrauatur, cumulatúrque:

Similitudo.

idquè, quod ſeminarijs egregiarum plantarum accidit, quæ cum in locum incidunt minimè ſibi congruentem, nec alimentum naturæ ſuæ aptum ſufficitur, in peßimum plantarum genus degenerant. Simile ergò eſt in his probis, generoſiſq́; ingenijs, ſi in noſtris ciuitatibus educentur, & inſtituātur iuſta, legitimáque eruditione. Nihil enim aliud cauſa ſit maximorum malorum ipſis in ciuitatibus: quandoquidem néque pigra, torpeſcénſque natura, néque puſillus, ac debilis animus, magnum aliquid, & grande adoriatur, præſertimque qui temperantiam non obtinuerit. Talique ex genere ſunt noſtrarum ciuitatum Principes, ficti quidem illi, átque ſimulati, qui honeſta omnia, ut ſcientiam, & reliqua id genus uituperent, ciuilèſque diſciplinas, quotquot ſunt, damnant, turpia omnia extollunt: quorum dominium Reipub. peſtilentißimum, cauſa eſt præcipua afflictæ ſcientiæ, et eruditionis, luminiſque illius extincti. Et genus quidem hoc, ſi exactè indagaueris, hominum, in his ciuitatibus frequentißimum occurret: quorum, quicunq́; ſæuitiam euaſerit, hunc D E O propitio uſum fuiſſe, diuináque cura ita ab æterno præſtituta, átque protectione dici poteſt.

Præter philoſophiæ ſtudium requirit etiā alias uirtutes.

Quotquot autem in ſtudium philoſophiæ ſe dabunt, nec ſuperioribus illis uirtutibus conſummabuntur: eos manifeſtum eſt non tantùm ciuitatibus eſſe inutiles, uerùm etiam ſapientiæ ipſi non parum obeſſe: utpote, cum frequentißimè accidat, ut tales uiri ad uoluptates, & turpia omnia, ad rapinas, ad fraudes uota ſe inclinatione conferant. Quandoquidem nullam ipſi per ſe uirtutem obtinent, quæ eos ab huiuſmodi inhoneſtis rebus contineat. Sed néque ſermonibus

ſunt

ſunt ueraces, quibus, dum ciuibus auferunt ſua, atq; rapiunt, ad incutiendum timorem utuntur. Sic itaq; philoſophiæ opprobrio ſunt, neq; non maximè ijs officiunt, qui ad eam ipſam parati ſunt, atq; idonei: uelut hac noſtra ætate accidit perfrequenter. Quod, ſi fortè contingat Philoſophum in huiuſmodi ciuitatibus uerum, perfectumq; educari, ei non abſimilis erit, qui inter feras rapaces, atq; ſanguinarias moram traxit: Qui equidem, ut non cogitur inuitus eſſe, cum illis ferociſsimis beſtijs nocens, ita in tuto ipſe non eſt, quo minus ſontes illæ feræ in illum irruant. Itaq; ad diuerſum uitæ inſtitutum ſe referet: nempe ut in ſolitudine uiuat potius, ac ſic fruſtratus ſit præſtantia uirtutis ſuæ, atq; perfectione, quam certè in ea ciuitate, quæ à nobis rationibus deſcripta eſt, nanciſci potuiſſet.

Quinam ſit dedecori ipſi philoſophiæ.

Similitudo.

TVM *ex quo probauit rationibus, cuius Philoſophus naturæ eſſe debeat, cui ſimplex Philoſophi nomen conueniat, dicitq; nullam uiam eſſe, qua Reſp. ſalua eſſe poßit, niſi uiris huiuſcemodi imperantibus, & oſtendit cauſam, ob quam talis Reſpub. inuentu difficilis ſit, tum quo modo contingat, naturam hanc Philoſophi nociuam eſſe per accidens. Sequitur nunc locus ipſe, in quo diſputandum ſit de eruditione huius generis hominum inter reliqua, quæ in ciuitate ſunt. Hoc autem genus principum eſt, quorum non poteſt iniri ratio, neq; erudiendi, neq; educandi, niſi finis ipſe in aperto ſit, ob quem humano generi adminiſtratione horum opus ſit: quem certè nobis imprimis, & inueſtigari, & ſciri oportere par eſt. Sic enim & ſingulorum quorumq;, quibus erudiri quisq;, atq; inſtitui debet, ſermo fieri poterit. Nam incognito fine, haud quaquam eius rei neceßitas, quæ ad finem perducit, cognoſcetur. Cuius rei inueſtigatio, etſi ad primam huius ſcientiæ partem maximè pertinebat, nihilominus abſonum non ſit, ea de re hic aliquid diſſerere. Sic igitur dicamus, Hominem, quum res quædam ſit naturalis, neceſſarium eſſe finem habere, gratia cuius eſt: ſi quidem quicquid naturaliter eſt, ſuum habeat finem, ut eſt in naturali ſcientia expoſitum: imprimisq; id homini ipſum conuenit, ut reliquis rebus præſtantior eſt, atq; nobilior. Cumq; homini, uelut à neceßitate inſitũ ſit ut in ciuitate uiuat, ideò qua ratione ciuitatis pars eſt quædam, præſtitutum ſibi finem habet: neq; quenquam fallere poteſt, finem hunc, cum certè unius rei ſit, unum quoq; eſſe oportere: ſiue ſpecie id intelligatur, ita ut à ſingulis percipiatur, ſicut in illo uidere eſt fine, qui numero unus eſt: ſiue ratione, uel, ut Græci uocant analogia, quæ gradus quoſdã habet eſt, quibus prius quiddam eſt, & poſterius dignitate: ſiue attributione, et reſpectu quodam, ac relatione multorum ad unum: ueluti ſi complures perfectiones unius alicuius gratia ſint, & nonnullæ ob nonnullas alias. Sic enim res multæ una fiunt quodammodo, alioquin humani fines plures eſſent. Et ſi humanæ perfectiones hac ratione plures ſint, poßintq; uniuerſæ in ſingulis quibusq; inueniri: conſequens erit, ut unuſquisq; ſui gratia ſit: eſſentq; in ciuitate ea ratione non plures ordines uno, id quod fortaſſe non poteſt fieri. Si uerò uel omnes, uel plures, non ab omnibus, ſed ab aliqua tantum parte acquiri poßint, in reliquis uerò deficiet natura, quum eis ſuarum perfectionum finem denegauerit: tunc poſterius*

Propoſitio dicẽdorum.

De inſtitutione principum ciuitatis.

Finis cuius gratia hominis.

Vnus et ſimplex finis cuius gratia debere eſſe probatur.

Non omnes perfectiões ab omnibus parari poſſunt.

hoc

Analogia cũ gradibus perfectionũ animæ.

hoc genus aptum eſt, quaſi alieno dominio ſubijci, prius illud, & excellentius ad dominandum quidem aptum, & idoneum. Iſtorum ſiquidem inter ſe ratio, atq; dignitas ſimilis eſt gradibus perfectionum, quæ humana in anima inſunt, ueluti cum aliæ ſint aliarum cauſa. At uerò quæ poſſunt de humano fine à mortalibus conſiderari penitus finita eſſe oportet; & nos quidem hac in parte id exponemus, quod noſtra tempeſtate propalatum maximè ſit.

Opinio nõnullorum de fine.

DICIMVS ergò finem (ut quorundam fert opinio) nihil eſſe aliud, quàm ut unuſquiſq; in ſui corporis ſalubritate, atq; integritate, nec non ſenſoriorum tutela ſummum conſtituat bonum. Huiuſmodi mortalium ſi quis in unum conuentus fiat, neceßitatis quidem gratia ille cogetur: neq; illis alius eſt finis propoſitus, quàm neceßitatis.

Aliorum opinio.

ALII autem ita exiſtimant, neminem quidem ſibi deeſſe debere, ac res ſuæ uitæ neceſſarias negligere, uerũtamen finem illuſtriorem, ac maiorem, quàm ſi neceßitatem tantummodò ſpectaret, omnino habere. Idq; in rebus naturæ permultis perſpicere eſt. Viſus ſiquidem non homini ad neceßitatem, uerùm ad præſidium. Contrarium de tactu eſt, neq; enim ullum eſt animans, quod ſenſus eius expers ſit. Præterea tamen qui de humano fine in hunc modum arbitrati ſunt, dißident inter ſe quam maximè: utpote cum ex his alij in diuitias, alij in gloriam, alij in uoluptates humanarum rerum finem conferunt. Ex quibus qui uoluptates aſſerunt, inter ſe bifariam diuiduntur. Nonnulli enim ex his ipſis corporeas uoluptates, ſenſoriasq; finem eſſe autumauerunt: qui ſanè ſuperiori illi primæ ſententiæ proximè accedere uidentur. Alteri in intelligendi delectatione felicitatem conſtituerunt. Præter hos etiam omnes alij ſummum bonum in imperio conſtituerunt, ita ſanè, ut alijs imperarent, atq; dominarentur: tumq; delectabilia omnia rerum omnium genera, tum diuitiarum, tum gloriæ, tum reliquorum etiam, quæ ipſi apud ſe magni eſſe exiſtimant, ſibi uendicent. Leges uerò noſtræ, quæ his temporibus uigent, de ea re quid ſentiant, DEVS ſcit, uerum id ſola Prophetia ſciri poteſt. Quod quidem ſi leges inſpexeris, facilè apparebit, duplicem hunc eſſe finem. Alterum ſi quidem ex rerum à materia liberatarum ſcientia eſſe: Alterum in rerum humanarum actione exiſtere, qui ipſe ad mores, de quibus leges ipſæ admonent pertinet, ſicq; idem & legi, & philoſophiæ, genere, atq; tractatione propoſitum erit: ob idq; non deſunt, qui opinati fuerint, leges ex antiqua ſapientia emanaſſe. Omnibus ergò ex ſuperioribus ſententijs facilè poßit colligi, bonum, ac malum, utile, atq; nociuum, honeſtum, turpe eſſe non ex ſuppoſitione, ſed ex natura certum quiddam. Quandoquidem quicquid ad finem perducit, id quidem & pulchrum, et bonum eſt: Quicquid autem à fine intercludit, aut auertit, malum, & turpe. Nec aliud uidetur eſſe quod eæ religiones agunt, curantq;, in hisq; noſtra imprimis: quin etiam non pauci ex his, qui regiones noſtras incolunt id ipſum de noſtra lege ſentiunt. At uerò Theologi noſtri, qui loquentum (ut uocant) ſectam imitantur, ex ipſa religionis contemplatione ducti ſunt credere, quod id, quod DEVS uelut nullam habet præfixam, ac determinatam naturam: & ſic nihil eſſe, quod non ad diuinam

Exemplũ à ſenſibus. *Aliorũ opinio de uoluptate.* *Item aliorum de imperio.* *Omne quod ad finẽ perducit, eſt bonum & è cõtrario.*

uinam uoluntatem, & arbitrium redigatur. At eo modo, neq; honeſtum quicquam, neq; turpe niſi ex poſitione, atq; arbitrio quodam dici poterit: ampliusq; eo modo finis humanus nullus erit, niſi ſola poſitione.

Finis humanus poſitione.

Id autem adducti ſunt ut crederent, conantes ea, quæ in lege DEO *aßignari, atq; attribui uiderant, defendere atq; ſeruare, ut quod de eo dicitur poſſe omnia, uelle omnia, uoluntatẽq; putent diuinam ad omnia ferri poſſe. Quod cum per ſingula currat, feraturq;, omnia igitur hoc modo poßibilia ſint. Sæpißime autem ſolet idem in contemplatione legis euenire, ut uidelicet primùm quæcũq;* DEO *aſcribuntur enumerent: deinde ſtudeant, ut in re ipſa ea omnia comprobentur, ac reſpondeant, præter ullam huiuſmodi attributorum poſitionis confuſionem, et offendiculũ. Enimuerò non ſine maxima perplexitate dubium illud diſſoluent, idq; etiam, ſi quæ imaginantur, ſibiq; affingunt ex eorum ſententia, in lege clara, manifeſtaq; eſſent. Sed ipſi ex hac opinione in errorem, atq; hallucinationem maximam inciderunt, maximéq; ab humana natura adhorrentem: Quin etiam abſurdum uideri poßit, legem aliquam ea de re commemorare. Et de humano quidem fine, quæ hominis eſt beatitudo, eæ ſunt uulgares, magisq; tritæ opiniones: quæ ipſæ apertius falſæ ſunt, quàm ut id ulterius declaretur. Philoſophorum uerò ſententias tunc exequendi locus erit, cum ad id, quod inter ſe diſceptant, rationibus indagandum peruenerimus. Eſt enim eorum inter ſe controuerſia, de parte animæ, quæ rationem continet: Nunc igitur ad eum ſermonem, undè digreßi ſumus reuertamur, deq; uero fine diſſeramus; ſi tamen prius à naturali philoſopho id, quod conueniet repetierimus, ac receperimus: Sic tandem enim adipiſcemur facilius, quod ex hac ipſa ſcientia elici poteſt.*

De uero fine.

Sic ergo dicimus, huius artis ciuilis profeſſorem cum naturali philoſopho, hac in quæſtione ſentire. Nam & de fine (qui naturalis corporis perfectio, ſeu actus eſt) ipſe naturalis philoſophus diſputat, eamq; ipſam alijs perfectionibus comparat, & cõfert, ſi plures in eo animaduertat ineſſe.

Conuenientia politici cũ naturali philoſopho, circa declarationem finis.

Enimuerò cum ex humanis perfectionibus nihil planè natura, niſi præparationes exhibeat, uel principia quædam, ad illas facilè aſſequendas. Sic igitur cum illas nec perfectè, nec integrè natura præſtet, ſi non & uoluntas, & electio animi, atqué diligentia adhibeatur: ex eo ſcientiæ ciuilis profeſſor non ab re de fine humano pertractat, ſcilicet quatenus electio, conſiliúmque animi, atqué uoluntas eum ipſum finem efficiunt. Inſuper cum in naturæ ſcientia iam ſit probatum abundè, hominem ipſum ex corpore conſtare, & anima: eámque eſſe corporis ad animam rationem, quæ materiæ ad formam: atque è contrario animæ ad corpus, qualem formæ ad materiam: ipſámque materiam eſſe formæ gratia, formam præterea gratia actionum ab ea prouenientium, atque affectionum. Humana igitur perfectio, humanúsque finis, ex illius actionibus operibúsque dependet. Inibique ſatis præterea demõſtratum actionum humanarum nonnullas, & hominibus & rebus cæteris, tum ſimplicibus, tum compoſitis communes eſſe, quas ſanè quidem ex communibus formis neceſſarium eſt produci:

Actiones cõmunes.

Nonnullas uerò proprias, quæ ſine controuerſia proprijs ex formis, ſiue una, ſiue pluribus inſunt. Ampliúsque illic monſtra-

Actiones peculiares.

Suppoſitiones ex phyſicis, & libris de anima.

tum, ſimplicia corpora, quod habent cum homine commune, id potentiæ eſt, ac momenti cuiuſdam ad hoc uel illud inclinantis. Quæ certè inclinatio ex tali potentia coorta, atque in hanc formam inducta, néque anima eſt, néque ipſius animæ actiones. Illic etiam nunc expoſitum eſt, quomodo neceſſariò homo id, quod habet cum corporibus compoſitis commune, ſit ipſa anima: Súntque talia corpora bifariam diuiſa, nempe aut in plantarum genus, aut in animantium. Stirpes autem, herbæ, plantæ, uegetatiuam, nutritiuam, generatiuámque uim animæ: animantia uerò, ſentiendi, & imaginandi facultates cum homine communicant. In concupiſcentia uerò, partim cum homine conueniunt, partim ab eo

Rationis diuiſio.

ipſo diſcrepant. Homini uerò nemo ambigit uim rationis neceſſariò propriam eſſe: Rationis autem potentiam in duo diuidi, in rationem ſcilicet, quam actiuam, ſeu practicam: & in contemplatiuam, quam ſcientiæ eſſe dicunt. Illic inſuper oſtenſum eſt, formas illas communes ad has proprias, ac præcipuas eam ſeruare rationem, ac proportionem, quam materia ad formam, & hominem quidem ob propriam formam ſuam eſſe. Similiterq; de unaquaque re dicendum, ex propria forma ſua eſſe id, quod eſt, ex eáque proprias actiones exire. Verum enimuerò, cum & bonum, & malum aliqua in re ita inueniantur, ut

Similitudo.

in eodem actionis genere conſiſtant, quemadmodum ipſa in pulſatione chordarum ſonus, & bonus, & malus dignoſcitur: ipſiusq; actionis laus in homine, atq;

Ex actione laus et probrum.

uituperium, propriæ quidem actionis, non alterius cuiuſquam intelligitur. Sicq; humanus finis, humanaq; felicitas in hoc tota uerſatur, ut operationes propriæ, in eo ipſo ſint maximopere bonæ, & probæ: atq; ideo definita eſt felicitas, ut

Definitio felicitatis.

animæ actus ſit rationalis, cum uirtute coniunctus. At quoniam rationalis quoq; animæ partes, ut ibidem monſtratum eſt, ſunt duæ, idcirco & uirtutes non una ſunt ſpecie, nec ipſæ perfectiones etiam. Et rationalem quidem ipſam bipartitã eſſe ibidem oſtenſum eſt, quippe in actiuam, ſeu practicam (ut paulò ante dice-

Triplex eſt pfectio, alia contemplatiua, alia actiua, alia ex arte.

bamus) & in contemplatiuam: conſequens ergò eſt perfectiones ipſas, alias contemplatiuas quoq;, alias actiuas, ſeu practicas eſſe. Verùm cum concupiſcibilis, ſeu cupiditas, pars etiã ipſa ſit animæ, uideturq; illa in homine excitari, et concupiſcere, prout ipſa contemplatiua præcipit, ac ei maximè adhæret: ex quo ſequitur etiam partem illam cupiditatis, ad rationalem ob hanc cauſam attinere. Quocirca perfectiones ipſas trium generum eſſe apparebit, uidelicet contẽplatiuas, præterea morales uirtutes, & poſtremò artes ipſas effectrices, ſeu operarias. Quæ etiam ipſæ bifariam diuiduntur. Alterum enim eſt genus earum, quæ ut munus ſuum in propoſita materia exequantur nulla re alia indigẽt, quàm ſcientia, et cognitione præceptorum uniuerſæ artis. Alterum quod ad agẽ-

Artium differentiæ.

Hũc locum ſumpſit Ariſt. lib. 1. Politic.

dum alia quadam uirtute aduentitia, & coniectura præter hæc uniuerſalia præcepta indiget, ut ſingula elaborentur, atq; efficiantur ipſa ex arte, additis præterea temporis, loci, aliorumq; ſimilium circũſtantijs. Quocirca hæc planè intellectus, ſeu rationis pars, ab altera omnino differt, & ſic utrobiq; differentes uirtutes. Quatuor ergò perfectionum, uirtutumq; genera ſunt, ſcilicet contẽplandi, excogitandi in artibus, atq; in eiſdem, quod excogitatum eſt opere exequendi,

quendi,ac morum. Ex quibus quoq; manifeſtum eſt,humanas uirtutes plures eſſe. Quæ cum unius rei perfectiones ſint, neceſſe eſt alias propter alias eſſe,ſeu eas ipſas uniuerſas in ſingulis inueniri par ſit, ſiue in aliquibus tantùm: At ſingulis quidem mortalibus uniuerſæ comprehendi non poſſunt, uerùm poſſunt earum nonnullæ in aliquo, & illo quidem diuino hominum genere inueniri. Verùm ex moralibus uirtutibus nonnullæ poſſunt eſſe omnibus communes, inter quas eſt temperantia: & quidem propterea hominum genera ex uirtutum generibus digerenda ſunt,ut inferius,minusq; perfectum præſtantioris gratia ſit. Nam qua ratione uirtutum ordo in unico homine diſtinctus eſt,atq; diſpoſitus, eadem in multis quoq; hominibus diſponetur. Quod quidem ei rationi conſentaneum eſt, quæ homines multos omnibus uirtutibus præditos ad meliorem humanitatis conditionem, coire in unum coëgit. Nam ſi ſinguli adipiſci potuiſſent uniuerſas uirtutes, non ſolùm oporteret, ut unuſquisq; in ſeipſo, & imperantem haberet, & obſequentem conditionem, & uelut dominum,& ſeruum: ſed & ipſa natura aliquid ſuperuacaneum feciſſet, cum omnes ad dominandum parati, aptiq; eſſent:id quod ſanè eſſe nequit. Neceſſe enim eſt dominum non carere ſeruo, qui dominium admittat, atq; obſequatur. Et perfectiones eæ uniuerſæ, ut uno in homine aggregentur, id admodum difficile eſt, nec niſi portento quodam, prodigioq; fit. Contingit uerò frequentiſſimè, ut aliud ad alias uirtutes genus hominum aptum ſit, atq; aſpiret: idq; facilè patebit,ſi in ſingulorum naturam intueamur.

Vniuerſæ perfectiões nõ inueniũtur in uno homine, ſed omnes in omnibus.

Hũc locum ſumpſit ex Platone Ariſtot. lib. 1. Politicorũ.

POSTEAQVAM *quid humanæ perfectiones,quid animi uirtutes eſſent dictum eſt, declaratum etiam eſt, aliis aliarum gratia uirtutes, & uideri, & eſſe, adeò ut una afferri poſſit, ad quam cæteræ omnes, ut ad finem dirigãtur, neq; ob aliam quamcũq; rem ſint, ipſa autẽ illa propter ſeipſam, non propter aliam: eaq; perfectio ſumma hominis, atq; ſuprema felicitas, de qua nobis propoſita eſt inquiſitio. Dicendum ergò imprimis eſt, Artificia ob neceſſitatem primùm inuenta fuiſſe, propter inopiam ſcilicet, quæ in ſtatu humano ineſt: nec commodè tamen homo citra illas, aut uiuere, aut agere poſſit, nihilo ſecius quàm non potuerũt infinita propè animantia ſine proprijs quibuſdam, & habitibus & affectibus naturalibus, nec non operibus reperiri: quemadmodum figuræ illæ ſexangulares, & fauos ſtruentibus apibus, & texentibus araneis, familiares ſunt. Et uerò illa ſpeculandi pars, uidetur equidem ex naturæ diſciplina intuentibus, homini non ineſſe propter neceſſitatem, ſed melioris cuiuſdam conditionis, atq; auguſtioris ſtatus gratia: & quidem, quod in ipſo eſt huiuſmodi, ut propter excellentiam, atq; dignitatem inſit, præſtantius haud dubiè eſt, atq; dignius his omnibus,quæ neceſſitas, & indigentia inuenerunt. Pars igitur rationis, quæ effectrix, uel utiq; artifex eſt, ob ſpeculandi commoditatem eſt adinuenta: id quod res ipſa manifeſtiſſimè comprobat. Quis enim neſcit artes huiuſmodi, & opificia cauſa operum, in quibus uerſantur, eſſe adinuenta? ipſaq; opera, ob rerum uarietatem? ſed homo ipſe qua ratione his in artibus uerſatur, quaſi ſe alieno addicit,atq; qui ſuppeditant neceſſaria, ij re-*

Epilogus dictorum.

Felicitas ſumma expetitur propter ſeipſã.

Artes primum inuentæ propter inopiam.

Speculatio nõ propter neceſſitatẽ.

Hæc sũpſit Ariſt. lib. 1. Politicorũ.

uera domini ſunt: Non autem *propter aliud quis iure dominus eſt, quàm propter eum animi affectum, quo melior, ac præſtantior exiſtit eo, qui ſeruitutem admiſit. Affectus uerò ille, quo quis præſtat inter cæteros maximè, ea pars eſt animæ, quæ contemplatur, atq; ſpeculatur. Neq; aliter quàm hæc rationis pars cõtemplatiua, alteri actiuæ dominetur eadem in anima;* Dominus *quoq; erit, qui eſt ad ſcientias ſpeculatiuas paratus illi, cuius in ſuo ortu naturæ ſatisfactum eſt, ut artificij cuiuſdam tantummodò aptitudinem ſortitus ſit; & huiuſmodi quidem uiri natura ſerui ſunt, ac dominatui alieno obnoxij.* Eadem *eſt iſtarum inter ſe animæ partium ratio, quæ domini, atq; ſerui inter ipſos. Quanquam dubitari poſsit, qua de re omnes illæ artes, quæ in agenda re aliqua, aut facienda uerſantur, ad unam quãdam artem, uelut principem, quæ adminiſtrandæ* Reipub. *ars eſt, redigãtur, cum prius oſtenſum ſit, hanc ipſam artem ad ſpeculandum excogitatam eſſe.*

Sciẽtiæ ſpeculatiuæ præparant ad agendũ.

Sciẽtiæ igitur ſpeculatrices ad agendum præparant, iuuantq;. Neq; *ulla inter has ipſas, & artes, quæ agunt, efficiuntq; differentia eſt, quàm quod illæ effectrices artes inferiores ſuperioribus illis inſeruiunt, in ſuo adminiſtrando propoſito: ſpeculatiuæ uerò ſcientiæ illis etiam artibus authoritatem ac dominium præſtant, ad exitum, & finem ſuum adiuuantes, ac diſponentes, ueluti in reliquis artibus principibus, quæ inferioribus uim tribuunt, ducendo ad ſuum cuiuſq; finem: uelut agricultura quidem princeps, ac præcipua ad particularem ſibi ſubiectam ſe habet. Sic igitur ſpeculatiuarum ſcientiarum, & artium effectricium eædem eſſe uidentur partes: neq; ulla, niſi ex dignitate, & ignobilitate differentia eſſet.*

Reprehẽdit philoſophos tantũ ſpeculãtes.

In *qua ſententia non pauci noſtris tẽporibus philoſophi permanent, qui in his rebus contemplandis leuiter, atq; ocioſè uerſati ſunt, ſine ullo naturalis ſeriei reſpectu, ac artificioſæ doctrinæ conſideratione.* Nos *autem dicimus ſcientias ſpeculatrices contemplari quidem, idq; imprimis de natura philoſophiam, & de diuinis rebus, quam* Metaphyſicam *uocant.*

Opinio Auerrois de ſpeculatiuis ſecũdũ Peripatetic. aduerſus Platonẽ.

Nec *ſanè illæ, quæ contemplantur, ad operationem aliquam, aut actum referuntur, nec uoluntas quicquam ad ea conſtituenda proficit, aut ualet: idq; per ſe notum eſt, ei præſertim, qui in his ipſis ſcientijs exercitatus ſit. Si igitur nihil nos ad ſubiecti earum ſcientiarum ſtatum, atq; ſubſtantiam conferamus, cõſequens eſt eas ipſas non eſſe ad agendum paratas, aut operandum præcipuè.* Sed *neq; hominem per eas ipſas primo propoſito alij cuipiam inſeruire: inſunt illæ tamen homini propter melius, atq; præſtantius quiddam, cum alioqui ineſſe eas fruſtrà, aut temerè, eſſet perabſurdum. Sed ne eſſe quidem hoc pacto poſſent, & ex his quidem, quæ nunc dicturi ſumus, id manifeſtius apparebit.* Eſt *certè enim in prima philoſophia ſtatutum, res omnes bifariam partitas eſſe, ut aliæ ſenſu, aliæ intellectu comprehenderentur: idq; quod intellectu percipitur, principium quoddam eſſe ei rei, quæ ſenſibus eſt ſubiecta: finemq;, & formam, & cauſam effectricem, & ſi quid eius in ſcientijs ſpeculatiuis agitatur, in ipſo genere intelligendi contineri: propoſitumq; hominis, atq; inſtitutum, quatenus eſt ipſe res naturalis, ad illam intelligibilium rerum naturam, quoad poteſt, aſcendere laboret, & contendat.* Eoq; *intelligi poteſt, eandem eſſe rationem*

tionem huius naturæ humanæ intelligibilis, ad ea, quæ in homine ſunt, tum animæ, tum corporis, quæ eſt ipſius naturæ ſimpliciter intelligibilis ad eam, quæ ſenſibilis eſt. Eadem ſimiliter eſt ratio, & proportio ipſius naturæ intelligibilis, quatenus uoluntate acquiſita eſt, ad reliquas res uoluntarias omnino. Sic igitur dominatur quidem rebus uoluntarijs, quemadmodum & ipſa natura intelligibilis ipſi ſenſibili, rebusq; ex uoluntate noſtra pendentibus principia, quibus conſtent, præſtat: quemadmodum & ipſa intelligibilis natura ipſi ſenſibili eſſentiã, ac conſiſtentiã præſtat, non tamen ita, ut illa intelligibilis huic ſenſibili inſeruiat. Probatum iam eſt uerum, quod ita conſequens ſit, & uelut neceſſariò ſubſequatur. Scientiæ ergò ſpeculatiuæ non parum ad agendum iuuant, ac neceſſariæ ſunt ipſis rebus agendis eo modo, quo dictum eſt, naturam intelligibilem eſſe neceſſariam ipſi ſenſibili: huiusq; ipſius partis, quæ ad intelligendum parata eſt, principatus, in reliquas omnes partes Reipubl. nihil omnino differt, ab intelligibilis naturæ dominatu, quo ſenſibilibus rebus imperat. Ex dictis ergò uideri poteſt, artes ipſas actiuas, ſiue uires, & facultates quædam ſint, ſiue opificia quædam principalia, ac alijs præfecta, ſiue ſubminiſtrantia, et inſeruientia alijs, illas quidem omnes ob contemplatiuas ſcientias excogitatas eſſe, atq; inuentas. Nonnulli tamen de his agendi artibus contraria ſenſerunt his, quæ de ſpeculandi ſcientijs ſunt opinati: eorumq; ſententiam omnino deſtruunt, cum credant ipſi quicquid in his artibus intellectu tractatur, non præcipuo, ac primo propoſito ad ſua opera dirigi, uel propter illa inueniri, ſed talium omnium intentionem eſſe, res rectè diſcernere, & cognoſcere: & operationes, ac opera, ſeu operata, (ut aiũt) quæ ex huiuſcemodi artibus proueniunt, non ex primo propoſito, ſed ueluti quid conſequens ſint: ut in motu cœleſtium corporum perſpicuũ eſt. Itaq; hac ratione artes ipſæ operariæ, ſeu actiuæ eſſent omnino uirtutes. Quod quidem maximè de illis artibus ſuſpicandum eſſet, quæ ratione amplius utuntur: & propter illos habitus acquiſitos ex huiuſcemodi artibus, inducti ſunt, ut credant aliqui, eos qui in aliqua una harum artium uerſati ſunt, ita demum affectos eſſe, ut ſibi perſuadent rerum ſe omnium notitiam amplexos eſſe. Et certè quidem id uidemus in ſua arte medicis accidere. Quanquam uerum profectò eſt, in illis ipſis artibus ſiquid eſt intellectui referendum, id præcipuè ad actionem, & opus ipſum dirigi: in eisq;, ſi contingat aliquid contemplari, illud quidem non niſi per accidens fiet. Si igitur idipſum finem artis eſſe conſtituamus, is ipſe finis alterius profectò generis erit: ac nomen quidem, quo artes appellabuntur, æquiuocum erit, quale hoc in nomine Muſica, quiddam eſt. Dicitur enim quandoq; de arte ipſa, quæ in actu, atq; opere quodam exteriore conſiſtit: neq; non de ea quandoq;, quæ contemplatur, atq; ſpeculatur.

Analogia naturæ intelligibilis ad res uolũtarias. i. actiones.

Sciẽtiæ ſpeculatiuæ iuuãt actionem, quomodo, & quatenus.

Omnes artes ex ſpeculatiua ortæ.

Aliorum opinio de ſpeculatiuis ſcientijs.

In artibus contemplatio eſt per accidens.

Muſicæ nomen æquiuocum.

VIRTVTES *etiam num excogitatiuæ, atq; inuentiuæ manifeſtiſſimè ob contemplatiuas extitiſſe uidentur? ſiquidem ipſæ ſunt propter artes illas agendi, uel frequentius, uel præſtantius. Artes autem iſtæ (ut iam ſuprà diximus) ſunt propter ſpeculationem rerum inſtitutæ: neminem enim latet excogitatiuas illas ad rationem artium diuidi. Et quemadmodum una quædam ars ab-*

Virtutes inuentiuæ ex ſpeculatiuis extiterunt, itidẽ & artes omnes.

Politica ars primaria.

ſolutè princeps reliquarum artium exiſtit,ipſa autem eſt Reip.adminiſtrandæ: ita etiam reperitur uirtus quædam excogitatiua princeps: et illa quidem eſt,qua illius principis artis actiones in materias inueniuntur, & diriguntur.

Virtus excogitatiua primaria quæ.

AD HAEC, uirtutes morales uidentur quoq; propter intelligibilium ſpeculationem eſſe. Idq; primò ex eo, quod in ſcientia naturali declaratū fuit, præclarè oſtenditur: nempe concupiſcentiam, atq; appetitum in duo diuidi genera,quorum alterum ex imaginatione,alterum ex cogitatione,& ratione emanat. Quæ igitur concupiſcentia imaginaria eſt, impropria omnino eſt homini,ſed animantibus, quatenus ſunt tantùm animantia, propria quidem eſt. Poſterior autem, quam cogitatione, & ratiocinatione agi diximus, homini profectò propria eſt & ſua, neq; cuiquā alij quàm homini talis attribuitur.

Probat morales uirtutes etiā ex ſpeculatione ortas.

Neq; uirtutes morales quicquam aliud ſunt, quàm ut hæc pars concupiſcens quæ in nobis eſt, id cupiat quod ipſa cogitatio,atq; ratio fieri debere iudicauerit: necnon & modum, & tempus, atq; locum ipſa ſtatuerit, & præfixerit. Et planum quidem eſt ac manifeſtum, opus huiuſmodi à nulla alia animi parte procedere, quàm ab ipſa contemplatiua. Quocirca hæc pars concupiſcibilis, ſi dignitatem, ac uirtutem à ratione accipit, ratio propterea ipſa, dignitate, & uirtute inſignior apparebit, præſtantiorq; atq; electior. Hac uerò in parte non pauca cum homine animantia participant, ut in uerecundia Leo: quæ certè affectio humana eſt, quatenus à ratione,& cogitatione, ſeu opinione exiſtit.

Locus Topicus.

Etenim propter quod unumquodq; tale, & illud magis(ut aiunt). Porrò his uirtutibus homo inſtructus quodammodo ad inſeruiendum alijs uidebitur.

Morales uirtutes referri ad actionem.

Exempli gratia, Iuſtitia ipſa non niſi propter actiones exercetur: Temperantia, ob uoluptates, quæ honeſta,& egregia acta impediunt: Fortitudo, propter res formidabiles, ac moleſtantes: Liberalitas propter opes,& pecunias reperitur. At uerò ſcientia illa contemplatiua non inſtruit hominem, ut alijs ſubijciatur, & ſeruiat, neq; puto quenquam hoc latere. Superiores præterea omnes illæ uirtutes multò magis ad materiæ naturam ſpectant: nec poſſunt ſine corpore ipſo, ſineq; inſtrumentis, ac rebus exterioribus conſiſtere. Quis enim liberalis nūmis non indiget, ad ipſa liberalitatis officia exequenda? Quis item iuſtus, ijſdem ad iuſtitiæ ipſius munera non utitur? Fortis quoq; uigore, ac robore corporis indiget.

Scietias ſpeculatiuas remotas eſſe ab omni materia.

SCIENTIAE autem ſpeculatrices ſunt maximè à materiæ conſortio liberæ, atq; ſolutæ, ita certè, ut quoquomodo eas perpetuas eſſe oportere credatur. Et eſt quidem iam alibi oſtenſum, ea præſtantiſſima eſſe, quæ longiſſimè à materia abſunt.

Morales ſunt ueluti quidam gradus ad ſpeculatiuas ſcientias.

Verum enim genus hoc moralium uirtutum in comparatione facultatis ſpeculandi, atq; perfectionis, uelut primordium eſt quoddam, ac gradus neceſſarius ad finem obtinendum, ſine quo obtineri non poteſt: & ob hoc multis uidetur, huiuſcemodi perfectionem eſſe finem remotum, cum ſit remotæ illi perfectioni proxima. Ex his ergò, quæ diximus, clarum eſſe poteſt, humanas uirtutes quatuor generibus contineri, quibus certè finis, propter quē ſunt, eſt ipſa contemplatio. At uerò an morales uirtutes ſint ob actiuas illas artes,

artes, an è diuerſo, an pars uirtutum illarum propter artes, rurſumq; pars artium propter uirtutes, hoc quidem inueſtigatione indignum non ſit. Verùm nemo ambigit, quin uirtus illa inter omnes morales princeps, ſit neceſſariò ui excogitatiuæ ſeu induſtriæ principi adiuncta: & ſi uirtus illa princeps, eam habeat rationem ad uim excogitandi principem, quam potentia ſeu uis ipſa excogitandi ad artem principem, erit profectò & illa propter iſtam artem principem: idemq; fiet in reliquis artibus non habentibus aliquod genus huius uirtutis. Hac enim ratione, & reſpectu ſe habebit ad illas artes practicas, ueluti præparamentum, & præludium: & licet per eas illæ acquirantur, id quidem non fit niſi, ut eiuſmodi artis actio perfectior, & laudabilior reddatur. Et hoc ex ſeſe ſatis perſpicuũ eſt. At uerò utrũcunq; ſit, ſeu illæ artes propter uirtutes, ſeu uirtutes propter artes, utraq; ſimul contemplatiuæ facultatis gratia ſunt.

Quæſtio an morales inſeruiant artibus an è contrario.

Quodq; de ratione, ac comparatione iſtarum perfectionum humanarum inter ſe diximus, conſtat citra ullam controuerſiam apud Peripateticos. At quoniam hæc ſpeculandi pars non ineſt nobis ſtatim à uitæ initio in ſua ultima perfectione, & actu, imò potẽtia nobis ineſt: & in naturali ſciẽtia iã declaratũ eſt, omnia quæcũq; habent ſuæ eſſentiæ mixtã, adiunctãq; potentiã, ea tũ ſummè perfici, cũ citra potentiã illã penitus actus ille ſyncerus reperitur. Eiuſmodi uerò, & perfectionẽ, & actũ adſciſcere, noſtri quidẽ arbitrij, ac officij eſt. Siquidem idipſum electione maximè, & uoluptate cõparatur, quod natura minime nobis ſua ſponte elargiri ualet. Hæc igitur perfectio, ad quam totis uiribus contendimus, & cum qua uniti maximè perficimur, quidnam ſit quærendum eſt: utrum ſcilicet ſit aliquid ſcientiarum ſpeculatiuarum, an iis aliqua dignitas præſtantior per illas: & ſi nihil illarum ſit, utrum illud in nobis ipſis exiſtat, an quod extra nos per ſeipſum conſtet.

Quæ dicta ſunt ab Auerroe hactenus à Peripateticis ẽe ſumpta.

Perfectio ſumma non natura nobis datur, ſed per electionem noſtram paratur.

A D *quam ſanè quæſtionem aſſumendum eſt, quòd qui putat ſpeculatrices ſcientias illas quidem æternas, & nobis actu ineſſe, humiditatis uerò cuiuſdam puerilis caligine immergi: qui ſic ergo opinatur, uidetur quidem ipſe accipere eas ipſas quodammodo habere eſſe in potentia, ſiue fuerint illæ formæ ſeparatæ, quas* Plato *poſuit, ſiue hoc qualecunq; eſt, ſit intellectus agens, aut quiuis alius dignitate iſto inferior: planumq; eſſe poteſt, humanam perfectionem hoc modo, etſi non uoluntate acquiri, cum iam ipſa ante uoluntatem inſit homini, uoluntatem tamen nihilominus habere in eius perfectionis definitione locum: quo pacto definitionem quòque ipſa ſummarum quarũq; perfectionum ingreditur, ſecundum quem modum præludium ingreditur definitionem finis. Et ſi dicatur quidem id, quod uoluntate nos adipiſcimur, ſcilicet quod acquirimus de perfectionibus illis ultimis, quantum natura nobis comparare conceſſit, talem perfectionem nos acquirere ea ratione, ac reſpectu, propter quem ſumus quicquid ſumus. Scire quidem debes, quod ſi huiuſcemodi habitus ad uoluntatem referatur, eamq; admittat, aliter hic quàm illic uoluntatem accipi debere: cum ipſa uoluntas non ingrediatur in rationem, ſeu naturam eius, quod ſubſtantiam noſtram, atq; eſſentiam præſtat, facit tamen ipſa uoluntas ad eam rationem,*

Quæſtio, quæ ſit ultima perfectio.

An ex ſpeculatiuis uel ex alia, & An inſit nobis actu impedita tamen.

Variæ opiniones. *qua intellectus agens eſt nobis perfectio. Eis uerò, qui ſpeculatiuas ſcientias non æternas eſſe putant, uerùm cenſent eas eſſe ſummam, ac ultimam perfectionem, uidebitur certè ipſammet perfectionem humanam uoluntatem præſtare.*

E t uerò, qui illas ipſas ſcientias ſpeculatrices æternas eſſe non credunt, ſed humanam perfectionem eſſe cognitionem intelligentiarum ſeparatarum à materia, ijs quidem duplex perfectionis genus ſtatuendum eſt. Nempe ut & prima, & ultima ſit: & prima quidem ſeipſam adipiſcatur, ſecunda uerò adiumento quodam, atq; aliena ope comparetur. Sed qui hoc exquiſitè ſcire cupit, ad naturæ ſcientiam ſe conferre oportet. Redeamus igitur unde ſumus digreſſi, procedamusq; in tractatione eorum, quæ Plato de principis eruditione diſſeruit. Plato itaq; genus hoc hominum, ut ſunt ſcientes & intelligentes, uulgo Redit ad rē poſt lōgam digreſsionē. *imperito, atq; rudi comparat: dicitq; uulgus ſimile eſſe his, qui à pueris in ſpecu educati, nunquāq; egreſsi ſunt, nihilominus aſpicere ipſi ſatagunt, quicquid in ſpelunca appareat, nunquàm tamen faciem ad ingreſſum ſpeluncæ conuertunt: & in illo ingreſſu ſunt imagines omnium generum animantium, ſeu ſtatuæ: à tergo etiam earum eſt ignis, ita ut ex illis ſtatuis nihil aliud quàm umbras in cōcauo ſpeluncæ repræſentatas ex aduerſo illi cernere poſsint: & certè rerum omnium nihil præter umbram percipere poterunt, quæ ſe illis aduerſa in ſpelunca obtulit, opinabunturq; præterea res ueras ab umbris nihil omnino differen-* Declaratio Antri Platonici. *tes eſſe, atq; id de uulgo ipſo dictū. Sapiētes uerò ij ſunt, qui illo ex antro egreſſi in uero lumine, atq; fulgore uerſati ſunt, uerè res ipſas ad ſolis ſplendorem, atq; lucem inſpicientes. Tum quemadmodum nemo ſtatim quàm eſt à ſpelunca* Similitudo pulchra. *illa egreſſus, ſi ſe uerò lumini, atq; ſoli offerat, poſsit eum inſuetum ſplendorem ſuſtinere, atq; intueri quicquam: ſic homines huiuſcemodi, qui ſunt ad ſapientiam parati ſe habebunt, ſi protinus conentur aggredi ad contemplanda ea, quæ intellectu à materia ægrè abſtrahuntur, ſimpliciaq; inſpiciuntur. Verùm ſedulò danda eſt opera, ut illi ſenſim rebus intuendis luminibus aſſueſcant: pri-* A quibus diſciplinis primum ordiēdum. *mumq; lunæ, aliarumq; ſtellarum radijs committantur, & tandem, uelut per gradus ad ſolis intuitum comparentur, resq; tandem clariſsimè dijudicent. Eodemq; modo paulatim philoſophi inſtituendi, atq; effingendi ſunt: ab hisq; eruditionis primordium ducendum, quæ facilè ipſi perdiſcere poſſunt. Cumq; Pla-* Arithmetica. *to inueſtigauiſſet, quæ illis primùm ſcientia maximè accommodata erat, eam certè numerorum notitiam eſſe uoluit. Nam illi, iam ſimul cum cuſtodum libe-* Per Muſicā itellige poēticam. *ris, à pueritia muſica, atq; gymnaſtica inſtituti ſint. Atq; gymnaſtica ipſa ad corpus certè magis attinet, muſica uerò, quæ illis traditur, ea quidem eſt, quæ fabulis utitur: quæ certè non poteſt tantum efficere, ut poſsit intellectum ſciē-* Mathematicæ ſcientiæ præbent intellectū ad ſpeculatiuas ſciētias. *tiarum contemplatiuarum alicui præſtare, & tradere. Hæc autem numerandi ſcientia inter contemplandi facultates omnino enumerari debet, & eſt doctrinarum certè omnium facilima: & huius rationis ſunt aliæ mathematicæ diſciplinæ, illæ autem ſunt, Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, Muſicaq;. Inter has autem etiam ipſas facilitate eſt Arithmetica princeps, cum maximè nuda ſit, atq; libera à materia. Eſt ergò ipſa Arithmetica illis reliquis facilior, ad cunctasq;*

Ordo Mathematicarũ ſcientiarum.

ad cunctaq́; res magis communicans: ſecundo autem loco Geometria, deinde Aſtronomia, poſtremo uerò loco Muſica ſuccedit. Neq; uero fallere quenquam debet, eas ipſas ſcientias ante omnia à ſapientibus diſci debere, exercitationis, atq; aſſuefactionis cauſa. Nam earum intelligibilia, ut plurimùm non ſunt intenta, & propoſita à natura, & ideo tractatur in eis de infinito. Tandem earum intelligibilia ſunt omnino imperfecta, cum non in ſuis proprijs ſubiectis deprehendantur, ſed imaginatione quadam, ac fictione concipiuntur. Ob idq; bifariam Plato rerum intellectum partitus eſt, ac priorem ſanè ualidum ipſum, atq; potentem, intelligentiam appellat earum rerum quæ ueræ ſunt: ſecundum uerò cognitionem nominat, quæ eſt ſimulachrorum, imaginumq; rerum exiſtentium intelligentia ſeu intellectus: atq; ea ipſa notitia ſcientias illas mathematicas complectitur: putatq; ipſe ſimilem quandam rationem eſſe intellectui rerum cum ſenſu. Nam quemadmodum ex ſenſilibus nonnulla per ſuam eſſentiam nonnulla per ſimulachra (ſeu phantaſmata) & ſpecies apprehenduntur: multorum ſiquidem umbras, atq; ſimulachra, ſiue colores aſſequimur ſenſu tantummodo. Eadem quidem eſt in intelligibilibus ratio.

Cur diſcẽdæ Mathematicæ.

Porrò, cum ipſarum mathematicarum ſcibilia (ut diximus) ſint infinita, earumq́; ſubiecta quoq; ignota, de quibus quidem primus contemplatur Philoſophus (qui metaphyſicus nuncupatur): idcirco Plato eas minore dignitate cenſet, ad præſtandam humanam perfectionem, quàm cæteras ſpeculandi ſcientias: dicitq; earum principia incognita eſſe, fines etiamnum incognitos, atq; conſequenter, quæ inter principia, & finem intercedunt eſſe ignota. Cum igitur mathematicæ ſcientiæ nō primo propoſito, nec per ſe ad humanam perfectionem excogitatæ ſint, ut naturalis, & ſupernaturalis ſcientia: quanquam hoc in genere etiam mathematicæ illæ inter ſe differunt, ut in his uidere eſt mathematicis, à quibus duæ illæ, phyſica ſcilicet, & metaphyſica ſcientia, aliqua principia ad ſuam contẽplationem mutuantur, ueluti hæc diuina ſcientia ab aſtronomia numerum motuum accipit. Nec ſolùm hæc differentia in illarum generibus deprehenditur, ſed etiam in partibus unius, & eiuſdem ſcientiæ. Manifeſtiſsimè igitur poſſet colligi ex hoc, maximam illarum diſciplinarum utilitatem, ampliſsimumq́; atq; digniſsimum propoſitum, non eſſe ad exercitationem, adaptationemq́; intellectus, ad duas illas ultimas ſcientias adipiſcendas.

Mathematicæ inferiores dignitate Metaphyſicæ.

Phyſica, & Metaphyſ. multa principia ſumit à Mathematicis.

Neq; etiam dici poteſt, harum mathematicarum ſcientiarum inſtitutum, ad opus, aut actionem eſſe, quanquam in ſingularibus earum inſpicienti uideatur ab his aliquid agi. Id quod ex uulgo non pauci in Geometria, & Muſica opinantur: cum eæ res, de quibus ijſipſis cura quædam inſtituta eſt, atq; tractatio, ſint & naturæ, & arti communes. Triangulus nanq; æquilaterus (exempli cauſa) quod neceſſariò tres lineas habet, ex duobus centris circulorum æqualium exeuntes: quarum duæ, quæ ſupra baſim exiſtunt cōcurrunt inſuper pūctum interſecantem utrūq; circulum: Id quidem neq; ligneo, neq; æneo, nec cuiuſuis alterius materiæ circulo proprium eſt, neq; artificiali cuiquam: quin commune eſt omnino hoc ipſum, & naturalibus, & artificialibus. Ad hæc ſingula quædam eorum, quæ à Mathematicis

Mathematicas non referri ad opus.

thematicis tractantur, in materia poſita eſſe uidentur. Si igitur hæc ipſa ab illis diſciplinis ita tractarentur, ut quæ materiæ ineſſent, horum quatuor requirerentur cauſæ, ſcilicet efficiens, finalis, materialis, formalis.

In mathematicis agi nō de materia, ſed de forma.

Cum ergò ſit manifeſtiſſimum diſciplinas eas de forma tantummodò quærere, manifeſtum igitur eſt ſingula, quæ tractant huiuſcemodi ſcientias, ſi in opus tranſeunt, indigere tūc, dum in actionē ueniūt, alia quadā ulteriori notitia, quā quæ ab his diſciplinis tradita eſt. Si quiſpiā enim ligneū ſit triangulū æqualiū laterū cōfecturus, ad id quod molietur non ſufficiet id, quod ab Euclide in elementorum ſuorum principio de ratione trianguli æquilateri eſt oſtenſum, niſi ad id ars quoq; fabrilis lignaria adhibeatur. Neq; de hoc ambiget quiſquam, qui in his ſcientijs exercitatus fuerit, cum per ſe illis ſit manifeſtiſſimum. Atq; his in hunc modum diſceptatis,

Vt mathematicæ exeāt in opus requiri alias artes.

apparet eos, qui huiuſmodi ſcientias mathematicas proſequuntur, primum quidem ac proprium propoſitum habere, conſuetudinem: quanquam ad hanc etiam accedat (ut inquit ille) cognitio quædam rerum neceſſariarū his operibus, quæ quiſq; ſibi propoſuit, atq; ſequutus eſt. Nam cum ſint cuſtodes, cognitione non parum immemorum, & menſurarum indigent: idq; propter ordines hominum ad pugnam inſtruendos, atq; aciei figuras, & formas idoneas, necnon menſuras, atq; modos ponendorum caſtrorum.

Mathematicæ utiles ad aciem, et caſtrametationem. de qua re Aelianus etiā loquitur, in lib. de aciebus.

Indigent etiamnum temporum, & menſium, dierumq; cognitione nauigatores, nec per deſerta tantùm loca, atq; ſolitudinem iter facientes, uerùm etiam hi; qui Camelis præfecti ſunt. Muſica præterea ea, quæ in agendo uerſatur, eis eſt pernecessaria, cum ob alia, tum quod ipſi eam in ciuitate inſtituerunt.

Cur Plato nō ſit exorſus à logica ſed à mathematicis.

HAEC igitur eſt Platonis ſententia, de inſtituendorum illorum primordio; quæ idcirco illi talis eſt, quoniam ars logica tempore illius non erat. Poſtea uerò quàm eſt præceptionibus, & regulis nunc tradita, melius eſt ab ea iſtorum diſciplinam, atq; eruditionem incipi: moxq; ut erit tradita, ad Arithmeticam tranſire, deincepsq; ad Geometriam, Muſicam, Perſpectiuam, ad eamq; artem, quæ de ratione ponderum diſſerit, ad Phyſicam, poſtremoq; ad Metaphyſicam.

Ordo in diſciplinis cōſtitutus per Auerroem.

Enimuerò, cum inter ſe ueteres diu, multumq; dubitauerint, utrum Logicam prius, an Mathematicas artes aggredi oporteret: ex hisq; nonnulli Dialecticam excogitatam arbitrentur, ut & roboraret intellectum, & ab errore retraheret, idq; ita in interioribus ac reconditis ſcientijs, quas tractare ipſa cogitur, cuiuſmodi ſunt, & de natura, & de his, quæ naturam tranſcendunt. Neq; Mathematicæ ſcientiæ ob facultatem, & perſpicuitatem. Dialectica egerent, imprimis cum non ſint admodum cum materia confuſæ, atq; inuolutæ. Sed hoc, ſi ita eſt, & non ſit ſanè Logica ad artes mathematicas adipiſcendas neceſſaria, ſi tamen poſt eas acquiſitas accedat, erit illa ſine dubio ad præſtantiam hominis, ac meliorem quandam conditionem. At cum ad doctrinam huiuſcemodi hominum nihil non egregium, atq; excellens perquiramus

Ordiendum à logice.

non erit profectò alienum eos à diſputandi arte incipere. Plato uerò hos inſtitui debere cenſuit facultate muſica, ut decimum & ſextum annum, aut decimum & ſeptimum attigerint: neq; id etiam prius quam praui, qui iam dicti ſunt,

cti ſunt, moribus purgati ſint. Tum etiam equeſtri exercitatione, ad uigeſimum uſq; annum utantur, atq; iam inde ſuperiore ſeruato ordine ad Philoſophiam addiſcendam ſe conferant. Ante quam ætatem Plato eos ſapientiam attentare minimè permittit, propterea quidem quod eorum opinio, atq; iudicium nondum ſit ad tantam rem idoneum, nec ratio quidem firma, & conſtans. Accedit ad hæc, quod qui præmatura ætate fabulis, atq; figmentis enutriti ſunt poëticis, illi legum conſtitutiones quantum poſſunt ſugillant, atq; abrogant, & ita maximè dum apud uulgus rationibus ſuis infringere leges, atq; ſtatuta pertentabunt. Neq; (ut inquit ille) per fabulas illas, & fictas, quibus ſunt imbuti, oratione aliter afficiuntur, quàm qui, quos prius parentes eſſe putauerat, adultus, ac iam grandior, ualidiorq; ſolùm putatiuos intelligit, & ſe non legitimum illis, ſed falsò creditum filium, aliosq; ſibi eſſe parentes ueros. Siquidem quis eum tunc non autumet exuturum filij animum, omnemq; reuerentiam, quam antea habuerat erga falſos illos parentes, ita ut eò res redeat, ut plerūq; ab illo iſti contemnantur, & negligantur: Similiter quoq; his accidere ſolet, qui à parentibus ante maturam ætatem diſciplinis huiuſmodi committuntur. Nam quæ in illis ſolertia eſt, atq; libertas, leges rationibus ſuis eludere cupiunt, & ueluti dilacerare, ut ludentes catuli ſolent eorum, qui ad ſe propinquant ueſtes dilacerare. Id quod etiam tu in his facilè philoſophis eſſe animaduertes, qui in his noſtris Rebuſp. uerſantur: quibus ipſis nihil certè damnoſius eſſe poteſt. At uerò Platonicæ Reipub. ſapientes futuri, iam inde ex quo ſapientiam erunt aggreſſi, illam percurrere, atq; perlegere ſcientiam non intermittent ad quintum & triceſimum uſq; annum: & tum deinde rei militaris, & bellicæ adminiſtratio eis committetur, idq; continuatis annis quindecim, ut tandem quinquagenarij ad magiſtratum Reiq; pub. adminiſtrationem apti ſint, atq; imperent. Ad quod munus cum per ætatis imbecillitatem erunt inutiles, in beatorum (ut inquit Plato) inſulas tranſmittantur. Intelligit autem (ut opinor) per inſulas, contemplationem formæ boni, quod ipſum uerè eſſe credatur. Quod ſi aliquis fortè crederet reperiri humanum bonum per ſe exiſtens, nec non aliarum uirtutum uſum eius ipſius contemplationem impedire: propterea (mea quidem ſententia) Plato non perperam uoluerit, ut Philoſophi illi ad boni illius cuiuſquam conſiderationem in extrema ſua ætate ſegregentur. Quin etiam inquit, cæteros quoſdam dies à ciuibus reliquis deſignatos habere debere, per quos, & eorum concelebrentur uirtutes, atq; res geſtæ, & iis ſacra fiant, honoresq; habeantur, quales apud ruſticos dæmonibus præſtari ſolent. Eadem eſt mulierum, quæ ad honores, atq; adminiſtrationem factæ ſunt, & educatio, & reuerentia, cultusq;: cum iam dixerimus, mulieribus cum uiris omnia officiorum genera communicata eſſe. Plato autem huius ciuitatis adminiſtrationem optimam exiſtimat, etiam ſi plures, quàm unus, huiuſmodi Philoſophi in hac Repub. potentiam nacti fuerint. Hæc ut Plato explicuit, modum ipſe examinat, quo poſſit facilimè, atq; optimè hæc Reſpub. conſtitui. Prius ſiquidem ipſe huius Reipub. ſtatum ita deniq; optimum prædixerat, ſi ſa-

x v anno diſcēda poētica.

x x uſque ad annū perdiſcenda equitatio.

Fabularū diſciplina qualis, & quando ad ſciētias accedendum.

x x x v anno militandum per annos x v.

L. anno magiſtratus ineundi.

Quomodo intelligendum ſenes tranſmitti ad inſulas beatorum.

Viros bonos laudandos publicè itidē & mulieres.

piens

piens eiuſmodi filius fuerit Regis: *uel fortè imperium illi alijs rationibus deferri debere, ſiue propter ſtudij, atq; ingenij magnitudinem, ſeu quod multitudine, atq; dignitate cognatorum polleat, uel gloria, poteſtatéque huiuſmodi alijs inter omnes præſtet.* Quod *ſi contingit hoc modo* Rempubl. *conſtitui, id agatur imprimis, ut qui in ciuitate decem annos continuos plus minus exegerint, in agros tranſmittantur: iſtorum autem filij omni diligentia ea educatione, quam deſcripſimus, inſtituantur.* Hoc *enim modo hæc, de qua nitimur*

Ciuitatem à Platone deſcriptã poſſe conſtitui, *&* quomodo.

ciuitas ocyßimè, facilimèque, átque optimè exorietur. Nec *tu dubites, quin modus hic à* Platone *commemoratus, quàm optimus exiſtat.* Ciuitas *nihilominus hæc poteſt alio modo condi, ſed non niſi longißimo temporis tractu: ſcilicet ſi accidat, ut his ciuitatibus magno ſucceſſu temporis ac diuturno,* Reges *ſint optimi, qui non ciuitates iſtas ſubinde mutare, atq; corrigere deſinant, quoúſque tandem ad optimum genus* Reipub. *res perducatur.* Quæ *ipſa immutatio utròque iſtorum generum fiet: nimque, & populi actionibus, átque conſuetudine, & ipſorum certè opinione commutata: eritque, tum facilior, tum difficilior, prout temporum proceſſu leges uniuſcuiúſque temporis ratione habita diuerſæ ferentur, uidelicet aliæ, dum à perfectione* Reipub. *multùm aberunt, aliæ, dum proprius* Reipub. *perfectæ accedent.* Atque *(ut ſummatim rem comprehendam) facilius eſt ad probatas actiones hac tempeſtate inducere, quã ad opiniones probas, atq; optimas.* Cuius *rei tibi facilimè fides fiet,* Rebuſpub. *quæ nunc extant perpenſis.* Quod *ipſum non fugiet eum, qui ſapientiam omnibus partibus obtinuerit: & propterea quod non rectas opiniones habeant, eas à recto peruerti, ac rui.* Reſpub. *autẽ, quæ operibus tantùm præſtãt, ſacerdotiæ denominari ſolent, cuiuſmodi olim à* Perſis *antiquis(ut fertur)uſurpata fuit.*

Hactenus de perfecto genere reip. Nũc de corruptionibus ipſius.

Hæc *autem omnia ſunt, quæ circa* Reipub. *inſtitutionem, & quaſi ortũ præclarißimè ſcilicet, ac de eius ordine, déque conſtitutione legum* Plato *diſſeruit, quæ quã potuimus breuißimè à nobis ſunt explicata.* Atquè *ſupereſſe tandem uidetur adhuc, ut de ciuitatibus nõ perfectis quidẽ illis, ſed aberrantibus à ueritate dicamus, quo pacto ſcilicet dignoſci debeãt, ac quomodo perfecta illa in iſtas degeneret, néque non iſtæ inter ſe quo pacto cõmutentur.* Néque *uerò eorum, qui perfectã illã* Rempubl. *ſpectant parũ intereſt ſcire, qua ratione prauæ iſtæ incipiãt, & procedant ad ſummam uſq; inſaniem, quamq; id facilè, & quàm optimè fieri*

Cognitio malarum rerum pub. an ſit utilis.

contingat. Etenim *medico quidẽ ſatis eſſe debere uidetur, ita ueneni notitiã percepiſſe, ut eius naturã agnoſcat, & ita uenenũ eſſe intelligat, ut ab eo caueri poſſit, etiã ſi nihil de apparando illo, átque cõponendo, & utendo unquã fuerit ſolicitus.* Néque *alia certè* Philoſopho *debet eſſe inſanarũ, et errantiũ ciuitatũ cura, quam ut, & illas cognoſcat, & quæ mala perfectæ ciuitati ab eis euenire ſoleãt, intelligat.* Quocirca *in hoc tantũ* Plato *elaborauit, ut ſignificaret, quonam modo præſtãs illa* Reſp. *In iſtas prauas, et uitioſas uerteretur: ampliuſq;, iſtæ inter ſe quã permutationis rationẽ haberẽt, et quã inter ſeſe ſimilitudinẽ, atq; uarietatẽ, quidq; eis oĩbus ſoleat accidere.* Qui *certè noſtris ſermonis finis erit, ut* Tertium *inde tractatum partis huius ingrediamur.*

TRACTATVS TERTIVS.

IAM VERO, *poſtquàm abſoluit* Plato *ſermonem, quem de optima conſtitutione* Reipub. *inſtituerat, refert ſe ad id, quod ex ea, quam nunc tractamus ſcientia ſupererat.*

> *Agit de corruptione, et mutatione rerumpub.*

Nempe de ciuitatibus aberrãtibus diſſerere ingreditur, quarum ſimplicia tantummodò genera commemorat, tum quo pacto inter ſe commutantur, tum quantum ſint optimo Reipub. *ſtatui ſimiles, quantumq́; ſibi inuicem: Neq́; non docet, qui maximè ſtatus optimæ conſtitutæ ciuitati aduerſentur: ac tum oſtendit, quænam ciuitatis adminiſtratio inter optimam hanc, & corruptiſſimã, uitioſiſſimamq́; illam* Reipub. *inſtitutionem intercedat, ut ſolent media quædam inter duas extremitates incurrere: ut etiam inter nonnulla alia contraria interueniunt plura media, atq́; diuerſa,*

> *Media inter extremitates.*

exempli gratia, albo nigrum opponitur, & inter utrũq́; plura genera interiecta ordine quodam, atq́; ratione, prout albo alia, alia nigro propiora ſunt, ac magis ſpecie coniuncta: ita ſanè conſequens uidebitur, duorum extremorum, quæ maximè inuicem oppoſita ſunt, nullam mutuò poſſe tranſmutationem eſſe. Niſi tranſmutatio illa per media ipſa ordine, atq́; ſerie incedat, ita ut primum ad proximum, deindeq́; ad id, quod illud ipſum conſequitur, ſubindeq́; ad reliqua deinceps, donec ad extremum alterum perueniatur.

> *Tranſmutatio tendit ꝑ media.*

Idq́; latius explicabimus tum, cum ad uerba Platonis *deuentum erit: comparabimusq́; eos inter ſe, qui harum ciuitatum cuiq́; præfecti ſunt: atq́; etiam quam quiſq́; uoluptatẽ ex adminiſtratione capiat, expendemus: eoq́; modo ſummam rerum neceſſariarum, quæ hac in parte* Platonis *uerba continent collegerimus, ac ſingula horum ipſorum explanabimus.*

> *Quinq́; genera rerum publicarum ſecũdũ Platonem.*

Et Plato *quidem conſtitutiones ſimplices, quibus in uniuerſum ciuitates conduntur, atq́; formantur, quinq́; eſſe cenſuit. Primam quoq́; omnium optimam illam, de qua adhuc uerba à nobis facta ſunt. Proximam huic ambitioſam. Tertiam, quæ hominum dominatu continetur. Quartam potentiam certè quæſtuoſam, qui principatus uitioſus admodum eſt. Quinto, eoq́; poſtremo loco, eſt tyrannica dominatio. Quod ſi optimum genus illud* Reipub. *in potentiam regiam, & adminiſtrationem optimatum diuidas, ſic principatuum quidem ſex uidebuntur eſſe genera.*

> *Quinq́; ſũt quibus inſtructos eſſe oportet adminiſtrantes remp.*

Etenim qui hanc optimam ciuitatis gubernationem nactus, quinq́; his inſtrumentis paratus & ornatus ſit, quæ ſunt ſapientia intelligendi, facultas conſummatiſſima & exactiſſima, opulentia quantum ſatis eſt, ſententia ſeu imaginatiua uis omni in re optima, perſeuerandi deniq́; firmitas atq́; conſtantia: addere etiam neceſſe eſt, ut in corpore nihil ſit, quod illi ad uſum, atq́; continuationem uirtutis, & actionum obſit. Qui igitur ita inſtructus eſt planè, atq́; or-

natus,

Origo cõſtitutionis ſingularum rerum publ.

natus, Rex eſt, eiuſq́; etiam adminiſtratio regia. Quod fortè, ſi hæc ſuperiora ornamenta, atq́; inſtrumenta non in uno aliquo, uerùm in cœtu, ac multitudine quadam certa, ita ut aliquis unus ad finem rerum ſapientiam præſtet, alius exactam intelligentiam eius quod ad finem maximè confert, alius ſatis opis, ſatiſq́; facultatum exhibeat, conijciendi alius, atq́; ſentiendi, ſeu imaginandi præſtantiam habeat, facultatem, uimq́; perſeuerandi, conſtantiamq́; rebus agitandis adhibeat aliquis alius, ſimulq́; ſeſe omnes inuicem adiuuent, ut iſta adminiſtratio rerum optima, atq́; tutela exoriatur: talis certè principatus penes delectos quoſdam erit, uocabiturq́; optimatum, & egregiorum ciuium adminiſtratio. Præterea etiam hac in Rep. cõtingere poteſt, ut princeps ſit aliquis unus, qui uſq́; ad dignitatem regiam non peruenerit, ſed tantùm ſe legibus exercuerit, quas primus inſtituerit legiſlator: perſpicacitatemq́; conijciendi, atq́; intelligendi adhibuerit, ad id etiam ex legibus eliciendum, quod non ab illo conditore legis ſatis diſertè expreſſum eſt, potiſſimumq́; in contractibus, ſeu ſanctionibus, cauſiſq́; priuatis, & iuribus, cuius certæ ſcientiæ genus eſt ea, quæ apud nos ars iudicandi nuncupatur: Inſuper etiam ille habebit ad perpetuanda inſtituta facultatem, & potentiam, is inquam rex legum appellabitur. Neq́; id ferè contingit, ut duo ſcilicet iſta nouiſſima in quempiam unum concurrant: quin potius in diuerſis ſemper ſunt illæ duæ facultates, continuandi ſcilicet, & iudicandi: Neceſſariò uni cum altera rerum dominium communicabitur. Id quod nos in compluribus Mahumetanorum regnis intuemur.

Nota de Mahumetanis Regibus

VERVM *cum præter cæteras adminiſtratio quædam rerum ſit uoluptuoſa planè, atq́; illecebris aſtricta, cuius ſpeciem quicũq́; profeſſi ſunt delectatione omnia, & uoluptate metiuntur, eorumq́; finis propoſitus delectatio tantùm eſt: cui gubernationi, ſi illam addideris, quæ ex concurſu hominum neceſſitate cogente ſimul coëuntium conſtat, iam genera octo Rerumpub. effecta erunt. De præſtantiſſima autem abundè dictum eſſe uidetur.*

Voluptuoſa adminiſtratio.

NVNC *igitur de ambitioſa. Et quidem ciuitates ambitioſæ ſunt illæ potiſſimùm, quarum imprimis ciues ualent, qui maximè inter cæteros honoribus producuntur. Atq́; honor quidem uerus homini maximè ab homine contingit, ei ſcilicet, qui cum perfectionis alicuius opinione polleat, alterius animum, iudiciumq́; quodammodò obnoxium habet, atq́; obſequens. Præter hoc alterum etiam honoris genus tritum quidem ſatis reperitur, atq́; uulgare: cum ſcilicet honor ipſe non alterius obſequio tali, aut iudicio proficiſcitur, ac niſi ob remunerationem quandam, uel honoris, uel muneris cuiuſcũq́;, aut utilitatis, adhibito quodãmodò paritatis æquilibrio, uel ſaltem quantùm fieri poteſt: Aequitas ipſa in eo genere deſiderari maximè ſolet. Qui honor circumforaneus, atq́; in publico frequens dici poteſt. Neq́; illud primum honoris genus ſit propter exceſſum rerum illarum, quibus honor debetur. Quod genus honoris ambitioſæ huic potiſſimùm expetendum eſt; & ideo quoſdam, quaſi ordines, graduſq́; ciuium retinet. Neq́; minimùm hoc ipſo optimam Rempubl. imitatur: à qua tamen hactenus diſcrepat hac etiam in parte, quod in illa uirtutem honor conſequitur,*

Ambitioſa adminiſtratio.

Genera honorum.

Quod genus honoris expetatur in ambitioſa rep.

quitur, & res eas, quæ ſine dubio digniſſimæ ſunt, ita ſanè, ut non per ſe bonos perfectæ Reipub. *ſit propoſitus, uerùm annexus uirtuti, atq; comes.* H*æc uerò ambitioſa honorem planè per ſeipſum conſectatur, qui honor his ex rebus emanat, quæ prima ſpecie, & uelut uno aſpectu honore dignæ cenſebuntur. Sunt autem eæ potiſſimùm, opes, generis claritas, delectationis etiam aleæ, copia fortunæ, ita ut non planè neceſſaria deſint, ſed tantùm ſuppetat, quantùm neceſſitati ſatis eſt fortunarum, aut alijs opem ferat.* H*is rebus iam dictis, uidetur tamen nemini magis deberi honorem, quàm qui dominium, ac potentiam, ac uictoriam ſemper deſiderare uidetur, nunquàmq; alijs ſubijci.* Q*uæ ſanè omnia honore primo digna eſſe cenſentur: & qui huiuſmodi dotibus ornati ſunt, alios magnitudine quadam animi antecellere uidentur, ac magni animi apud homines habentur, eò præſertim, ſi addatur facultas quædam dominandi, ac robur puniendiq;, & remunerandi.* Q*uæ certè facultas, & potentia, cum robore corporis, tum animi etiam ui, atq; neruis quibuſdam conſiſtit, exterioribusq; alijs quibuſdam commodis.* Q*uocirca qui tales (ut diximus) erunt, ciuitatibus iſtiuſmodi maximè regendis apti erunt, tantumq; honoris conſequentur, quantum ſuperiorum rerum, quæ honori à pluribus tribuuntur, habuerint: ita ut qui non uidebitur tanto honore dignus, ut ſit unus uniuerſorum princeps, poſſit nihilo minus pro merito dominij particulam accipere, ut aliqua in re dominetur, in aliqua uerò alia alij ſit obnoxius. Propter quod de Almanſore Abuhamari filio memoriæ traditum eſt, eum conciliabula, & nuptias ſolitum frequentare: & aiebat quicunq; ſe principem fidelium profitetur, præcipiat mihi, ut illi ſubijciar, uiliſſimumq; me habeam, & putem: ſic enim honoratior inter illos ero.* N*emo enim poteſt animam honorare, niſi eam demittat, & ſubijciat.*

Ex quibus rebus perueniat prædictum honoris genus.

Dictum Almanſoris.

I*am uerò in hoc ciuitatis genere non poſtremus eſt locus ueſtibus nitidis, ac ſplendidis, quales byſſinæ ſunt, & purpureæ,* R*egibus uſurpatæ propterea:* N*eq; etiã parum eſt in aurea cõſidentem cathedra conſpici. Sunt enim hæc certè, quæ primo intuitu ſpeciem quandam uirtutis, aut ſcientiæ præ ſe ferre uideantur: ſuperioraq; illa omnia qualiacunq; ornamenta, in quemcunq; fuerint congeſta, huic maximè dominium deferri debebit: idq; ſi præterea uelut facultatem, atq; artem habuerit in diuidendis honoribus, diſpartiendisq; beneficijs æqualitatis obſeruandæ, quæ ipſa in hac* R*epub. iuſtitia exiſtit. Sanè quidem hic ambitioſæ ciuitatis ſtatus, præter optimos illos, quos diximus, præſtantiſſimus uidebitur.* I*n eo enim iudicium quoddam eſt, atq; contemplatio eius, quod prima apparentia, primoq; aſpectu ſpeciem alicuius uirtutis præ ſe ferat, aut actionis honeſtæ, & pulchræ.* N*ec non hoc ipſo in ſtatu qui uerſantur, eas imprimis actiones ſequuntur, quæ gloriam in poſterum, ac laudem efficiant, ut eorum neq; mors, neq; uita ſine honore eſſe poſſit.* E*rgò hic ciuium talium concurſus ambitioſus quidem erit, honorisq; appetentior: qui tamen perrarò in populo rudi, ac ſimplici inuenietur, ideoq; non eſt in promptu incidere in ſimilem ciuitatem, eſt tamen apud nos quidem illa frequentiſſima.*

In eo genere reip. requiri ueſtes nitidas.

Ambitioſus reip. ſtatus non damnatur.

In populari ſtatu non expetitur honor.

Nunc

De quæſtuoſa rep. 1. paucorũ dominatu.

NVNC *uerò de uitioſa illa, quam quæſtuoſam nominauimus, in qua principes certè ſunt eiuſmodi, ut de quæſtu præcipua illis ſit cura, & ſupra quàm certè neceßitas, uſusq́; ipſe poſtulet, non ut aliena quædam hac ſumptuum parſimonia (ſeu illiberalitate) aſſequantur.* Et *opum certè, aut etiam diuitiarum duo genera ſunt, ut alterum natura ipſa ſit, alterum conſtitutione, & uſu.* Natura *quidem opes dici poſſunt, quæ neceßitati humanæ, atq́; indigentiæ ſuccurrunt: qualia ſunt, & facultates aliæ, tum indumenta, tum ædes ad habitandum, aliaq́; paranda, quibus commodius uiuat, atq́; beatius.* Inſtrumenta *etiam artium, quæ homini ſubſidio ſunt.* Materiæ *etiam, ex quibus conficiuntur illa.* Opes *uerò, quæ non natura, ſed ex uſu, & impoſitione quadam inueniuntur, nummi, aut quæcunq́; uice eorum uſurpantur.* Quæ *etſi neceßitati humanæ propriè non opitulantur, ob id enim ubiq́; in uſu non ſunt, ciuitatibus tamen eò conferunt, ut commodius conuentus fiant, circaq́; res agendas, atq́; communicandas modus, atq́; medium facilius adhibeatur: proptereaq́; nummi ipſi, uelut ſigna quædam rerum omnium precium, & ualorem repræſentant, ut cum quis aliquam rem affectat, eiusq́; ualorem cognouerit, quod quibus nummis emat, cognoſcere ſit in promptu.* Itaq́; *uelut communis omnium menſura rerum numiſma eſt, qua illæ inter ſe commutentur, atq́; alienentur: eaq́; ratione, uelut anima opum omnium exiſtimetur imprimis, cum uictui humano ad cuiuſuis generis commercia utilis nummus ſit.* Eſt *enim quaſi rerum omnium facultatem potentia comprehendens, & facilimè cum quibuſuis rebus permutabilis.* Illorum *igitur hominum princeps eſt, qui reliquis eſt ditior, & potentior: cui ſi accedat, ut rationem gubernandi calleat, qua ſcilicet rectè illis, quibus dominatur facultates impertiat, ſeruetq́;, profectò dubium non eſt, quin tali in ciuitate dominus eſſe debeat.*

Opum duo genera.

Hæc omnia ſumpſit Ariſtot. lib. 1. Politic.

Modi & exercitationes aptæ ad opes parandas.

INTER *cætera uerò neceſſaria, quibus diuitiæ acquiruntur, ſunt maximè agricultura, & loca paſcua, atq́; uenatio: deinde mercatura, & ſtipendia, & reliqua id genus.* Et *is, inquam, ſtatus quæſtuarius dicitur.* Cauſa *autem, ob quam hoc genus maximè etiam paucorum dominium appelletur, eſt, quod cum ipſi opulentiam quærant, atq́; diuitias, neceſſe eſt eos paucos eſſe, maiorem uerò ciuium partem paupertate premi, ut poſterius amplius explicabitur.*

De ſtatu populari.

POPVLARIS *uerò ciuitatis ſtatus ille eſt, in quo omnes, cum ſint liberi, unicuiq́; penes ſe ſit uitæ, & inſtituti ſui arbitrium, ac rei eius perſequendæ, ad quam animus, uoluntasq́; inclinabit.* Proptereaq́; *in hac* Republ. *comprehendetur uelut ſumma quædam omnium inſtitutorum, propoſitorumq́;, quæ in ſuperioribus illis exiſtunt: utpote cum in hac ſint, qui ambitione ducatur: alij qui re pecuniaria, atq́; quæſtu: alij qui tyrannidem ſibi, & principatum propoſuerint.* Nec *eſt quo minus inter iſtos ſit, qui propria uirtute ad quoddam optimum uitæ genus excitetur, eoq́; delectetur.* Exorientur *itaq́; hac in ciuitate omnium artium, omnium officiorum, habituumq́; genera.* Et *ſanè inepta non erit, ut ex ea oriri poßit optima illa, & perfectißima* Reſpub. *neq́; non quæuis ex reliquis alijs adminiſtrationis forma.* Ac *uidetur nullum hic eſſe dominium, niſi*

In populari omnes cæterarum rerũpub. qualitates ineſſe.

in illos,

in illos, qui ſua ſponte inſeruiendi, ſeu obediendi conditionem ſuſceperunt, aut propter primas leges. Neq; enim ueriſimile eſt hac in ciuitate licere omnia, cum certè in tanta licentia cohiberi non poßint cædes, rapinæq; mutuæ: eum præſertim eorum ſcelerum uoluptas quædam non paucis mortalium innata ſit. Ergò dubium non eſt, quin hic quoq; prima quædam inſtituta ciues obſeruent: quæ ſunt, ut quem quis in principio, ſtatim ſcilicet quàm eſt condita ciuitas, locum ſibi delegerit ad habitandum, eum cum reliquis commoditatibus, neq; non prædia, & agros, & alia ad uictum, & alimenta attinentia quæ occuparit, iure retineat.

Prima inſtituta ciuitatis.

Secunda quoq; inſtituta ſunt, quæ in commercijs emptionum, et uenditionum contractibus ſeruentur. Poſſunt etiam tertia accedere, ad mores componendos, & regendos, ſimiliaq; eius generis informanda. Neminem autem ignorare arbitror, hoc in populari ſtatu ante omnia rem cuiusq; propriam, atq; familiarem curare, adeò ut id unum ſit huius generis ciuitatis propoſitũ, ſcilicet domeſticá primò curare, ciuilia uerò propter domeſtica. Et ideo eſt uerè œconomica: contrà autem res ſe habet in optima illa Repub. In populari itaq; Repub. liberum eſt unicuiq;, quatenus poßit, rem ſuam, & diuitias præcipuè quærere, augere, atq; tractare. Eiuſmodi igitur certè ſunt noſtræ tempeſtatis ciuitates, ſcilicet populares: quibus is maximè, ac facilimè dominatur, qui ſua opera unicuiq; id quod concupiſcit, & quo delectatur afferre poßit, ſimulq; tueri. Vulgus autẽ hãc Rempub. inter cæteras alijs dominari putat, utpote in qua unuſquiſq; prima ſpecie putet libertatem ſibi deberi. Neq; temerè credi poteſt hanc eſſe primam, ac præcipuam omnium ciuitatum, quæ urgẽte neceßitate ortæ ſunt. Siquidem mortales, poſtquam quod ſibi neceſſarium eſt nacti ſunt, tunc demum de uoluptate, & delitijs cogitant: ut non malè à neceßitate ipſa ſtatus huiuſmodi popularis profectus uideatur. Et concurſus quidem talis hominum per accidens, et caſu quidem factus uidebitur. Imperium ipſum quoq; quaſi fortuitum eſt, cum nullo uno fine propoſito ipſi congregati ſint.

Secunda inſtituta.

Popularis ſtatus quomodo factus.

Hoc tempore ſimiliter apud plures Regum Mahomettanorum ſunt eiuſmodi hominum cõgregationes, quæ œconomicæ potius quàm ciuitatis ſpeciem referant: tametſi ex omnibus legibus eam retinent, quæ prima illa inſtituta ſuperius dicta ſeruat. Neq; dubium eſt, quin opes huius Reipub. omnes quidem priuatæ ſint, ac domeſticæ: propter quod neceſſe eſt aliquando, ex proprijs facultatibus & domeſticis iam accumulatis aliquid expendere, uelut ad milites mercede conducendos: ob quod, & tributa, & indictiones imponentur.

Mahometanorũ cœtus œconomici potius quã ciuiles.

Tandem in duo hominum genera ciuitas diſtinguitur, alterum ut plebs nominetur, alterum primates. Quales olim ciuitates in Perſia erant: hodieq; durant apud nos non dißimiles illis, in quibus plebs ipſa imbecillior potentioribus pro præda eſt, quouſq; interdum ea uiolentia, iniuriaq; tyrannidem inducat, quemadmodum hac tempeſtate, et hac noſtra Repub. oriri uidetur. Creſcit autem apud uulgus ut plurimum amor nummi, præſertim quum illæ primæ leges ſint apud eos & ipſæ populares, ut ſcilicet quiſq; ſpõte ſe pro Repub. bello exponat, & pugnet: quo pacto neq; cogentur ipſi ſuas facultates ad bellum gerendum inſumere: quæ lex haud dubiè tam diu durabit,

Diuiſio ciuitatis in plebem, et primates.

quàm diu ij, quibus eſt impoſita, neceßitate illa, quæ eos in ciuitatem coēgit, etiam compellentur uictum ſibi ui, atq; rapto acquirere. Quod ſi fortè per ociū, uel corruptam, & uitioſam educationem uoluptates obrepſerint, fient continuò imbelles, & effœminati: ac principes quidem eorum ad bella gerenda tributa illis imponere cogentur. Quibus imponendis, ſi non illi æquitate utantur, eosq; ui ſubijcere audeant, haud dubiè id populo graue, & intollerabile uidebitur, ita ut conſilium ineat ipſe exigendorum principum, & contrà illi aduerſus populum ui, atq; iniuria nitendo tyrannidem quandam inſtituant: proptereaq; uideri poſſit hæc ciuitas tyrānicæ Reipub. maximè aduerſa. Pecuniæ uerò ciuiles, quæ primò in gente huiuſmodi exiſtunt, non Reipubl. gratia, ſed familiares, ac priuatæ potius ſunt: transferūtur enim in domos primatū. Et proptcrea hac tempeſtate, adminiſtratio ſacerdotum eſt merè tyrannica. Hactenus igitur de populari ſtatu, atq; his quæ illum conſequuntur, dictum ſit.

Populus quomodo cōſpirat in principes.

Adminiſtratio ſacerdotum tyrānica.

De tyrannide.

TYRANNIS *autem Reſpubl. reuera eſt, cuius omnes ciues eandem curam, idemq; propoſitum, quod et ipſe tyrannus, habent: quod quidem nihil aliud eſt, quàm ut ſuum ipſius tyrannus finē ſibi deſtinatum aſſequatur. Tale autē eſt cupiditas per uim, ac tyrannidem ſolum dominari, aut gloriæ, aut opulentiæ, aut uoluptatis, aut omnium iſtorum ſimul. Manifeſtum autem eſt huiuſcemodi ciues nihil aliud curare, nullumq; alium conſectari finem, quàm ut tyranno obediant, & imperata eius faciant, nihil admodum ſeruis diſsimiles, imò uerò ſerui potius, quorum conuentus omnibus in rebus maximam optimæ ciuitati habet diſsimilitudinem. Illic enim in perfecta ſcilicet ciuitate, hoc uel publicum eſt propoſitum, ut ex omnibus ciuitatibus tantum ſibi quiſq; felicitatis uendicet, quantum eius natura dignitatis, atq; uirtutis poteſt accipere. Cuius quaſi exempla omnes artes, omniaq; probè, et benè inſtituta regna imitantur. Eſt enim his quóque conſtitutum, publicæ utilitati conſulere in artibus, exempli gratia in Medicina. An non eſt medico propoſitum principum curare ægritudines, nō ſeipſum tantummodo? In arte gubernandi, an non præcipua gubernatori ipſi cura eſt, de uectorum ſalute, non ſua tantùm ipſius? Contrà uerò in tyranno eſt: pro ſe enim tantum elaborans, nullam ciuibus aut honorum, aut boni cuiusquam particulam impendit: quin potius ea imperare non deſiſtit, quæ non illis, ſed quæ ſibi maximè uſui ſint, his non alia utens ratione quàm ſeruis. Neq; certè ambigi poteſt hunc Reipubl. ſtatum omni genere iniquitatis, & iniuriæ affluere. Neq; enim, ut in hac ciuitate fit, uniuſcuiusq; artes, atq; ſtudia proprium magis, quàm publicū compendium ſequi debent, imò idipſum maximè: idq; ex ſeſe ſatis clarum eſt.*

Finis in tyrannide.

Tyrannus ſeipſum tātum curat.

Status tyrānidis qualis

IN HAC *certè tyrannide ſingularum domorum cura, ac ciuium labores, opificum etiam, & aliorum unius tantùm domus tyrannicæ ſcilicet felicitati, et perfectioni laborant, ſupra quàm quod habet etiam unuſquiſq; proprium ſibi ad optimam ſui conditionem propoſitum. Similiter in illa perfecta omnium ciuium atq; generum, propoſitum eſt & proprium cuiusq;, & certè ad unius quaſi dominij beatitudinem commune. Qua in re tyrannicæ Reipub. perfecta quodāmodò eſt ſimilis. Enimuerò tametſi in utraq; omnia ciuiū genera ad unum quidam*

Omnia in tyrannide referri ad tyrannum.

dam contendant atq; connitantur: utrobiq; tamen differentia eſt. Nam in optima illa, ſingula & ciuium, & artificum genera, præſtitutum ſibi ac proprium, congruumq; finem (ille autem eſt ſua cuiuſq; beatitudo) perſequuntur. Præterea tamen cum accidat, ut illud iſtorum propoſitum Regis ſummum bonum reſpiciat, uidebitur eſſe ciuium ille finis propter regis felicitatem quæſitus, ſeq; uiciſſim & Rex, & populus iuuabunt, ad communem quandam beatitudinem conſequendã: in quo, et populus Regi ad quærendã ſapientiã illi ſine dubio familiarẽ utilis eſt, ac Rex uiciſsim populo ad perfectionẽ populi ipſius quã plurimũ inſeruiet: niſi gubernare, ac regere id malis in rege appellare, quàm inſeruire. At uerò in tyrãnide res longè alia eſt. Nihil.n.tyrannus populi cauſa, ſed ſua ipſius omnia factitat. Neq; ab hac ſimilitudine diuerſa ea, quæ inter tyrannicam hanc ciuitatem, & ſacerdotum gubernationem intercedit: eoq; perfacilis eſt iſtius ſacerdoticæ in illam tyrannicam tranſmutatio. Id quod nunc noſtris in ciuitatibus eſt frequentatum, atq; adeò ſacerdotij profeſsio tyrannicis flagitijs deformatur.

Finis in Regno optimus.

Cõtrariam Regno tyrãnidem eſſe.

Nota de tyrannide ſacerdotum.

AD HAEC *tyrannus nonnullos habeat conſcios, & adiutores oportet, ut poſtea horum ope inuitis ciuibus dominetur: ijs tamen quos uelut tyranni ſocios diximus, accidit nonnunquam, ut dominatione tyrannica non utantur, neq; fruantur, interdumq; contrà, utroq; tamen modorum in uniuerſum ciuitas tyrannica appellatur. Nam etſi contingat illos tyrannidem arripere, eiuſq; dignitatẽ exercere, ea non uno modo, neq; æqualiter utentur, ſed erit & diſsimilitudo, & inæqualitas pro modo, atq; rõne uniuſcuiuſq; eorũ dominij, uel poteſtatis. Quod certè genus multorum tyrannidis cum aliâs facilimum inuentu ſit, tum frequentiſsimum eſt in ipſis tyrannidis initijs, & hoc pacto certè exercent illi in ſuos populares tyrannidem. Quanquam fieri etiam poteſt, ut ciues ipſi nõnunquam cum tyranno conſpirent, illiq; auxilientur ad tyrãnidem, non in ſe, ſed in alios, exteroſq; populos conſtituendam. Qua in re diſtincti etiam inter ſe gradibus erunt, & diuerſis inſignientur dignitatibus, ut quiſq; ingenio, prudẽtia, aut quacũq; alia re ad ſalutem publicam, & tyrannidis tutelam pollebit. Tyrannus autem ipſe erit ac princeps iſtorum omnium, qui inter omnes ſuperioribus illis dotibus & inſtrumentis præſtabit. Hactenus autem de tyrãnide, et eius partibus.*

Adiutores tyrannorũ, etiã ipſi tyrannidem exercent.

CIVITATES *uerò, quæ uoluptatibus & cupiditatibus deditæ ſunt, in quibus potiſsimùm ciues ſenſuum oblectamenta, & illecebras, libidineſq;, tum cibi tum potus, tum ueneris perſequuntur, non aliter quàm ciuitates ui atq; neceſsitate affectæ, ciuibus conſtant res ſibi tantùm neceſſarias proponentibus: quæ his maximè rebus quæruntur, aut agricultura, aut uenatione, aut rapto. Et agricultura quidem magis eſt homini naturalis, ad acquirenda neceſſaria. Verũ iam ſatis dictum eſſe uideatur ad ſingularum iſtarum ciuitatum notitiam, iuxta primum, & præcipuum propoſitum huius ſcientiæ, quarum omniũ uarietas diuerſitati morum animi reſpõdet. Numerus etiam, atq; cauſa ab his ipſis moribus quos diximus dicitur. Namq; pars ipſa iraſcendi honorem quidem, atq; amplitudinem ambit: quæ ipſa ſi nimia eſt, in tyrannicam uiolentiam conuertitur. Iam uerò uoluptatum, & opum libido eius ſunt partis, quam concupiſcentiam*

De ciuitatibus uoluptuoſis.

Agricultura naturalis eſt.

Iraſcibilis pars ambitioſa.

Cõcupiſcibilis uoluptuoſa.

 dicimus.

dicimus. Ex illa animæ ui ambitioſa ciuitas, ac tyrannis educitur: ex hac uoluptarius, hinc inde quæſtuarius ſtatus: popularis autem uidetur quaſi ex diuerſis, confuſisq́; moribus atq; affectionibus exprimi, his ſcilicet qui ſingulis quibusq; à natura impreßi ſunt, & deſiderio quodam rei cuiuslibet atq; cōditionis. Quod ſi animæ partes ita à ſe inuicem ſepararentur, ſoluerenturq́;, ut non inferior ſuperiori, digniori indignior ſubijceretur, eiusq; cauſa eſſet, quemadmodum à nonnullis exiſtimatum eſt: tunc dicendum foret, omnes hominum concurſus libera, & populari ciuitate contineri debere. At uerò ſi reliquas omnes animæ partes iracundiæ morem gerere æquum eſſet, omnium mortalium, aut ambitioſæ ciuitates, aut tyrannicæ: ſi concupiſcentia princeps eſſet, eſſet quoq; optimum, hominum congregationes, aut quæſtu, aut uoluptate obtineri. At enim cum in naturali philoſophia, tum in hac ciuili, rem oſtendimus aliter omnino ſe habere: rationemq́; eam eſſe, quæ iure reliquis animæ partibus dominetur: eoq; efficitur, ut res illa publica, cui eadem ratio dominatur, optima ſit.

Analogia rerump. & ciuitatū cū partibus animæ.

Optima reſp. quæ analogiā habet cum dominatu rationis.

POSTQVAM *autem ſingularum iſtarum ciuitatum fines expoſuimus, nunc deueniendum eſſe arbitror ad ea, quæ Plato de mutua earum inter ſe tranſmutatione, necnon comparatione ediſſerit. At primum quidē binas inter ſe confert, deinde plures, quousq; tandem omnes inuicem comparet. Similiter quoq; in harum ciuitatum principibus factitauit, ſcilicet inter duos principes illarum duarum, poſtremò inter ipſos omnes comparat. Cum id ſit in Rebuſp. manifeſtius, quàm in ipſis moribus, ueluti iuſtitia ipſa, quæ in ciuitate ſanè manifeſtior eſt, quàm in una anima, ſimiliterq́; & iniuſtitia.*

Cōparatio rerumpub. inter ſe, & principū illarum.

DICENDVM *igitur eſt ciuitatem illam optimam, ſi quando contingat cōſtitui, tametſi difficile, nihilo ſecius corrūpi, atq; deſinere oportere. Quicquid etenim gignitur, ut in phyſicis probatum eſt, atq; etiam rationibus commonſtratum, id corruptioni obnoxium eſſe neceſſe eſt. Nec dubium eſſe poteſt, quin eius Reipub. interitus, ex ipſo genere illi dominante proficiſcatur: quando ſcilicet ipſum corrumpi, ac degenerare mixto inter ſe, confuſoq́; auro, & argento contigerit. Quandoquidem ſi Reipub. huius principes, non diligentē operam adhibuerint, ut ſimiles uiri, & fœminæ commiſceantur, naſcetur ex ea negligentia proles uaria quidem, ac diſsimilis inter ſe, & ſuorum etiam parentum. Quæ ipſa, ſi non ex genere cuſtodum tollatur, transferaturq́; in aliud genus, ex ea ſine dubio mali ſemper exorientur, qui à toto ſui inſtituti genere, ac præceptione, qua imbuti fuerint, diſcedent. Muſicam deſpicient, gymnaſtica una utentur, qua pars illa iraſcendi propria maximè roboretur, & coaugeſcat, cupiditas etiā promoueatur. Hoc certè hominum genus, ſi quando inter imperantes oriatur, atq; generi eorum optimo inſeratur, attrahet unuſquisq; iſtorum alium ſimilē ſibi, ac uelut comparem, moribusq́; ſuis tanquam contagine inquinabit: eritq́; totum ipſum genus æneum, atq; ferreum, omni cura propenſum ad rem augendam, diuitiasq́; congerendas. Alterum uerò ad uirtutes, quas ſuprà commemorauimus, maximè aſpirabit, ac conabitur. Eaq; morum inter ſe diſtractio, cum aliquantiſper durauerit, in medium aliquid delabetur, ac defluet. Id autem erit, quod*

Etiam optima ciuitas & reſp. deficit ac corrumpitur.

Signa corruptæ ciuitatis optimæ.

Quomodo homines ænei, & ferrei fiant.

inter

inter optimam admiſtrationem, & quæſtuarium interuenit. Sicq; opes comparabunt, regiones ſubigent, & territoria ſuis finibus adijcient: hæcq; ipſi in uſum proprium, ſibiq; ac ſuis reponunt. Ex his præterea, quæ ipſi cuſtodes acquiſierint, illis id impartient, quantum ſatis eſt ad uictum, & neceſſaria cætera, illis ipſis hac in parte haud ſecus atq; ſeruis abutentes, quos in amicos olim, & liberos habuerant: dominiumq; rerum ui quadam, & bellica potentia, & ipſa etiã gloriæ, atq; dignitatis cupiditate arripiunt. Quo pacto ſane media uidebitur effecta ciuitas inter quæſtuariam, ubi paucorum eſt dominatio, & optimam, perfectiſſimamq; illam. Nam qua ratione genus illud ciuium, quod cum illis bellorum, & periculorum eſt particeps, nihil ex omni quæſtu, nihil ex omni arte emolumenti requirat, ciuitatis optimæ quoddam ſpecimen eſt. At enim quatenus principes ipſi non ex optimis, quales antea deſcripſimus ſunt, uerùm iam non obſcurè ad iracundiæ dominium, & tyrannicam poteſtatem declinant: eſt certè hac de cauſa non proba planè, nec benè inſtituta ciuitas, quò magis mixta quodammodò ex bona, malaq;. Atq; hæc eſt illa potentia, in quam primùm (ut Plato cẽſet) tanquam in proximam ea optima degenerat, & permutatur. Siquidem honoris, ac dominij cupiditas maximè inter omnes affectus proborum alioqui & egregiorum animos occupat: ob idq; nonnullorum eruditorum uirorum ſententia eſt, Gloriæ amorem id eſſe, quod maximè in dominio amicorum expetitur, idq; primum eligi poſt ſapientiam. Eſt enim honor uelut quædã umbra, ipſi ſapientiæ coniuncta, ac comes, propemodumq; proxima: ob quem honorem probi etiam ad illud dominandi genus conuertantur. Et propterea ſanè rarò, quicũq; ſunt uirtutibus præditi, ſi diu in uirtutibus ipſis ſtabiles ſint, poſſunt umbra carere, famæq; ſibi conciliandæ cupiditate. Quod ſi honoris cupiditas usq; ad tyrannidis concupiſcentiam abundauerit, tunc non minus hæc ciuitas, in qua optimum genus exiſtit, diſtabit à uera dominandi facultate, quàm deprauatum, & uitioſum illud genus, quod tyranni dominium acceptat, uel quod in eo oriatur, qui ita ſe habeat. Simile quoq; eſt uno in homine negotium, ſcilicet degenerationis alicuius, qui optimæ Reipub ſimilis eſt. Idq; eſt quod Plato ſentit de optimæ Reipub. permutatione, necnon etiam optimi uiri, ideſt Philoſophi: qui ipſe nonnunquam ex Philoſopho ambitioſus fit, & ambitioſæ ciuitati ſimilis, qui quidem felicitatem ipſam in honore conſiſtere contendit, & aſſerit.

Media reſp. inter Oligarchicam, et perfectiſſimam.

Gloriæ amor poſt ſapientiam.

Mutatio perfectiſſimæ reip.

Ac *talis certè (inquit) qui ſummum in honore bonum conſtituit, auidè gymnaſticam ſequitur, & prædas non diſſimiles rapinæ amat, negligit muſicam, dominium atq; tyrannidem concupiſcit: neq; tamen eò ſe dominari debere arbitratur, quod uel dicto, uel nutui audientes parere uelit, uerùm propter ſuam in rebus bellicis excellentiam.*

Qualis ſit qui in honore bonũ ponit.

SVBIVNGITVR *præterea, eum ipſum quam diu iuuenis erit, pecunias contempturum: quarum amor proceſſu temporis, atq; perfectæ ætatis ſubinde ſe infert. Nam ut cum perfectæ, ac integræ naturæ non ſit, exitu ipſo tandem rei nihil erit auaræ diſſimilis, cum ab optimo cuſtode iam aberit tantùm certè, ut à muſicarum perſuaſionum obſequio ſit diuerſus, atq; remotus: quibus ſi*

anima iam inde à ſuo exortu adhæſerit, per totam uitam, ſine dubio uirtutem perſequetur. Et talis igitur eſt honoris, & gloriæ aſſertor. Atq; quo pacto ex

Quæſtio, quomodo nati ex optimis uiris corrumpãtur.

optimo, & perfecto uiro talis effici poßit, quæri poteſt. Tunc maximè certè, cũ tenera quis ætate optimi alioqui patris filius, in malè inſtituta ciuitate educatus ſit: in qua pater quidem ipſe nullis muneribus, nullis officijs præeſſe uelit. Quēadmodum ſolent uiri boni, atq; integri ſe gerere in malè inſtitutis ciuitatibus et prauis. Filius ipſe, quanquam ita affecto patre, matrem audiat de uiro ſuo conquerentem, tanquam ignauo, et languido, nulliusq; inter magnates numeri, proptereaq; ipſam etiam ſine dignitate, ſine ulla honoris ſpecie abiectam uiuere: ad hæc moleſtè ferentem, quod in re accumulanda nimis ſit remiſſus, nimisq; negligens. Sic igitur filium mater admonet, tanquam natus ſit ab homine parum humani ingenij participe, parumq; acri ad rem, gloriamq;, & parum ſtrenuo:

Matres corrumpunt.

nonnullaq; alia ſuggerit, quæ ſolent mulieres contemnendis uiris ſuis uſurpare. Adde, quod ſerui ſocijq;, atq; imprimis coniunctißimi quiq; ex domeſticis atq; familiaribus eadem illi affirmant: ac ſi quem uiderint in patrem ipſius iniurium quandoq;, aut petulantem, aut retinentem iniuſtè pecunias, adoleſcenti filio pa-

Serui, et ſocij.

ternæ iniuriæ uindictã omni ratione commendant, ut procaces illi & iniuſti dēt pœnas: quæ iniuriæ cuius authores fuerunt, comparatæ duplæ eſſe uideantur: & hortantur etiam, ne ulla in re ſit non ualidior, promptiorq; patre. Quod prætea

Ciues itidē.

rea ſi accidat, ut uideat in ea ciuitate eos, qui utuntur proprio & priuato officio, humiles haberi, & uelut inſani eſſent omnino inhonoratos eſſe: contrà, qui neq; iure dominentur, neq; ſuum exequantur officium, laudari ab omnibus, & principes inter cæteros primosq; uocitari. Conſequēs ergò certè erit, ut & adoleſcens filius ſeruet probam illam, quam ex educatione admonitioneq; paterna conſequutus eſt naturam, rationalem uirtutem ſcilicet: deſuper hanc, iraſcendi et concupiſcendi uis accreſcat, uelut in qua aliena inſtitutione ſemper promotus ſit. Atq; ita à diuerſis in duo illa ſuperiora diuerſa etiam diſtractus, in medium quiddam deducetur, ſcilicet, quod inter eximiam uoluptatum cupiditatem, & maximum uirtutis amorem intercedat: quo modo ſe omnino ad hãc partem mediam, uidelicet ad ambitionis & honoris amorem transferet, atq; impellet. Eſt enim quoq; in anima pars hæc (ut ſæpius diximus) maximè proxima ei, quæ ad uirtutem ducit: ex quo neceſſe eſt, ut iſte & gloriæ ſit auidior, & magna aggrediatur, atq; efficiat. Hic igitur modus eſt, & uelut norma deſignandi adoleſcen-

Analogia perfectißimæ reip. cũ adoleſcente cupido honorum.

tis, qui finem rerum, gloria & honoribus demetitur: ac expoſita ratio, qua ſe ab optima natura, & perfectißima diſiungit. Quæ omnia etiam ſunt in ciuitate ambitioſa ſimilia, ſimiliterq; ipſa ab optima ciuitate degenerat. Quæ omnia, ut à Platone de ambitioſa, & optima Repub. deq; optimo, & ambitioſo uiro dicta ſunt, uidere eſt in antiqua illa Arabum Reipub. adminiſtratione, quæ haud dubiè optimam Platonis Rempubl. imitari putabat: tum ſequuta eſt mox, illius ip-

Arabũ reſp.

ſius Mahauiæ temporibus, in ambitioſam commutatio, quæ adhuc per inſulas noſtras durare uidetur.

POST *hæc autem Plato de trãſmutatione huius ciuitatis inquirit, in quãnam*

nam ipſa ciuitas formam, in quod hominum genus uir ambitioſus tranſeat. Tum demum in hanc uenit ſententiam, ut ſæpiſſimè ambitioſa Reſpub. in dominationem paucorum conuertatur, in qua ipſa (ut iam diximus) diuites ſunt illi, penes quos rerum eſt adminiſtratio, nihilq́; pauperes in eo dominio communicant. In hunc modum fit, cum ſcilicet lapſu tẽporis diuturno in ambitioſa ciuitate principes ſimiles uixerint, & quaſi ſenſum aliquem induerint eius utilitatis, quæ à pecunijs, atq; diuitijs percipitur, & demum pulchro, et honeſto utile præpoſuerint, itaq; receſſerint à uirtute longius: uno interiecto gradu priore ambitionis, ad extremumq́; illi nephario honore pecunias, diuitiasq́; celebrabunt. Portaſſeq; *quod dicit* Plato, *uerum id uidebitur, ſi diligentius ciuitates ambitioſas perſcrutabimur, & ueram tranſmutationis earum normam: genus tamen hoc, quod paucorum dominationis eſt, idem certè abiectiſſimum eſt, et uiliſſimum, neq; diu conſiſtere poteſt, leui quacũq; cauſa, ſiue interna, ſiue externa ſit, corruptibile.* Errorq; *in eo ipſo primus eſt, ut non ei potiſſimùm dominium deferatur, qui & uti optimè, & conſiſtere in eo diutiſſimè poſſit, uerùm enim ſolæ hic ſpectantur diuitiæ: non aliter certè, neq; minus abſurdè, quàm ſiquis ditiores deligendos nauibus gubernatores uelit, neq; admittendum nautam peritiſſimum, qui uerè nauta ſit: ſic etiam in hoc principatu pauperem non ferunt, ob egeſtatem.* Et *quemadmodum qui huiuſcemodi nautam elegerit, perniciem, ac exitium naui, uectoribusq; omnibus quæret: ita & de ipſa hac* Repub. *res ſe habet.* Ad *hæc, ciuitas huiuſmodi non una planè, ſed uelut bipartita in tenues, & opulentos uidebitur.* Nãq; *diuites illi, cum congregandis opibus, tum auarè etiam, & ſordidè continendis pauperes à ſe auertunt, & remanent ipſi diuites.* Eſt *adhuc ciuitas hæc peſſimè affecta, quod ad gerendum bellum nullo modo idonea eſt, cum omnino principibus unum de duobus neceſſe ſit:* Aut *enim multis uti militibus, quod fieri non poteſt:* Eos *enim armatos non parũ, imò quàm plurimùm formidabunt, qua ratione etiam hæc ciuitas paucorum dominij appellatur.* Adde *etiam, quod neq; plures milites mercede, utpote auari, & tenaces conducent, ſed uel ut ipſimet ſint milites, uel ipſorum quàm pauci.* Quod *ſi accidat, neceſſe erit, ut fugiãt in prælijs.* Quod *certè animaduertere in multis populis licet, qui quietè & pacatè uixerint, ſi quando ipſis cum pauperiore gente bellum cooriatur.* Eſtq; *in eadem* Rep. *error non minimus, quàm ſuperius uituperauit, ut idem uaria officia, uariasq; artes homo exerceat:* Vt *idem, & terrã colat, ac pecunias opesq́; accumulet.* Qua *etiam in ciuitate* Principes *naſci tales, malorum omnium eſt grauiſſimum.* Nunquàm *enim illi regimen ipſum ciuitatis peruertere deſiſtent, atq; ad id potiſſimùm comparare, quod & uoluptati ſibi ſit, & quæſtui.* Ac *ex legibus quidem huic ciuitati impoſitis illa eſt, ut nullius imperio ſint ſubditi ſacerdotes: præterea omnibus ut liceat cui uelint ſua erogare, omnibusq́; data ab alijs poſſidere legitimum ſit, ſimilesq́; eius generis leges.* Quæ *cauſa eſt, ut multi in hac ciuitate mendici conuerſentur, & pauperes, diuitibus certè quaſi infeſtis ſtimulis perpetuò moleſti, qui diuites numero quidem multò pauciores ſunt.* Qua *in re eadem ſunt huius ciuitatis incommoda, quæ in examine apum permi-*

Ambitioſæ ciuitatis mutatio in Oligarchiam.

Oligarchia diu nõ conſiſtit.

Similitudo à nautis.

Oligarchica ciuitas malè eſt affecta ad bellum gerendum.

Aliud reprehenditur ẽt in eo genere reip.

Mendici & inopes inimici opulẽtis.

Similitudo.

xti fuci inferunt, comedentes quidem mel, at neq́; colligentes quicquàm, neq́; adferentes: ſicq́; ab ijsdē fucis nō alio morbo totum examen apū afficitur, quàm hæc ciuitas à prodigis, & maleficis. Neq́; enim dubium eſt, quin in illa ciuitate, ubi mendici complures ſint, ibi & fures eſſe, & latrones, & omnis generis ſcelerum authores: proptereaq́; eam ipſam infinitis propè malorū generibus affligi.

In Oligarchia multi mendici ſunt.

Atq́; hæc iniquitas, iniuſtitia, error, quæ omnia paucorum dominationem cōſequuntur, in ambitioſa ciuitate nuſquam comparent. Quocirca ea ipſa ciuitati optimæ propior eſt, hæc uerò ab eadem remotior, pro magnitudine atq́; uarietate errorum, qui in ipſa conſpiciuntur.

In Oligarchia multa ſcelera.

Ambitioſa ciuitas optimæ proxima.

His itaq́; expoſitis, quæ de ciuitatis ambitioſæ in hanc poſtremam tranſitu, deq́; & genere, & numero errorum, qui in hoc paucorum principatu accidunt, dicta ſunt. Sequitur, ut de uiro eius ipſius paucorum dominationis ſimili diſputetur: tum in qua potiſſimùm ciuitate ſit, tum, aut quo modo, aut in quam tranſmutetur.

De uiro Oligarchico.

A M B I T I O S V S *itaq́; pater, ſi filium imitatorem ſui habeat, ac fortè ei filio contigerit, ut pauper efficiatur à calumniatoribus ſcilicet delatus, atq́; accuſatus, ex bellica aliqua expeditione, uel magiſtratu quopiā per ipſum acto, ſicq́; neceſſitate coactus ad lucrum ſe & quæſtum conferat, paupertatem multò minus pati, quàm mortem conſtituens, adeò ut depoſita omni ambitione, de congerenda tantùm pecunia cogitet, ut fieri ſolet: in hunc tandem modum ex ambitioſo, pecuniæ cupidus efficitur, tunq́; omnino ſimilis eſt quæſtuoſæ ciuitati, quemadmodum, quem ſuprà deſcripſimus ambitioſum, ſimilem eſſe ambitioſæ ciuitati diximus: eſtq́; & auarior, & parcior, neq́; illis uoluptatibus ciuilibus niſi neceſſarijs, indulgēs: quæ certè abſtinētia ex uirtute nō proficiſcitur.*

Quæſtum quærit.

Quicquid enim ex cupiditate diminuit, in aliam cupiditatem tranſmittetur, quàm maximè pſequitur: ut ē amor pecuniæ, et auaritiæ. Ergò uiri huiuſmodi, ſi à quæſtu, & alienarum rerum acquiſitione prohibebuntur, non amplius ſe à uoluptatibus minimè neceſſarijs continebunt. Ea demum in hac parte rerum ſumma eſt, ut auaritia (ſicut dictum eſt) ſit corruptioni, atq́; interitui perfacilè expoſita.

Nota de Auaritia.

Ambitioſus in quos mores trāſeat.

Ac, ut breuius dicatur, ambitioſus ille manifeſtè in uirum uoluptatibus deditum tranſit, ſiue uoluptatem intelligas pecuniarum oblectamētum, ſeu alias cuiuſmodi generis illecebras. Quod idem de ciuitate ambitioſa intelligendum, ut eandem rationem habeat ad uoluptatem, quam ambitioſus homo ad uoluptarium: ſunt enim eiuſdem generis ciuitas quæſtuaria, & uoluptuoſa. Nec alia ſanè ratio eſt, quæ hactenus (ut uidimus) tot labefactauit Reges, ut ſit pro exemplo nunc eorū principatus, quos coniuratos uocant.

Quomodo multa regna ſint ſubuerſa.

Nanq́;, & ij primum legitimam ciuitatem imitati, quam diu eorum princeps uixit: mox regnāte eius filio ambitioſæ ſe dediderunt, ita tamen, ut pecuniæ etiam admiſceretur cupiditas: tum demum res tota ætate nepotis in uoluptariam ciuitatem abijt, ita ut à nullo uoluptatū genere abſtineretur: eoq́; pacto ciuitas ipſa funditus tempore ſuo deleretur, cum eo tempore infeſta illi dominatio, atq́; inimica eſſet, quæ legitimæ Reipub. legali eſt ſimilis. Hic eſt igitur modus, quo uir ambitioſus in lucri, atq́; pecuniæ cupidum tranſit: hæcq́; eſt differentia, quæ inter illos ordines, & dignitates intercedit.

dit.Nec

dit. Nec enim obſcurum eſſe poteſt, quæſtuarium ambitioſo uiliorẽ eſſe atq; deteriorem, quod ipſum ad gradum, atq; ordinem iſtorum attinet. Quocirca hic locus eſt maximè idoneus inquirendi, quamnam in Rempubl. ex ſeipſa, quæſtuaria ciuitas tranſeat. Quæſtuarius uilior ambitioſo.

PLATO *autem hanc ipſam, in popularem ſtatum permutari cenſet: ac uirum quæſtuarium in eum, qui ſit populari naturæ ſimilis permutari. Eo autem modo hæc ipſa fit permutatio, ſcilicet quod cum in paucorum dominio quæſtus pecuniarius ſolus ſit, qui maximè deſideretur, ideò coguntur primùm leges imponere, quæ huic propoſito utiles ſint. Qua de cauſa primum eorum inſtitutum eſt, ut cuilibet adoleſcenti ſit liberum res ſuas, atq; pecunias in quæuis cupiditatem, aut libidinem inſumere: eoq; pacto ad id tandem deuenitur, ut illorum facultates omnes diſtrahantur. Fieri enim nõ poteſt, ut hac in ciuitate ſimul gradu primo honorum opes collocatæ ſint, & ad temperantiam factæ leges condantur per aliquam neceſſitatem: quanquam quæ proxima conſequetur lex, à uirtute omnino aliena non ſit. At uerò cum & ſumptus, & uoluptates liberæ ſint, neceſſe eſt non paucos etiam ex generoſiſſimis quibusq; pauperes fieri, & cum eorum multitudo quotidie in hac ciuitate augeatur, parcos illos & auaros maximo in odio, maximaq; inuidia atq; deteſtatione apud eos eſſe par eſt, quoniam ipſi paupertatis, atq; indigẽtiæ eorum cauſa ſunt. Hinc certè multæ, ac uariæ in hac ciuitate leges exorientur inquit: & diuites quidem certè, ut qui præter accumulationem rei nihil aliud curent, ſeipſos molles plus nimio, atq; delicatos efficient. Multiplicatis uerò huiuſcemodi pauperibus in ciuitate, ut ſolent inter examina apum fuci nonnunquam frequentiores exoriri, dum ſe diuitibus comparant, ſiue in re militari, ſiue in domeſticis urbaniſq; negotijs, quæ communione ciuitatis coguntur ipſi obire: tunc ſe ualidiores, robuſtioresq; omni in re delicatis illis agnoſcunt, necnon illos uituperantes, diuitem eo modo, & eſſe, & fieri probroſum putant, & dedecorum. Itaq; Reſpub. huiuſmodi haud diſſimilis eſt ualetudinario corpori, et morboſo quod minima quaq; ex cauſa extrinſecus incurrente in morbos incidit: ſic quidẽ, & hæc ciuitas, ſi quam habeat aliam aduerſariam præſertim popularem, ij quos ſuprà diximus fuci populari ciuitati aduerſus ſuos opem ferent, ſimulq; in diuites illos coniurabunt, ut eos & uita, & fortunis ſpolient, aut in exilium pellant, aut redigant in ſeruitutẽ. Nec ſecus uerò quam corpus ipſum in ſeſe, quaſi diſſidentibus partibus & laborare, & cõmutari poteſt: ita quoq; hæc ciuitas inteſtino malo agitata, ac ſecũ ipſa diſcordans periclitari ſanè, ac tranſire in popularem poterit. Quod tum accidet, dum pauperes contra diuites coniurati eos ipſos ſubigent, ex quibus partim necabunt, partim in exilium mittent: non aliter quam in his, quæ nunc ſtant ciuitatibus, aduerſus opulentos pauperiores armari atq; congregari uidemus. Tum demum igitur conſtituto in ciuitate pauperum imperio, eò res redierit, ut omnes ſint ex æquo liberi, nimiaq; libertate omnibus omnia licita ſint. Cuiuſmodi certè imperium caſu quodam, & fortuna continebitur, in quo omnia ſint hominum genera confuſa, nemo dignitate aut honore præſtet, lex omnibus æquabilis, utpote*

Marginal notes: De mutatione quæſtuariæ in Democratiã. — Modus ſuperioris mutationis. — Similitudo.

Cōparatur Democratia cũ pallio uerſicolori. Cur? utpote qua, nec dignitas ulla, nec probitas excellat. Nec eſt ſtatus hic popularis uerſicolori pallio, atq; depicto diſsimilis, quo uelut ſpecioſiſsimo propter colorum uarietatem imprimis & mulieres, & pueri delectentur: ita hunc quoq; popularem ſtatum multiformem imprimis, & uarium prima ſpecie nō pauci pulcherrimum eſſe arbitrantur. At nihil eſt profectò prima huius Reipub. ſpecies, quippe cum ipſa ſit adeò corruptioni, atq; internicioni obnoxia, ſi non uirtute aliqua aut honore fulciatur, ut in his præſentibus ciuitatibus ac prioribus etiam popularibus perſpicuum eſt. Ex quo tamen genere optima Reſpub. exoritur, & reliquæ nihilo minus: in eo namq; in potentia reperiũtur, cum in hac Rep. omnes animi mores reperiantur. *Democratia primùm ſecundũ naturam, mox ex ea reliquæ.* Videtur enim primas ciuitates, quas natura protulit, neceßitatem ipſam omnino coëgiſſe: ſtatimq; ſunt populares conſecutæ, ex quibus uelut fontibus reliquæ omnes in ſuo genere emanarunt, ac uelut corriuatæ ſunt. Proptereaq; Plato dicebat hoc ciuitatis genus ſapientibus curæ eſſe debere, ut ex quo genus optimum, ac ciuitati optimæ maximè correſpondens eligi poſſet. *Similitudo.* Veluti ſiquis horreum omni genere rerum abundans inſtituat, ex hisq; rebus alias uenũdet, alias quæ ſibi placuerint in ſuum uſum religat. *Ex Democratia inſtitui poſſe aliam remp. optimam.* Inquit præterea ille, hanc ciuitatem, cum nullis rebus utilibus, ſiue bellicis, ſiue domeſticis muneribus ciues aſtringantur, interire facilimè. Nam & hic cernere eſt ſceleratos, atq; capitali ſupplicio digniſsimos, humani atq; diuini iuris contemptores. Hic etiam nulla cura eſt, nulla ratio earum rerum, quas in cōſtituendo optimo ciuitatis genere opportunas eſſe, & neceſſarias diximus. Quo errore hæc ciuitas non parùm ab optimo ſtatu recedet, etſi quis eam ſubitò uoluptariæ, ac delitijs fluenti ciuitati, aut non diſsimilem, aut eandem fortaſſe exiſtimet. *Epilogus dictorum.* Verũ hactenus de permutatione quæſtuariæ ciuitatis in popularem, deq; popularis ipſius differentia, atq; comparatione ad optimam, atq; ambitioſam.

De uiro populari, ſeu Democratico. NVNC uerò eſt conſequens de homine popularis ciuitatis ſimili, eiusq; mutatione diſputare. De eo itaq; dicendum eſt, talem uirum hoc in ſtatu ex eo fieri popularem, qui prius Oligarchiæ ſimilis fuerat, uelut ex paucorum dominatu ciuitas naſcitur popularis. Siquidem hic ob eruditionis et rectæ inſtitutionis penuriam, quæ in paucorum adminiſtratione eſt, propter ignauorum præterea, & ocioſorum copiam, quanquam ab eo natus ſit, qui inter principes ipſius Oligarchiæ ſit, neq; deſiſtat filium ſuum ad ſuos mores, genusq; dominij et uitæ attrahere, nihilo minus aliena & extera admonitione, tum ad abſolutam libertatem, tum ad uoluptates reuocatum. *Mores Democratici hōis quales.* Cuiuſmodi interpellatio libertatis, atq; uoluptatum ualuerit, atq; durauerit diutius, procul dubio in omnem cupiditatem libertatemq; licentioſam ſe dedet, ſuper neceſſarias etiam uoluptates, quas uelut à patre iam antea ſuppeditatas acceperat. Nō neceſſariarũ uerò, ac ſuperuacuarum illecebrarum maior cura eſt, ad quas per neceſſarias illas cupiditates tranſitus eſt. Eas autem intelligo, quibus ad uitam neceſſariò indigemus, ſicuti et potus aquæ, & cibi eſt deſiderium: quorum alterum humiditatem corporibus neceſſariam conſeruat, alterum uerò penetrare facit, & tranſmittit in corpus id *Voluptates neceſſariæ.* quod reſtauret, quod iam corpori deceßit, ac diſſolutum eſt. Sic ergò iuuenis ille

non neceſſarijs tantùm uoluptatibus addictus eſt, quinimò & cupiditatibus alijs, ut quæq; ueniunt in mentem: adeò ut nonnunquam ita ſe uino ingurgitet, ut ebrius planè, ac mentis impos efficiatur: tantum interdum aquæ hauriat, ut eius frigiditate, naturæ temperamentum obruatur: ſæpenumero in exercitationibus gymnaſticis, ſe quolibet genere pugnæ exerceat: aliâs & uita, & inſtituto ſit non diſsimilis illis, qui philoſophiam profitentur: contrà aliâs omni in re agenda ſocors penitus, atq; iners appareat. Ac (ne pluribus) eius mores planè ſint inconditi, atq; indefiniti: huiuſq; uitæ inſtitutum nimis delicatum, ac liberum nuncupari debet. Quod re uera ab humano propoſito alieniſsimum uideri poteſt. Siquidem homo, cum unicum finem ſpectet, debet eius quoq; conſuetudo uitæ, ſeu operatio incerta, ac determinata eſſe inſtitutione. Iuuenis igitur, qui ad hunc, quem paulò antè diximus, modum affectus fuerit, omnino Reipub. populari ſimilis erit. Qui ſi ita ſe habere ponatur, erit eadem iſtius ad reliqua genera comparatio, quæ Reip. popularis ad reliquas ciuitates. Atq; hic locus ſe offert quidem maximè idoneus, ad deſpiciendum in quod ciuitatis genus populus trāſferatur, & quæ illius ipſius commutatæ uis ſit: in quem deniq; uirum popularis iſte tranſeat: ac eius ipſius, qui ex populari exoritur, quis dignitatis gradus, quæ amplitudo, quæ felicitas.

Voluptates nō neceſſariæ.

Inſtabilitas morū ī Democratico.

HANC *igitur popularem gubernationem maxima ex parte in tyrannidē deficere Plato arbitratus eſt. Siquidem enim ex populari ſtatu ea ratione tyrānicus exoritur, qua popularis ipſe ex paucorum potentia. Non enim aliter ex paucorum adminiſtratione exit popularis gubernatio, quàm propter inexplebilem diuitiarum, atq; exceſsiuum quæſtus appetitum: qua ex cupidine populares ipſi non pauci neceſsitate ipſa fiunt pauperes, ſcilicet quos uelut inter apū examina, fucis ſimiles eſſe oſtendimus. Eadem quoq; cauſa eſt, quæ popularem ſtatum in tyrannicam dominationem conuertit, ſcilicet inſatiabilis, & libertatis, & omnigenæ licentiæ amor: quicquid enim exceſſu, atq; ſuperabundātia obruitur, neceſſe eſt in diuerſum penitus contrarium abeat: neq; hoc in his, quæ uoluntate aguntur, uerùm etiam in naturalibus uidere eſt. Sic igitur libertas ſumma cauſa eſt, ut fuci illi in ciuitate cooriantur, non diſsimiles his fucis, quos in potentia paucorum naſci diximus: quanquam hic tamen iſtorum non paulò maior copia eſt: illic enim in paucorum dominatu, principes ignauos huiuſcemodi homines, ac deſides, ac uoluptatibus diffluentes non amant, ſed ne tolerant quidem, quin potius omni opere oppugnant, atq; affligunt. Qua ratione in ſtatum eum tandem terminatur, ac deficit illa ciuitas, qui quæſtuarium inter, & tyrannicum medius eſt, popularis quidem ipſe, de quo nunc agitur. Ac in eo quidem, non ut illic inertes, atq; pigri odioſi ſunt, aut graues, uerùm omnibus accepti, & inter cæteros honorati maximè, habitiq; penè principum, atq; dominorum loco. Eſt enim huius ciuitatis, uel natura, uel conditio, ut cum libertas publicum inuaſerit, demū in ſingulas familias, in ſingulas domos ſe inferat: atq; eo uſq; permiſceat omnia, ut filiorum cum parentibus, ſeruorum cum dominis, mulierum cum uiris gradus, atq; conditio par ſit, & labefactatæ leges, & proculcatæ, ut nullius in ſe*

Tranſmutatur Democratia in tyrannidem.

Cauſa huius mutationis.

Vnde ī rep. oriātur fuci, ueluti inter apes.

Vna re differūt à fucis.

Nimia libertas quid efficiat.

dominium

dominium agnoſcant:atq; breuiter, nihil præter abſolutam, plenamq; omnino libertatem, aut uelint aut ſuſtineant, ac ut ſinguli quidem uelut omnium rerum pro libidine domini ſint, quando ſcilicet & quomodo libeat. Quæ neceſsitas certè incredibilem peſsimi fucorum generis multitudinem afferet, haud ſecus quàm aduerſa corporis ualetudo uitioſorum humorum, uelut pituitæ, bilisq; & flauæ, & atræ copiam ſufficit: ſic ſanè populus, hoc fucorum genere ſupra modũ pullulante, & graſſante, tranſit in tyrannicam adminiſtrationem. Quocirca omni cura cauere legiſlatores debent, ne genus hoc fucorum peſtilens ciuitatibus oboriatur: ac penitus diligentius ab illis agi debet, quàm à medicis, ne humores nocivi in corporibus exoriantur. Ac ſiquãdo hoc genus incipere, atq; enaſci animaduerterint, radicitus illud ac funditus excidant, & extra ciuitatem ipſam proijciant: quemadmodum pituitam quoq; de corpore humano, & utrãq; bilem medicus educit, proijcitq;. Quanquam non paulò minor, ut in re etiam grauiore leguunlatorum, atq; principum, quàm medicorum cura, & obſeruatio eſſe debet.

Similitudines duæ pulchræ, & accommodatæ.

Nemo enim hac in ciuitate naſci uidetur, qui cupiditatibus poſsit, & illecebris imperare. Verùm enimuerò (ut Plato etiam inquit) hominum tria ſunt genera in hac ciuitate naſcentium, quorum maximè ortus ad tranſmutationem ipſius in tyrannidem conducit. Horum primum eſt genus fucorum, quales iam antè deſcripſimus: qui uidelicet per omnem licẽtiam, atq; libidinem ſe libertate explẽt, cui generi hac in ciuitate laus eſt maxima, honorq; præcipuus expoſitus. Alterum eſt, idq; turpiſsimum, quod ſoli auaritiæ, ſoli quæſtui, reiq; conquirendæ ſtudet, & ex talibus maximam mellis copiam exprimit. Tertium uerò, ac poſtremum genus eorum eſt, quorum cura duntaxat in ſuis commodis uerſatur, ſuntq; reliquorum penitus utilitatis negligentes, neq; pecunioſi tamen admodum, neq; opulenti. Atq; hac in ciuitate illud genus opulentum reliquis illis duobus uelut prædæ, rapinæq; exponitur: ſiquidem illa hoc ſecundum quod poſſunt fortunis omnibus atq; facultatibus ſpoliant. Alterum quidem libertatis, atq; licentiæ cupiditati dictũm: alterum ea ratione potiſsimum, quod ſummam ſibi dignitatem opibus, atq; copia conſtare arbitratur. Ea re uera primorum illorum dignitas conſiſtit, quatenus popularis adminiſtratio producitur: idq; facultatibus, quas illi utcũq; quæſierunt, & deprædati ſunt inter plebem diſpertiendis. Itaq; (ut inquit) poſt iniurias huiuſmodi, & rapinas conſequens eſt, ut in hac ciuitate litigia, contentiones, accuſationesq; naſcãtur.

Tria hominum genera in Democratia pullulãt perniicioſa.

Ac populus quidem ipſe in unum aliquem conuertetur, ac ſpectabit, qui inter eos, quos libertati, & cupiditati deditos diximus excellet: huicq; fortunas ſuas omnes, uelut præſidio rerum ſuarum, ac propugnaculo committet, illiq; omnia neceſſaria ſuppeditabit, extolletq; in ſummam dignitatem. Qui uir nihilominus tandem adeò libertati publicæ infenſus, atq; hoſtis efficietur, et propriè pedetentim tantum erogabit, ut tandem populum maxima ex parte ſibi ſubijciat: eaq; ratione, & naturam, & officium tyranni ipſe obeat. Iam enim inde à principio dominij ſui officijs, operibusq; tyrannicis continenter ſe exercens, eò tandem peruenit, ut uerè tyrannus effectus ſit. Principio enim populum planè ſibi ſubditũ, ac obnoxium arbitratui ſuo nactus,

Cui populus maximè ſe ſubijciat.

Quomodo tyrãnus naſcatur in Democratia.

dius,ſeu corripere quempiam,ſeu perſequi, ſeu necare libeat,uelut contra odioſum hoſtem fieri ſolet,id quomodocunq; facere non deſinit: atq; ita nonnullorum hominum auxilio contra alios ad tyrannidem arripiendam utitur, ob generum hominum diuerſitatem,ut diximus, quæ in ciuitate reperiuntur, & præſertim contra opulentos,qui certè populo ſunt maximè odio.Neq; ceſſat exitia, ac cædes,crudelitatemq; exequi,quouſq; ſit maximè ciuiũ parti deteſtabilis,uiciſſimq; ipſe princeps odioſus: itaq; cogitur neceſſitate tyrannicum imperium inſtituere, ne alioqui à coniuratis contra eum in ciuitate inimicis interimatur. Cuius quidem rei exemplar quoddam eſt Cordubẽſium ciuitatis ſtatus:quæ cum quingentis annis à populo adminiſtrata fuerit,poſt hoc tempus per quadraginta annos iam tranſmutata eſt in tyrannidem.

Cordubenſium reſp. popularis in tyrannidẽ conuerſa

Quibus uerò gradibus tyrannus huiuſmodi ad eam ſæuitiæ, atq; crudelitatis rationem progrediatur, & quò eius tandem dominium,ac principatus eum deferat, quid quantumq; ab eo damni ciuitas ferat,quantum ipſe etiam à ſeipſo, ratione quidem atq; inductione oſtenditur. Principio enim homo is ſalutationibus facilis ac more etiam ipſo populo gratus,omnes quodammodo in officio retinere uidetur, ita ut eum non tyrannũ, ſed manſuetum,ac iuſtum eſſe ducant,quaſi qui æquitati,& rectitudini ſtudeat, præſertim inter eos ciues, quibus cum pecunias, & bona cætera partitur:ut nihil aliud quàm multitudinem, atq; ciuium cœtum curare, & regere appareat.

Gradus per quos tyrannus ad ſæuitiam tendit.

Iam uerò cum hoſtium exterorum partem ſibi pace,ac fœdere adiunxerit, partem ſuſtulerit bello,partem quomodocunq; repreſſerit, cum pacatè poſſit uiuere, nihilo minus noua ſemper bella ſolicitat,ut ea ratione facilius ciuium ſuorũ imperio abutatur.Ipſi enim bellicis ſumptibus exhauſti,minus reſiſtere illi, aut inſidiari poſſunt:quippe cum rebus neceſſarijs quærendis,ac quotidiano uictui cõparando aſtringantur.Quale certè quiddam noſtratibus accidit, qui celebris illius uiri Ibaniæ filij imperio adhæſerunt.

Nota hiſtoriam Arabicam.

At ille præterea putabit eſſe in populo nonnullos,quos ipſe timere deberet, eoſq; potiſſimùm, qui inter cæteros ditiſſimi, ac potentiſſimi ſunt:utiturq; omni arte, & induſtria ad illorum exterminationem et interitum, ita ut eos trucidandos hoſtibus per occaſionem ſubijciat,in pugnamq; eos mittat. Sic enim neceſſe eſt, eum odio habere ſimiles ſibi uiros,qui certè apud eum auctoritate, atq; officio plurimùm poterant.Et certè his, quæ diximus, agendis non minima inimicitiarum aduerſus eum cauſa contrahitur.Ex quo conſequens quoq; eſt, eum id tota opera agere, ut huiuſmodi uiros potentes,potentiaq;,& magnanimitate cæteris præſtantes è medio tollat, atq; ita ſibi ciuitatem ſubiuget:neq; hæc agens cogitanſq; ceſſat,quouſq; ab hoc hominum genere ciuitatem purgauerit.

Tyrannus potentes, et magnanimos tollit.

Sanè quidem purgatio ea eſt ei contraria omnino,qua medici curandis corporibus, & ſapientes in conſeruandis optimis Rebuſpub. utuntur. Siquidem ij,quod deterrimum eſt eijciunt: tyrannus cõtrà,quod optimum eſt extrudit.Itaq; tyrannum tandem, aut non uiuere omnino neceſſe eſt:aut ſi uiuat, cum improbis, ac maleficis & capiti ſuo infenſis uitam degere.Neq; dubium eſt, quin quò infenſiores ſibi ciues reddiderit, eò pluribus quoq;, ac fidelioribus ad cuſtodiam ſatellitibus indigeat:quos certè ſibi exteros,

Similitudo per contrariũ ſumpta.

ac peſſimos

Amici tyrānorum qui.

ac peßimos quoq; ex omni gentium, ac populorum colluuie mercede comparabit. Ii inquàm erunt ſui amici fidelißimi, qui illos priores, à quibus iſte fuit conſtitutus princeps populi, maximè infeſtabunt, & affligent. Eò deniq; res flagitij, atq; dedecoris prorumpet, ut cum ad exercitus alimoniam, atq; ſtipendium, rerum copia deſit, ad ſacras, ſi quæ in ciuitate occurrant, opes uiolādas, diripiēdasq; conuertatur: nec minus eorum facultatibus, ac fortunis abſtinebit, qui ipſum dominum conſtituerunt. Quæ iniuria, ſi diutius exerceatur, eumq; cognouerit huiuſmodi populus præter opinionem quam de ipſo, dum rerum dominiū traderet, concepiſſet (neq; enim eum aliam ob cauſam rebus adminiſtrandis impoſuit, quàm ut à diuitibus qui & maximi, & optimi uidebantur, liberaretur), nec certè ulterius inſolens, ac proteruum iſtius dominium feret, conabiturq; oppreſſorum ciuium, omnibusq; fortunis exturbatorum multitudo, illum ex ciuitate detrudere: ille contrà, ut potentior aſtrictiori ſeruituti ſubijciet, arma auferens, & alia ferè libertatis inſtrumenta. Neq; aliter, aut maiore ſucceſſu hic ſub hoc tyranno ſeruitutem commutauerit, quàm qui fumum fugientes imprudenter ſe in flammas conijciunt, ac minus periculum uitantes, in deterius atq; crudelius malum incidunt. Ille ſiquidem eò tyrannum ſibi dominum conſtituerat, ut leuem aliquorum ſeruitutem effugeret, uerùm enim in duriorem, minusq; tolerabilem incurrit. Neq; uerò tyrannica hæc iniquitas ratione tantùm, ac ſermonibus cognita eſt his noſtris temporibus, quinimò cum ipſo ſenſu, tum etiam multorum experientia, & teſtimonio. Itaq; hactenus nobis dictum ſit, popularis Reſpubl. qualiter in tyrannicam conuertatur: quæ inibi ciuium & fortuna, & conditio ſit.

Tyrannorū rapacitas.

Similitudo.

Quomodo ex populari tyrannicus fiat.

NVNC *de uiro ipſo moris, animiq; tyrannici dicendum, quo pacto uidelicet ex populari illo in naturam, ingeniumq; tyranni deſciſcat: quærendumq; hic, uir cuius uitæ cenſendus ſit, miſeræ'ne et infelicis, cuiuſmodi Reſpub. illa eſt, quæ tali opprimitur dominio. Itaq; cum Plato eum uirum deſcripſerit, ut cupiditatibus minimè neceſſarijs obſequentem, aut addictum melius, dicamus ipſum ideo Platonem ſtatim ab his cupiditatibus exprimendis, indicandisq; incipere: moxq; ipſe reuertetur ad explicandam rationem, qua ex populari ille tyrannus efficiatur: deinde quàm miſer ſit, quàm infelix, et quantum cum ciuitate tyrannide oppreſſa ſimilitudinis habeat.*

De miſeria tyrānici uiri.

NON *neceſſarias ergò cupiditates aſſerit, quæ in ſomno excitantur, atq; commouentur. Per eas autem feram illam, ac brutam partem intelligit, quæ rationali dormiente maximè excitatur, tanquam ſopito, atq; ſomno oppreſſo domino. Pars etenim illa fera, atq; inhumana in ſomno, dum uelut à rationis dominio libera eſt, ab omniq; cogitatione, nulloq; reſpectu cohibita, nihil eſt certè tam nefarium, quod timore ullo, aut religione exhorreat: quæ duo inter uigilandum, non paucos affectus continere ſolent inhoneſtos, & uoluptates nefarias.*

Rationali parte collapſa quid cō ſequatur.

PARTE *igitur rationali labefactata, aut impedita, leges oēs, ac inſtitutiones rectæ maxima ex parte depereunt: aut ſi quid fortè ſupererit, hoc non niſi minimum quiddam, ac debiliſsimum eſſe poteſt. Quod ſi homo diligentem rationis*

tionis illius curam ſuſceperit, nihil tale quale nunc dicebamus patietur in ſomno: quin etiam pars illa rationalis per ſomnum id, quod uelut per maximas uigilias aget, adeò ut nihil contra leges, contra æquum, & bonum concipiatur, aut cogitetur. Ideoq; hunc qui rationem curat, uirum diuino: alterum, qui eius ipſius negligens eſt, fero ac beſtiali homini comparat. Vir diuinus quis, & uir ferinus quis

EA igitur parte cupiditatum minus neceſſariarum explicata, ad eam rationem ſe refert, qua tyrannicus uir conficiatur ex populari: ſicq; inquit, popularem cum eſſe, qui ab ætatis initio ea ſit affectione imbutus, ut nihil uoluptatis non neceſſariæ requirat, neq; quicquam magis, quàm quæſtus copiam, ac lucri. Qui ſit popularis homo. Verùm enimuero, cum hic iuuenis inter eos uerſatus ſit, qui ſe totos libidinibus, ac ſuperuacuis illecebris tradiderunt, ſitq; natura illis compoſitiore, atq; meliore, paterq; ipſius, quam poteſt maximè ad ſuum uiuendi inſtitutum adducat, cõtrà perditi illi ad uitam maximè frugalitati contrariam retrahant: ita ſanè eum ipſum neceſſe eſt in diuerſa tractum, mediam quandam moris utriuſq; affectionem nanciſci, moderatè quidem, ut ipſe putat, illorum utrũq; ſequutum: ut certè, neq; non illiberè omnino, neq; diſſolutè uiuendo, ex paucorum potentiæ ſimili in popularem commutetur. Quomodo corrũpatur popularis homo.

INQVIT rurſus Plato. popularis huiuſmodi uiri, iam ætate prouectioris filium eſſe ponamus, qui à teneris unguiculis patrijs ſub moribus educatus, in eã ſortem incidat, quam parenti ipſius contigiſſe diximus, uidelicet ut ſolicitetur ab his, qui legis, ac morum tranſgreßionem ſuadere ſoleant, ac ad integram libertatem trahant, concurrẽte ex altera parte omni ſtudio, atq; opera ipſius genitoris, ut huiuſmodi uoluptates oriantur in eo: accedat, quod uel affines, uel domeſtici, familiaresq; nonnulli id, quod in patre non fuit, eius cupiditatibus obſecundent, ita ſanè citra controuerſiam uehementius, ac præter modum in uoluptates huiuſmodi ſe dabit non modicè, ut de patre diximus. Ipſe enim non habet, è diuerſo qui in alterum extremum retrahat: nec certè ei contingit in quoſcũq; incurrere, à quibus ulla opera reprimatur, quin potius omnes, quibus occurrit, offendit authores libidinis ſuæ, atq; uoluptatis, quin cum etiam ad dominandum inuitent, incendantq; omni ſtudio. Quibus certè rebus fucum peiorem, ac deteriorem fieri planum eſt ijs, à quibus ſolent apum examina uexari. Ipſe ſiquidem, dum ſe in uoluptates deuoluit ſuperuacaneas, ut ſunt ebrietas, unguentorum, ac rerum odoratarum inane ſtudium & (quod breuius dicatur) cuiuſcunq; generis ſint oblectamenta, ac maximè conſuetæ hominibus uoluptates: dum igitur in eas ſe præcipitat, & immergit, quaſi ex ſeipſo, ideſt, à ratione & mente excedit: atq; ita extra ſe poſitus cupiditatibus illis agitatus, ſtimulatusq; fucis quidem etiam ipſis, furit planè, ac ſummè perturbatus in inſaniam, ac dementiam quandam dæmoniacam conuertitur. Qua etiamnum percitus, ſi quas ſanas intus opiniones, aut uoluptates frugales reliquas offenderit, euellit penitus, atq; abijcit. Ergo tyrannus huiuſmodi (eum autem intelligo, qui præſtantioris animæ partis prorſus eſt negligens) furioſo, atq; ebrio, intellectu, ac mentis oppreſſu perſimilis eſt. Ac ſanè in hunc modum furioſus non tantùm De popularis uiri filio Quomodo paulatim popularis tyrannicus fiat. Tyrãnus furioſo ſimilis

ad imperium

ad imperium hominum aſpirabit, ſed deorum etiam immortalium dominium, ſi poſſet, ſibi acquirere conaretur. Et in hunc quidem modum tyrannus non perperam deſcriptus ſit: nec quæ à nobis commemorata eſt eius ex populari commutatio contraria uidetur, aut aliena. Erit autem qualis à nobis deſcriptus eſt, tum maximè, quando uel natura ipſa, uel ſtudijs in eum concurrant omnia, quæ à nobis enumerata ſunt. Hæc autem ut ſunt à Platone explicata, mox differere incipit, huius ipſius uiri, de quo dicimus, quæ ratio ſit uitæ, qui mores, quæ conſuetudo.

Cōſuetudo, ſeu commerciū tyrannorum.

Vbi certè illum inter uoluptatum omnium abundantiam, & aculeum debacchari oſtendit, ad uoluptates omnia compoſita, ut ſunt deambulationes, porticus, balneæ, ſpatia gymnaſia, theatra, & (ne multis) indulgere quidem omnibus, quæ amorem iſtum impudentem, uenereum, atq; immoderatum confirmāt: qui amor in ipſo maximè uiget, habetq; in reliquis animi partibus dominium, ac regit, ut nauem gubernator ad libitum regere ſolet. Ac uir equidem talis, nunquā aſciſcendi nouas uoluptates, ac prioribus adiungendi deſiſtit: quin nouæ in eo quotidie libidines oriuntur, ut quæ in arboribus alienigena germina pullulent, & alia id genus.

Voluptates ſectatur tyrannus, & eſt prodigus.

Quibus omnibus non ſine ingenti ſumptu obtemperari poterit. Ac demum ſit quāuis opulentus, & locuples, nihilo minus omne confeſtim patrimonium prodiget: moxq;, cum præſenti ſumptu indigeat, neceſſe erit pecunias fœnori accipiat, & multa neceſſaria ab alijs mendicare: cūq; ſemper ulterius inſtantes cupiditates incitent, ad ea etiam quæ aſſequi non poſsit, et præſertim amor ille inſolens uenereus urgeat, qui reliquis cupiditatibus ipſe imperatur: eò uſq; (quemadmodum inquit Plato) ut nihil ſit, quod concupiſcere ille non audeat, nec ſe coerceat, adeò ut & columborū educatione oblectari etiam non negligat.

Amor Venereus in tyranno.

Qua de re unum de duobus illi accidere neceſſe eſt, aut eum quæcūq; deſiderat ratione qualicūq; uſurpare: aut ingenti triſtitia, immanibusq; doloribus affici, haud minoribus certè, quàm quibus uel parturiens mulier: uel quiuis ægrotus maximè cruciatur.

Similitudo.

Quod ſi partem patrimonij conceſſam iam ſibi à parentibus prodegerit, amplius ei ſi quid ſupererit efflagitare, & in uoluptates inhoneſtas erogare non uerebitur: quod ſi minimè illi aſſenſi fuerint, ad blāditias primùm, mox ad furta, poſtremò ad uim, ac paternæ pietatis uiolationem ſe conferet. Cui impietati aliquantò obſtinacius ſi ſe parentes oppoſuerint, aduerſus eos ipſos tyrannum, omnis officij immemor aget: ut neq; tandem, ſi res ita tulerit, paterna cæde abſtineat nefarias manus. Quod genus flagitij paſsim nos per ciuitates noſtras uidimus contingere.

Tyrannus etiam parricida eſt.

Ad hæc, tyrannicus ille filius, ſi cuius non neceſſarij amore captus ſit, ac eorum maximè, qui delinquentem eum, & adiuuant, & celant: illi certè uidebitur non iniquum eſſe eorum gratia amicos ipſos neceſſarios explodere, maiores ſcilicet ſuos, auos, parētesq; eorum ipſorum, quos minus neceſſarios amat, nimium arbitrio, ac libidini ſubijciat. Atq; ea demum eorum fortuna eſt, quibus aut natura, aut moribus filius tyrannus efficitur. Conſumptis deniq;, ac profuſis parentum facultatibus, cum nihil ipſe tantum conſequi poſsit, quo magnitudinem cupiditatum expleat, ſacra, ac templa tandem diripiet, inſeſsisq; itineribus uiatores, quot incident ſpoliabit, prædas

Diripit ſacra tyrannus.

das undecunq; poterit aget: ac deinceps omni temporis proceſſu magis, magiſq; adaugebuntur cupiditates, maximeq; imperator ille reliquarum amor uenereus inhoneſtus dominabitur: adeò ut, quæ uſq; à tempore pueritiæ, dum ſub legibus paternis inſtitueretur, bonæ opiniones ſupererant, penitus euellantur. Erat au*tem à principio in populari inſtituto, ac uita educatus: nunc uerò interuentu tot furioſarum libidinum, talis eſt uigilans (ut* Plato *inquit) qualis olim dormiens erat, nullius rei abſtinẽs, nulla religione, nullo cuiuſq; rei timore deterritus.* Quo*ties ergò aliquot tales in ciuitate populari fuci, ſeu coorti ſunt, ſeu aliunde confluxerint, qui inter cæteros potẽtia, atq; facultatibus ad uoluptates præualeat, à reliquis tyrannus conſtituitur omnium, ac dominus, idq; imprudentis populi conſenſu, & auxilio. Sic autem conſtitutus, uelut ſuperius patrem ſibi, ac matrem ſubiecit, ſic hic quoq;, & patriam ſuam, ac omnium maiorum ſuorũ matrem ciuitatem, toto conatu ſubiget. Si uerò pauci in ciuitate fuci tales exiſtãt, quos probi ciues increpent, tunc potentiſſimum ſibi ducem ex ſuo corpore conſtituunt, aut foris bellum gerunt, aut domi omne genus flagitiorum exercent, parietes fodiunt, ad cædes, ad rapinas conuertuntur.*

A fucis conſtitui tyrãnum.

QVICVNQVE *præterea tyrannus eſt, hac quidem natura eſt, ut nullum ipſe ciuium uerè diligat, neq; ipſi inter ſeſe diligere ſtudeant.* Quocirca *adminiſtratio ipſa tyrannica iniqua eſt, & iniuſtiſſima, cum ſit maximè contraria ei ciuitati, quam nos ſuperius primam, atq; optimam deſcripſimus, à qua hæc plurimùm, uelut peſſima diſtat.* Eſt *quidem certè regnum omnium ſtatuum beatiſſimum, atq; optimum.* Iccirco, *cum non aliter ciuitas à ciuitate, quàm uir à uiro diſcrepet, conſequens eſt, ut nemo, neq; rege ſit optimo beatior, neq; tyranno miſerior eſſe poſſit.* Etſi *ciuitatis ad aliam ciuitatem collatio clarior ſit, quàm uiri alicuius ad alterum, nihilo minus tamen, ſi utrobiq; una, atq; eadem comparatio eſt, ex illa ciuitatum inter ſe, etiam hæc uirorum comparatio clara fiet.* Ita *enim, dum quæ ciuitatis propria ſunt natura, & quæ præterea accidunt, cognouerimus; facile erit uiri quoq; ſimilis iudicium ferre.*

Tyrannus nullum ciuẽ amat.

Rex beatus.

Tyrannus miſer.

ATQVI *nihil eſt manifeſtius, quàm tyrannicam ciuitatem maximè omnium ſeruitute opprimi, atq; à libertate abeſſe quã plurimum: ſic quoq; certiſſimum eſt tyranni ipſius animum omni ſeruitute, atq; indignitate opprimi, utpote in quo pars ipſa uiliſſima, ac fœdiſſima dominium obtineat, reliquis quæ præſtantiores ſunt ſeruientibus. Serua inſuper ciuitas, uelut alieni iuris, minimè id, quod uult, aut cupit, poteſt agere: aut fortè, ſi agat id, minimum quidem, ac nullius momenti eſſe neceſſe eſt.* Tyrannorum *ſimiliter animus, uelut durè, & miſerè ſeruiens, ſemper lamentatione, ſemper mœrore, ſemper triſtitia, ac rerum omnium inopia laborat.* Etenim *ciuitates tyranno ſubditas inopes quidem neque unquam neceſſarijs affluentes eſſe conſtat: ita quoque tyrannicus animus ubiq; inops, ubiq; famelicus, atq; indigens.* Et *quẽadmodum (ut inquit* Plato*) ciuitas, quæ ſub tyrannide eſt, omnia formidat: ſic tyrannus ipſe nunquam eſſe ſibi in tuto uidetur.* Et *quemadmodum illic frequentiores querimoniæ, frequentiores fletus, ac gemitus, quàm uſquam gentium eſſe ſolent: ſic nemo cupidi-*

Animus tyranni ſeruilis.

Analogia inter tyranni animum & ciuitatem à tyrãno oppreſſam.

nibus magis pernicioſis, magiſq; luctuoſis, quàm tyrannus afficitur. In eumq; morem Plato ciuitatibus ipſis uiros illarum aſſimiles comparat. Et quandoquidem (ut dictum eſt) ſimilitudo, quæ inter optimam, & tyrannicam intercedit, apertior eſt, quàm quæ inter ſimiles illis uiros: ob id, uelut exemplo tyranni ipſius naturam, atq; conditionem expoſuit. Etenim temporibus illius magno in honore, & frequenti uſu erat imperium tyrannicum: quod etiam erat poëtarum carminibus decantatum, & celebratum, quaſi liberum quoddam, ac legitimum dominium iuſtumq; eſſet. Ipſe quoq; poëtas non paucos in his noſtris ciuitatibus natos cognoui, qui hoc dominij genus optimum eſſe putarent, & imprimis requirerent, utpote in quo ſuam quandam dignitatem, auctoritatemq; retinerent.

Tyrãni magno in honore habiti ætate Platonis.

Nota.

Qualis ſit tyrannus erga ciues.

Dicit *præterea* Plato, *nihil obſcurum eſſe tyrannum ſe erga ciues ita gerere, qualiter erga ſeruos dominum: ut ſcilicet opulentum quempiam eſſe fingamus, & mancipijs imprimis eum abundare. Quæ ideo non ſunt formidabilia iſti, quia fretus ſit reliquis ciuibus ſuis, quos duplo plures, quàm ſeruos, eoſq; liberos omnes habet. Quod ſi ſeorſum ab alijs ciuibus cum uxore, ac liberis, facultatibuſq; omnibus inter tot ſeruos habitaret: tunc, utpote ubi nullum à liberis hominibus auxilium præſens, promptumq; eſſet, illum nónne par fuerit de ſe imprimis, de uxore, de liberis timere? deq; rebus ſuis omnibus, tanquam omnia illa ob ſeruos uerſentur in diſcrimen? Ac tandem quid faceret aliud, niſi nonnullis ex ſeruis ipſis adblandiretur, ac polliceretur quàm plurima, cogetur tãdem omnes, uel aliquos ſeruos claudere, eorumq; aliquos quandoq; ipſe uinculis ligare, multaq; illis neceſſaria parare, ac nulla apparente ratione ad id cogente, numerare. Et certè eo ſe modo gerere cogitur, eoq; diſcrimine, ac timore uiuere, niſi ſe cum ſuis omnibus perire malit. Age uerò, alios circũquaq; mortales proximos illi circundemus, qui haudquaquam patiantur alterum alteri dominari, quanta eum inopia, quanta anguſtia rerum, & difficultate aſtrictum putabimus, qui uelut carcere quodam clauſus eſt? Hæc planè conditio eſt ipſius tyranni, taliq; carcere perpetuò coërcetur, ſemper fame, ſemper timore uexatus, nunquam ſibi imperans, nunquam uſq; eò compos ſui, ut egredi uſquam liceat, nec reſpicere quidem quod placeat liberum eſt: uerùm ita incluſus muliebrem uerius uitam agit, quàm uirilem. Hæc inter cætera huius uiri mala, hoc minimum eſt, quod cum ſibi ipſi imperare non queat, alijs dominari enititur. Quod perinde eſt, ac ſi imbecilli quis, atq; ægro corpore, ſeu ualetudinis, & ſalutis negligens, alienæ ſanitatis ſatagere incipiat. Qua de re quis omnium, quæſo, grauiori ſeruituti illigatus eſt, quàm tyrannus? cuius appetitus, atq; libidines nulla induſtria, nullæ opes implere ualeant, ſemper in mœrore, ſemper in anguſtia, ſemper in deſiderio, quo ipſo animus maximè inops exiſtit, exinde inuidus, iniuſtus, omnis amicitiæ expers, illos ſiquidem affectus, cum iam antea accepiſſet, tunc multo magis ex obtentu tyrannidis adeptus eſt: ex quo etiam eſt conſequens, infortunatum eum eſſe, & infelicem. Adde etiam, quod qui, aut fortuna, aut caſu in ſublime euehũtur, ſæpenumero miſerabili ruina in infima recidunt: quod adeò ſua ſponte conſpicuum eſt, non ratione tantùm, uerùmetiam ſenſu. Atq; adeò in huius ſermonis cõpendio,*

Conditio tyrannorum.

Similitudo.

Caſus multorum tyrãnorum.

pendio,& ciuitatum ſuperiorum ordo,& earum ipſarum felicitatis, infelicitatisq́; gradus,ac ſeries,nec non eorum,qui in his ipſis dominantur, conditio manifeſta eſt: ita ut beatiſsimus omnium ſit probus rex,miſerrimus, ac deteſtatiſsimus tyrannus.Atq́; hactenus de ciuitatum illarum natura, et mutatione inter ſe, hominumq́; etiam ſimilium à Platone diſputatum eſt.

Epilogus. Regem eſſe beatiſsimũ, Tyrannum miſerrimũ.

POTEST *autem aduerſus ea quæ diximus opponi,ut ſi uerum ſit,quod à* Platone *dictum eſt,ſcilicet harum ciuitatum eam eſſe rationem,ut alia alij cõtraria ſit, quemadmodum inter ſe optima ciuitas, & tyrannica ſunt contrariæ: quoniam inter talia contraria medium intercedere neceſſe eſſe, uideatur uelle harum ciuitatum inter ſeſe commutationem non niſi ordine fieri.* Quod *tamen hic non ita eſt, cum non per media commutatio fiat,ut à natura fieri ſolet.* Na*tura etenim ipſa non, niſi per media, quæ intercurrunt contraria, aut conciliat, aut permutat.*

Obiectio.

ENIMVERO *res ipſæ,de quibus tractatur,uoluptatis ſunt tantùm,nõ naturæ: undè quodammodò his ipſis in ciuitatibus etiam ſingulis, omnium quas deſcripſimus naturæ comprehenduntur, ea ſcilicet facultate,ut quæuis in aliam quamlibet transferri poſsit,atq́; mutari.* Dicimusq́; *hanc qualemcũq́; ciuitatum tranſmutationem à* Platone *poſitam,ita non intelligendam eſſe, tanquam omnino neceſſaria ſit,uerùm tantummodò,quod ita frequentius accidat.* Cuius *rei cauſa eſt, quoniam ſi in ciuitate quis ab ineunte uita inſtituatur illius ipſius ciuitatis moribus,tametſi natura ipſa ſit maximè legibus illis contrarius, nihilo minus tanta inſtitutionis illius,atq́; educationis uis eſt, ut imbutus ipſe ciuitatis moribus à natura ſua,ciuitati illi contraria,recedat maxima ex parte: ita ut, ſiquid à ciuitatis moribus diſcrepet,non eò usq́; tamen, ut non poſsit ad illius ciuitatis mores transferri.* Quæ *ipſa etiam eſt cauſa,quod nulla ſit tam praua, tam peruerſa hominis natura,quæ inſtitutione non poſsit ad humanas uirtutes formari.* Nonnunquam *uerò,rarò admodum tamen, id prohiberi poteſt: quod quidem in prima huius ſcientiæ parte iam probatum eſt. Ibi etiam comprobatum eſt,uiam ad actiuas uirtutes aſſequendas unam,conſuetudinem ſcilicet,eſſe: quemadmodũ ad ſpeculatiuas ſcientias doctrinam ipſam,ſeu diſciplinam.* Ergò *homo,ſi in mores alios,quàm quibus imbutus eſt redigetur, hoc niſi conſuetudine,legibus,atq́; inſtitutis uariatis fieri non poteſt. At uerò in* Repub. *præſertim quidem in optima illa, non ſtatim leges, conſuetudinesq́; mutantur, ob uſum ſcilicet diutinum uirtutis,moresq́; ipſos optimos, confirmatosq́;,in quibus ſunt ciues exercitati, atq́; inſtituti: imò uerò dum mutantur,ſenſim id fit,nec niſi in ſimiliores,ac propiores primùm tranſeunt: ac ita neceſſe eſt affectus ipſos,atq́; habitudines, ſeruato deinceps ordine ſubinde immutari, quousq́; ad ſupremam corruptionem peruentum ſit,in qua, uelut in extremo omnium graduum peſsimi,& perditiſsimi mores inſunt.* Exemplum *autẽ horum omnium facilè eſt ex his moribus colligere,qui haud ita pridem apud nos cœpere, & iam annum quadrageſimũ progreſsi,imprimisq́; per potentiſsimos quosq́;.* Ex *quo enim ſtatus ambitioſus irrepſit,in quo enutriti illi ſunt,iam, etſi in pauciſsimis eorum, optimæ ciuitatis*

Solutio.

Conſuetudo quantũ poſsit.

mores, ac ſtudia remanſerunt, præſerti m in uiro uirtute inſtitutorum legalium prædito. Deniq; cum ſuperiora illa Plato abſoluit, cupiditates quidem ipſas inter ſe ita comparat, ut palàm ſit, quæ quemq; iſtorum conſequatur: quæ ſanè comparatio ſic abſolutior eſt, & plenior.

Tria genera morũ animi.

QVIBVS *explicatis demum ipſius de partibus huius ſcientiæ neceſſarijs ſermo terminatur, quod nos declarare in animo habuimus. Itaq; inquit Plato cum uires, ſeu mores animæ tribus uideantur comprehendi generibus, quot ſunt etiam ciuitatum diſtincta inter ſe genera, prima eſt pars animæ, qua homo ſapientiam amat, et affectat. Secunda, qua finem diligit, partim moderatè, ut ambitioſus: partim nimium, & in exceſſu, ut tyrannus. Tertia additur, quæ concupiſcentiæ eſt, utilitatem maximè affectans. Voluptatum idcirco genera tria eſſe neceſſe eſt, quæ unicuiq; horum correſpondent: cum nemo ambigat ipſas uoluptates, ueluti quandam umbram corpus inſequentem, eas illa inſequi. Hic autem Plato, ad harum uoluptatum indagationem, quæ uidelicet earum eligibilior ſit, utitur argumentatione Topica. Ita enim inquit, ſi ex iſtis tribus hominum generibus unũ quemuis interroges, quæ uoluptas illarũ trium dulciſsima eſſet, equidem ſuam quisq; duabus reliquis anteponet. Deinde ſubdit ipſe inſignem quendam locum, qui in ſecundo Topicorum libro ab Ariſtotele explicatus eſt, dicitq; in hunc modum, Delectum, atq; iudicium ſapientis cæterorum ſententia uerius eſſe, atq; præſtantius. Idq; ſic probat, quod duo præſtantiſsima ad iudicandum, ac examinandum inſtrumenta penes ſapientem ſolùm ſint, ea autem experientia, & ratio appellantur. Ergò philoſopho in dijudicandis, deligendisq; uoluptatibus, tum ratione, tum experientia credendum eſt. Et experientia ſanè uoluptatum, quam iam inde à pueritia ſumpſit, dotatus eſt, reliqui duo nullam omnino ſapientiæ experientiam, nullam uoluptatis illius ſenſum perceperunt: atq; id de experiẽtia. De ratione. Quis omnium tandem ratione, niſi Philoſophus res inſpicit? nam uulgus ipſum quo tandem modo oblectamenta maximè percipit, niſi cum doloris aliquid contrarij ſuſtinet? ut ægrotos tandem ita ſanitatem laudare uidemus, ut nihil dulcius, nihil amabilius eſſe fateantur: ut ſanitatis ipſius ſenſum, tum demum habere uideantur, dum morbo aliquo laborant. Similiter opulentiæ ſummæ ſunt in paupertate extrema laudes: & tamen nihilo magis neceſſe eſt rebus ſuauibus per ſe, ut tales ſint, aliquid contrarium, atq; moleſtum antecedere, uelut palàm in uidendi, audiendiq; ſenſu, ac cæteris fieri uidemus: Ea multò etiam præſtantiora delectamenta putanda ſunt, quæ ipſa, ut ſentiantur contrario aliquo præcedente non indigent. Hunc uerò ſermonem aliquantò prolixius Plato extrahit, id tantùm ut probet quantum ignorãtia omnes homines, præter Philoſophum, uel ipſis in uoluptatibus æſtimandis hallucinantur, quantũq; ea in parte cæteris philoſophi præſtent. Verùm ea ratio, qua utitur, nihil habet cum demõſtratione commune, ob idq; eſt à nobis magna ex parte prætermiſſa: & tantum ex rationibus ipſius exponendum accepimus, quantum nobis demonſtrationis ſpeciem habere uidebatur.*

Tria uoluptatum genera.

Plato utitur argumẽtatione Topica.

Locus Topicus ab Ariſtotele ſumptus.

Ex cõtrario malo bona dijudicãtur.

Præſtantiora bona eſſe quæ per ſe ſine contrario iudicantur.

Argumentatio Platonis

EST *enim poſt aliquod interuallum, hac ratione uſus, fames, & ſitis, quemadmodum*

admodum corporalis habitudinis quædam exinanitiones ſunt: ita ignorantia, atq; imprudentia ſunt quædam animi uacuitas, & inanitio. Neq; aliter animi peritia, atq; intelligentia replentur, quàm alimentis corpora reficiuntur. Ea autem meritò præſtantior, atq; ſolidior repletio eſt, quæ ex eo quod præſtantius eſt, & melius cõficitur: id enim quod ita præſtat aliquãtò uerius, aliquãto maius eſſe uidetur. Atqui res ipſæ tãtò excellẽtiores ſunt, ac glorioris, puriorisq; ſubſtãtiæ, quò magis ad res appropinquãt, quæ ſunt æternæ, infinitæ, immortalisq; ueritatis, & perpetuò manẽt: contrà de his, quæ maximè diſtant ſentiendũ eſt. Qua ratione id, quo animæ defectus, & uacuum illud qualecũq; eſt, expletur, multò uerius quidem eſt, et melius, quàm id, quod corporis euacuationi ſummittitur. Neq; id ſanè iniuria, cum anima ipſa ſit æternarum rerum ſubſtantiæ multò magis cognata, multò magis propinqua, quàm corpus, eò ipſo quod illi ad cognitionem, atq; uoluptatem ſubiectum eſt, æterno atq; immortali. Nam hic in anima repletionem ſapientiam intelligimus, atq; cognitionem.

Similitudo.

Res puræ quæ.

Repletio animæ quæ.

A D *hæc, quò quid uerius eſt, quò præſtantius, atq; durabilius quid eſt, eò huius ipſius uoluptas eſt optabilior, ſiue de intellectus delectatione intelligamus, ſiue de alia quauis. Iam uerò aliæ omnes delectationes momentaneæ ſunt, et quaſi puncto temporis corrumpuntur, propterea quod ſunt contrarijs ſuis ubiq; permixtæ: intellectus uoluptas nihil, quod uſquam ſibi aduerſetur reperit, eaq; ratione, aut æterna eſt, aut ſi fortè intereat, non ex contrario id fit, ſed ex uariatione quadam, ac mutatione, quæ ei oboritur. Hæc autem Platonis ratio omnino (ita me* D E V S *amet) demonſtratiua eſt.*

Voluptas quæ præſtãtiſſima.

D I C I T *præterea uoluptates ipſius intellectus ideo pro maiori parte præſtantiores reddi, quia intellectus eas efficit. Id uerò quod eſt cauſa, ut aliquid ſit præſtans bonum, id ipſum quidem longè præſtantius erit, & melius. Conſequens ergò eſt, ut iudex (ſcilicet intellectus) adipiſcatur, & cognoſcat maximè, atq; optimè omnes uoluptates: hoc autem uerũ eſt. At ratio illa, qua utitur, ſcilicet quod id, quod eſt cauſa ut aliquid ſit præſtans, illud idẽ præſtãtius erit, probabilis quidem ratio eſt, & famoſa & celebris, nõ demõſtratiua, ut Galenus putabat, dialecticæ imperitia deceptus: qui has omnes Platonis rationes demonſtratiuas eſſe aſſerit, cum una tantùm, quàm oſtendimus, demonſtratiua ſit inter omnes, quibus comparandis, dijudicandisq; inter ſe uoluptatibus utitur.*

Voluptates intellectus.

Galenus decipitur putans omnes Platonis rationes eſſe demonſtratiuas.

D E V S *tibi optimus maximus uitam diu proferat, ac honorem, uir præſtantiſſime. Hæc uerò eſt ſententiarum ad ſcientiam huius ciuilis diſciplinæ ſpectantium ſumma, earumq; neceſſariarũ in hac parte explicanda, quã tres noſtri compendij partes Platonicæ Reipub. attributæ ſunt complexæ. Idq; totum in quam potuimus breuiſſimam orationẽ contulimus, quòd nobis temporis quoq; facultas fuit anguſtiſſima. Idq; meo iudicio ſumus aſſequuti, uerumq; Platonici ſenſus intellectum, ueſtro imprimis auxilio, quorũ hac in arte ſocietas, ubicunq; opus erat, fuit mihi (ut ſemper aliâs) peropportuna. Neq; enim hac ſolùm in re ueſtra fuit mihi opera utilis: ne id quidem quicquid eſt, quod* D E I *immortalis benignitate ſortitus ſum, humanæ uel facultatis, uel honeſtatis, ſine adiumen-*

Vide modeſtiam et bonitatem Auerrois.

to ueſtro, ſine ſtudio mihi uſquam conſtitiſſet. Quod autem uos intelligere uelim uiri præſtantiſſimi, quorum ſplendorem, ac gloriam D E V S *quàm longiſſimè proroget: decimus Platonis liber, huic ciuili quam tractamus, diſciplinæ nihil admodum conferat. Quid poëticæ primordia ad hanc ipſam poſſint eõducere, quibus neq; finis ullus conſtat, neq; per ipſa ueram adipiſcimur ſcientiam? idq; iam alibi, & hic lucidius explicatum eſt. Mox paulò ille ſuaſorias inductiones, ac rationes locis quibuſdam probabilibus depromptas ſubdidit, quibus animam immortalem eſſe probaret. Et infert deinde fabulam, quæ deſignata eorum animis loca deſcribat, quorum in guſtus, ac tactus, reliquorumq; ſenſuum illecebris dum uiuerent, ſpectabilis fuit continentia. Rurſum ubi uoluptariorum, ubi flagitioſorum animæ, ubi fraudes, ubi ſcelera puniantur. Enimuerò iam nos antea ſæpius prædiximus, iſtiuſmodi fabulas non eſſe alicuius momenti. His enim quæcũq; uidentur uirtutes comparari, aut ueræ uirtutes non ſunt, aut ſi uirtutes dici debent, uirtutis ipſius nomen æquiuocum eſſe oportebit. Adde etiam, quod huiuſmodi figmenta quàm maximè à communi ratione abſunt: quod iam ſatis à nobis dictum eſſe arbitror, quo loco de toto imitandi genere diximus. Etenim certũ eſt Platonẽ uideri eã fictã, fabuloſamq; rationẽ ingerere, quæ tamẽ nihil ad humanam probitatem neceſſaria ſit: neq; uerò ita utilis, ut facilius ad uirtutem mortalibus iter aperiat. Quippe quod homines non paucos cognoſcimus, qui ſuis ipſi legibus, atq; moribus freti expertes planè, & rudes iſtarum fictionum, nihil uirtute, nihil uitæ inſtituto profeſſoribus talium hiſtoriarum conceſſerint. Sunt tandem hoc in genere (fateor) ueteres illi inter ſe conflictati: ſed in eo etiam anxiè (nec mirum) & perplexè Plato uerſatus eſt. At uerò, neq; primo* Reipub. *libro rem, niſi localibus argumẽtis agit haud unquam, niſi ubi fortè accidat rationibus demonſtratiuis uſus: & idem ipſe factitat in ſecundi libri præfatione, qua de re nihil eorum prorſus attigimus.*

Decimus Platonis liber de rep. qualis.

Fabularum figmenta qualia.

Plato in fabulis multũ uerſatus.

Vbi Plato utatur rationibus demonſtratiuis.

PRAESTANTISSIMO VIRO, PERITISSIMO
SENATORI, IOANNI BERNARDI F. DONA-
TO, ACERRIMO BONARVM ARTIVM
TVTORI, PATRONO SVO OPTI-
MO, POLITICAM HANC DISPV-
TATIONEM DAT, DICAT-
QVE, PERPETVVM VT
EXTET SVAE ERGA
ILLVM PIETATIS,
ET OBSERVAN-
TIAE MONI-
MENTVM,

FRANCISCVS ROBORTELLVS
VTINENSIS.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUE

FRANCISCI

FRANCISCI ROBORTELLI VTINENSIS DE FINE, ET MATERIE POLITICAE SCIENTIAE, SEV ARTIS *diſputatio Venetijs habita.* M D L. *cum libros Politicos Ariſtotelis publ. interpretaturus eſſet.*

ARISTOTELES *lib.* III. *Rhet. diuerſum eſſe ait dicendi illud genus, quo utimur aliquo in frequenti mortaliũ cœtu, & id, quo paucos alloquimur ueluti ſedẽtes, & ambulãtes, illud.n. & uehemẽti corporis agitatione, & capitis, manuumq; iactatione, elata inſuper uoce, & grandi oratione eget, hoc & remißiorem ſermonem, & uocem magis preſſam, neq; ita incitatam requirit corporis motionem, aut brachiorum intentionem; quãuis uerborum decor, ac uenuſtas fortaſſe maior adſit oportet. Sicut enim pictura alia quidem, ſi propius ſtes, te non oblectat, alia ſi longius, magis, ita & oratio alia ad pugnam, ſolemq;, & puluerem fori, alia ad umbram magis apta. Hæc ego diligenter etiam, atq; etiam conſiderans ſatis illorum inſtitutum probare non poſſum, quibus cum interpretandi ueteres auctores tùm latinos, tùm græcos munus demandatum ſit, à propoſito digrediuntur, etiam, cum magnopere non eſt neceſſe, & aliud quiduis agunt, non ſatis cogitantes, quid locus requĩrat, in quo uerba faciant, quidue poſtulet auditor, qui eò uenit, & ſitientes aures attulit, non fabellæ quidem alicuius inanis, aut oratoriæ declamationis, ſed rei alicuius perdiſcendæ, quæ ad ſolidam illam ſpectet eruditionem.*

Oratio in ſcholis interpretantium qualis eſſe debent.

Ne ſit igitur hodie aliquis, qui a me in hoc cœtu magis exquiràt alipale potius illud, & forenſe dicendi genus, tanquàm a declamatore, quàm nitidam, & apertam diſputationem de re nobis propoſita, tanquàm ab interprete optimarum artium, quæ literis continentur. Nec ſanè mihi unquàm aliud fuit ſtatutum, aut erit etiam poſthac, quamdiu DEVS OPT. MAX. *me inter uiuentes mortales commorari uoluerit, quàm, ut pro uiribus aliquid efficere ſtudeam, quod ad ueterum ſcripta illuſtranda, & explicanda pertineat. Nam qui ſuas omnes cogitationes literis mandat, laudemq; eloquentiæ potius, quàm eruditionis quærit, is, meo quidem iudicio, & ocio, & literis inſipienter abutitur. En igitur Politicos libros Ariſtotelis uobis affero, in quibus interpretandis, & ſi mihi multum pro difficultate rei deſudandum eſt, libenter tamen, quicquid erit oneris ſuſcipiam, modò intelligam, me uobis gratum feciſſe, & operæ precium aliquod perſoluatis non quidem pecuniæ (ut ſæpe me dicentem audire potuiſtis) ſed ueſtri, qui mihi multò carior eſt, & optatior, amoris, & officij alicuius, quo teſtatum apud omnes ſit, hunc meum laborem uobis non iniucundum fuiſſe. Cleomenes (ut ſcribit Aelianus lib.* XIII.) *di-*

cere

cere ſolebat Homerum *quidem Lacedæmoniorum eſſe poëtam, Heſiodum autem*
Ilotarum, illum enim bella decantare Græcorum, & res à fortißimis uiris ge-
Libri Politici ad ſenatores ſpectāt. *ſtas, hunc agrorum colendorum, arandi, ſerendi, & metendi rationem tra-*
dere. Sic ego pro meo iure dixerim Ariſtotelis hos libros Politicos ueſtros eſ-
ſe, De uobis loquor, quibus natura conceßit, ut ad tantæ Reip. ſpem eſſetis al-
ti, & procreati.

» *Excudent alij ſpirantia mollius æra,*
» *Credo equidem uiuos ducent de marmore uultus,*
» *Orabunt cauſas melius, cœliq; meatus*
» *Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent*
» *Tu regere imperio populos Venete.* *Sic enim libet numerum Vergilianum*
immutare. Perſarum Rex olim reprehenſus eſt, quod in ocio philuram, ex qua
corollæ ornamenta fierent, expoliret; ac ſanè non iniuria, non enim Regis hoc
Officiū Regis nobile. *erat munus, ſed imi alicuius de plebe artificis. Regum enim mens altißimo ue-*
luti quodam loco ſita nil niſi grande, ac diuinum ſpeculatur, aut agit. Quid ue-
rò maius, aut magis diuinum, quàm tot populorum ſaluti conſulere, & com-
modis? Nec ſanè ulla alia re homines dijs quàm ſimillimi uideri poſſunt, quàm
mortalium commoditates procurando, & uulnera miſerorum ſanando, maxi-
mum quidē eſt regium munus, & eorum, qui rempub. adminiſtrant, ut meritò
Faſtus regū qualis, & unde. *dijs quàm ſimillimi uideri poßint. Quo fit, ut aliquando obliuiſcantur in tanta*
dignitate, & amplitudine ſe mortales eſſe. Dionyſius Iunior (*ut ſcribit* Plut. *in*
lib. τῶν παραγγ. πολιτ.) Apollinis *filiū ſe eſſe iactabat.* Clearchus Heracleæ
Tyrānus *unū ex ſuis filijs* κεραυνὸν *uocauit. Sed quid dicā de* Hannone Pœnorū
duce, qui cum ſua uictrici illa dextera ſæpe hoſtes contudiſſet, ac profligaſſet,
& DEVS *haberi uellet, plurimas aues domi clauſas edocere ſtuduit, ut uo-*
cem hanc exprimerent. DEVS Hannon. *mox ut euolarent permiſit, ea ra-*
tione putans ſe immortalitatem diuini nominis conſecuturum. Quantò rectius
Auguſtus, *qui nunciantes* Tarraconenſes *in illius ara palmam enatam ita de-*
Modeſtia Regum. *luſit. Satis uerò cognoſci poteſt, quàm ſæpe ſacra faciatis.* Et Alexander *ille* »
magnus, cum ſe uulneratum uideret. Sanguis hic eſt ò amici, non ἰχὼρ: *ij de-* »
mum ſapientes ſunt habendi, qui in tantis opibus, tanta copia, tanta potentia »
ſe mortales eſſe non obliuiſcuntur, ac ſe huic curationi regendorum mortalium
à DEO OPT. MAX. *præfectos cognoſcunt.* Præclarè Hor. de Auguſto.

» *Quis id neget? ait.*
» *Dijs te minorem, quod geris imperas?*

SED *ut eò, unde digreſſa eſt noſtra redeat oratio, cum magnum digni-*
tatis, ac laudis pleniſſimum munus ſit eorum, qui curationi populorum præ-
ſunt, proximè enim ij accedunt ad DEOS, *uosq; in hac republ. à* DEO
OPT. MAX. *iam innumerabilibus annis præſides multarum, ac præcla-*
rißimarum ciuitatum, multorumq; mortalium patres, ac ſeruatores ut eſſe-
tis, cōſtituti fuiſtis; nō temerè uideri debeo hoc anno libros hos Ariſtot. Poli-
ticos ad uos attuliſſe, in quibus quid ueſtri muneris ſit perſpiciatis, negle-

ctisq;

ctiſq; omnibus alijs rebus, in quibus pueriliter teri tempus ſolet ab ineptis hominibus, hanc grauem curam ſuſcipiatis, uoſq; totos ei ſcientiæ dedatis, quæ adminiſtrare urbes, populorumq; ſaluti conſulere docet. Verum dicite quæſo, an probatur uobis ratio hæc philoſophandi, ac diſſerendi, quæ exemplis utitur? Eam certè multum probat Plato *in libro de* Regno, *nam, ſi hoc, & illud ita ſeſe habuit & hoc itidem, & illud neceſſe eſt eueniat. Vtar igitur ea etiam poſt hac in reliquo curſu totius huius diſputationis meæ, ac, ne quid perturbatè dicamus; Primum de fine* Politices Artis *ſeu ſcientiæ, deinde qualis ſit ſcientia, diſciq; an poßit, ſicut cæteræ; tertio loco an ſcientia ſit, quomodoq; à cæteris differat, quarto de materie ſubiecta, circa quam uerſatur, poſtremo de methodo, qua uſus eſt* Ariſtot. *in ſuis libris de hac re ſcribendis, ac de fine primùm, ſicuti ordo poſtulat dicendum.* M. Cicero *ſummus ille dicendi, & agendi magiſter uarijs bellorum ciuilium fluctibus agitatus in rep. Romana, diu'q; in maximis rebus gerendis uerſatus,* Politicos *illos libros ſex, quos nobis fortuna, malumq; fatum inuidit, ſcriptos reliquit, in quibus eam reip. formam expreßit, quam omnium optimam, ac laudatißimam eſſe cenſebat: in ijs libris (ut lib.* VIII. Epiſt. *ad* Att. *legimus) finem hũc reip. moderatori dicebat eſſe propoſitum, ut beatam ciuium uitam efficeret. Loquebatur ille de fine propoſito ciui, ac moderatori reip. nos uerò de ſcientia ipſa ciuili, non moderatore ſermonem inſtituimus. Quem igitur finem ſcientiæ, quam politicam uocamus, eſſe dicemus? Nimirum hunc, quem & elatiore uoce proferam, & expreßius etiam circunſcribam, ut omnes facilè intelligant.* Finis *politicæ artis, ſiue ſcientiæ eſt docere, qua ratione reip. moderator ciuium ſuorum uitam beatam efficiat.* Ariſtot. *uerò ſub finem eorum librorum, quos de moribus ſcripſit, finem huius ſcientiæ ait, efficere homines bonos, quod, etſi diuerſum eſt ab eo, quod nos ſtatuimus, nolim tamen quiſpiam exiſtimet me nimis audacem, qui contra doctißimum omnium ſcientiarum magiſtrum aliquid aſſeram, & ab eo, cuius in iudicio, ac ſententia omnes conquieſcunt, diſſentiam, non enim diſſentio, ſed alio reſpicimus nos, longius ſcilicet, quàm ille. Nam in omni ſciẽtia & arte duplex eſt propoſitus finis, alter quidem prior; alter uerò poſterior illo.* Medico *propoſita eſt primùm curatio, mox ægrotantis ſalus.* Gubernatori *obſeruatio aſtrorum, & tempeſtatum, mox ſecundus curſus: imperatori itidem delectus militum, caſtrametatio, aciei inſtructio, ſed ultimum illud propoſitum eſt,* Victoria. *Non dißimili ratione & politicus primum hoc intuetur, ut bonos efficiat ciues ſuos, mox quicquid egerit huc referat neceſſe eſt, ut quàm beatißimi ſint, qui illius parent imperio, ex qua re ſatis liquidò cognoſci poteſt,* Ariſtotelem *de priore locutum fine,* Ciceronem *autem de poſteriore.* Adde, *quod* Ariſtot. *de moribus agebat, quæ tota diſciplina ad politicum refertur, ut ſatis ipſe lib.* I. *declarat, cuius etiam initio, cum finis differentiam duplicem explicaret, eum quoq; præmonſtrauit, qui poſterior dicitur, aut etiam poſtremus omnium, hoc eſt, felicitatem. Hæc à me breuiter dicta ſint de horum maximorum auctorum ſententia. Iam uerò, ſi politica ſcientia*

hoc

Diſputatio per exẽpla.

Propoſitio dicẽdorum.

Finis Senatoris.

Finis Politicæ ſcientiæ.

Quæſtio ex uerbis Ariſtotelis.

Solutio.

Ariſtot. lib. I. *Ethic. de duplici fine.*

hoc profitetur, ut doceat, qua ratione reip. moderator ciues ſuos beatos effi-
Tyrannici qui ſint. *ciat, patet eos minimè politicos, ſed planè Tyrannicos eſſe, qui alium hunc ſi-*
bi finem nõ propoſuerint in reip. adminiſtratione. Themiſtocles uir ſummus in
rep. Athenienſium planeq; rectè inſtitutus, poſt cladem illam armigero ſuo im-
perauit, ut ingentem torquem perſicum humo tolleret, non enim, inquit, tu
es Themiſtocles, intelligebat ſanè nefas eſſe, ac turpe uiro politico, ſi quic-
quam uideatur propria commoditate metiri. Exue, inquit olim Demades Pho-
cioni, exue ſordidam iſtam tuam chlamydem. Si Cæſar, & Pompeius hunc unum
reſpexiſſent σκοπὸν*, quemadmodum docet politica ars, non equidem Remp.*
Rom. perdidiſſent, ſed uterq; regnare optabat. Facilè omninò inter eos conue-
niſſet, aut pactio aliqua eſſet facta: ſed maluit ille urbe, & Italia demum ex-
cedere, non equidem, ut ſaluti reip. conſuleret (quomodo enim id fugiens fa-
ceret, ac arcem totius imperij deſerens?) uerùm, ut omnes terras, omnia ma-
ria moueret, reges barbaros incitaret, gentes tranſmarinas feras in Italiam ad-
duceret. Apparebat utiq; genus illud regni Syllani, non enim ab Ariſtotele, aut
ab alio quouis philoſopho politicam ſcientiam didicerat. Sed crudeliſsimo ho-
Cæſar tyrãnidis appetens. *mine, & auariſsimo Sylla uſus erat magiſtro, ac rectore ſuæ pueritiæ. Quid*
de altero dicam, qui bis, terue patrimonium ſuum omne in largitiones popu-
lares profudit, ut plebis gratiam colligeret, & ea ad dominationem ſibi pa-
randam abuteretur? Quid? Quo ſpectat tam nefarium & atrox dictum, ſe non
rediturum domum, niſi pontificem? Nimirum igitur Timotheus non minus ſa-
» *pienter, quàm uerè olim in Ariſtophanem prodigum ait. Ei nihil turpe, cui*
Quibus differat Politicus à tyrãnico. *nihil ſatis. Tantum intereſt inter hominem Tyrannicum, & politicum uirum,*
ut ille omnia ſuis commodis metiatur, hic nihil malit, quàm ſuam remp. eſſe quàm
beatiſsimam, ille ſuos expilet, hic opibus augeat, ille perdere ſtudeat, hic ſeruare:
optabat ille non homo, ſed bellua, nec bellua tantum, ſed monſtrum horrendum
Pop. Rom. unam ceruicem dari, ut uno ictu poſſet uniuerſus perimi. Quid uerò
mirum? cum diuerſa ſit huius, & illius educatio? hic ſemper aſſuetus cædibus, et
rapinis, ille planè natus, ac effictus ad mortales fouendos; hic flexibilem habeat
animum, & exorabilem: ille durum & peruicacem? Alexander Pheræorum Ty-
Exempla. *rannus in Theatro audiens Hecubæ ploratum, ac ſentiens, ſe tragœdi uoce ali-*
quantulum inflecti ad commiſerationem, ſtatim proſiliuit è theatro indignatus;
» *Quaſi uerò, inquit, qui tot peremerim unius mulierculæ lachrymis commoueri*
» *debeam? Cõtra Alexander ille magnus Macedonum Rex (quid enim differt rex,*
ſi præclarè fuerit inſtitutus, à uiro politico, de quo loquimur?) Dariũ cõſpica-
tus iaculo transfixum, ac ſanguine, et puluere fœdatum non uexauit quidem, aut
diſtraxit (nam hoc impotentis eſt animi) ſed ſuomet amictu uelauit. Dionyſius
matrem ueneno ſuſtulit, idem in prælio nauali Leprinem fratrem cum poſſet
ſeruare noluit. At Alexander magnus puer adhuc, cum uideret ex uulnere claudi-
» *cantem Philippum patrem, ac ideò ingemiſcentem, ita placidè ſolatus eſt,* θάῤῥει
» ὦ πάτερ, καὶ πρόϊθι φανερῶς. ἵνα τῆς ἀρετῆς κατὰ βῆμα μνημονεύῃς.
Dicta nimirum, & facta pullulant ex animo literis, ac philoſophia inſtituto
admiranda,

In Educatione magna uis.

admiranda, ac plena grauitatis. Ex animo uerò minimè culto, quid aliud, quàm immanitas, & ſumma libido? recta enim educatio ex philoſophia proficiſcitur, mores componit, quæ ſi non adſit, nil, niſi immoderatum, nil, niſi atrox, & turpitudinis plenum aut dici, aut cogitari poteſt. Iſocrates ſæpe Sophoclem monuit, cum diceret, oportere non ſolum manus, ſed etiam oculos continentes habere. Lyſippus *Alexandrum ita ære exprimere ſolitus eſt, ut cœlum erecto intueretur uultu, Nimirum enim ita ſolebat optimus rex ingenuis artibus eruditus ab Ariſtotele diuinas res contemplari, ac* DEVM OPT. MAX. *regum omnium regem, ac parentem ſummum, moderatoremq́; mortalium uenerari, ac colere. Sed audite, quàm diuerſa fuerit ratio* Dionyſii Tyranni, *is dicere ſolitus,*

Exempla.

» *Pueros talis decipere, uiros iureiurando. O uocem impiam, & ſceleris plenam; ac planè* Tyrannicam, *uerùm de his ſatis; nunc redeo, unde eram digreſſus, et me ipſum colligo.* Politica *ſcientia hunc habet finem propoſitum, ut doceat, qua ratione beata ciuitas effici poßit, nec uerò ſatis eſt efficere, ſed ſeruare etiam, aut, ſi aliqua ex parte ciuitatis felicitas fuerit labefactata, eam rurſus ſarcire, ac inſtaurare. Quod & medendi ars profitetur, nam non efficit ſolùm bene ualentem hominem, ſed etiam ſeruat, ac tuetur, ac ſi labefactetur aliquãdo morbo aliquo, ſuffulcit, ac reficit. De his igitur deinceps dicendum, Primum qua ratione effici beata ciuitas poßit, Deinde qui ſit modus eius felicitatis tuendæ, poſtremo, ſi corruerit aliqua ex parte, qualis ratio eius reficiendæ. Sed, quia ad hæc efficienda uarijs utitur aliarum artium ueluti quibuſdam inſtrumentis* Politica, *neceſſe eſt, ut prius qualis ſit ipſa, quomodoq́; ijs utatur differamus.* Plato *in eo lib. qui* Politicus *inſcribitur, præclarè ait reliquas omnes artes, & ſcientias docere, quod ſuum eſt, ut* Muſica *uoces tollere, ac deprimere, Medendi ars curare morbos, ac uulnera obducere, unã uerò artem eſſe, quæ illas dijudicat, hoeq́; profitetur, ut doceat, quæ artium ſit perdiſcenda, quæ non, ex quo liquidò patet, hanc et eſſe ab illis diuerſam, & earum ueluti antiſtitem quandam.* Cato *medicos ſuæ ætatis è ciuitate eijciendos ſuaſit, quod nimirum præſtigijs quibuſdã & carminibus morbos curarent, nec ullam ſatis certam medendi uiam noſſent.* Plato *quoque lib. de legibus* III. *ò* Muſarum *filij (Poëtas alloquitur) ſi ueſtræ cantilenæ*

Alia propoſitio dicendorum, ex methodo diſputationis naſcens.

Politica eſt ueluti domina omnium artium.

» *cum noſtris conſentient, chorum uobis dabimus, ſin minus, à noſtra urbe reijciemus.* Nimirum Politica *eſt, quæ omnibus artibus, et ſcientijs dominatur, nam altera alteri ueluti quædam pediſequa eſt; hæc omnium hera, et arbitra potens, nã dijudicat, quæ diſcendæ, et quæ rurſus non diſcendæ. Ea etiam iudicat, an perſuadendum ſit, nécne illi, quæ perſuadendi uim habet ideſt* Rhetoricæ. *Nam quæſo? perſuaſio illa, quæ fit per ſermonem habitum ad ciuium multitudinem, cui ſcientiæ tribuenda eſt? utiq́; oratoriæ. Sed cuius artis eſt officium iudicare; utrum ui, an perſuaſione ſit utendum, & quibus in rebus, & contra quos uti deceat, an nõ eius, quæ perſuadendi, dicendiq́; peritiæ dominetur? Eſt autem hæc* Politica. *Sit igitur oratoria facultas à ciuili disiuncta, & illi ſubiecta. Quid? Ea, qua pugnamus aduerſus hoſtes? quæ nam eſt, aut qualis? artis nè expers, an artificioſa? utiq́; artificioſa diſciplina militaris. Facultatem uerò illam, quæ prudenter conſultando decernit,*

Rhetoricæ.

Militaris.

do decernit, quibus cùm bellum gerendum ſit, uel pax ineunda, num ab ea diuerſam putabimus, an eandem? Diuerſam utiq;. Sed nonne ea, quæ conſultat de bello gerendo, ei imperat, quæ bellum gerit? Quis id neget? neq; iudiciaria eadem cum Politica, *nam iudiciaria ea eſt, quæ tota uerſatur in ciuium litibus dijudicandis, & componendis, huic uerò imperat, legesq; certas præſcribit* Politica, *atq; hæc ratio Ariſtotelē impulit lib. de moribus primo, ut eam uocaret* μάλιστα ἀρχιτεκτονικήν.

An Politica poßit diſci ex ueterum libris.

Nunc poſtquàm declaratum eſt, qualis ſcientia ſit Politica, conſequi uidetur, ut exponamus, diſcine poßit ex ueterum, qui de ea præcepta dederant, philoſophorum libris, aut alia ſit quædam ratio eius percipiendæ. Incurrit autem in hanc quæſtionem ea, quæ copioſè tractatur ab Ariſtotele lib. III. de moribus περὶ ἑκουσίου, καὶ ἀκουσίου *contra eos, qui aſſerebant, nos quidem eſſe malos* ἄκοντας, *bonos autem uolentes, nam prior finis, ut aſſerit Ariſtot. lib. ultimo de moribus, Politices eſt efficere homines bonos, ſed utramuis ſequaris opinionem, aut illorum, aut Ariſtotelis; quærendum primo, an effici poßint boni, ſed poſſunt effici, ergò doceri, diſciq; poteſt* Politice, *contra ſentit Plato, ubi ait uirtutem doceri, præſertim Politicam non poſſe.*

Alia quæſtio incidēs in priorem.

Prima ratio.

Argumentatio illius hæc eſt. Nullus eſt pater, qui filium nolit optimè inſtitutum, & tamen cum omnia effecerint uiri maximi in rep. adminiſtranda, non potuerunt hoc aſſequi, ut filios rectè inſtitutos relinquerent, quæ fortaſſe res in cauſa eſt, ut etiā poſt mortem beati ſint exiſtimandi eo, quo docet Ariſtot. modo, lib. de moribus I.

Secunda ratio.

Argumentatio tota exemplis comprobatur. Adde tu, M. Cicero, & Q. fratres ἀριστοκρατικώτατοι *fuerūt. Sed Quintus, Q. filius. M. Antonium libertatis, & reip. euerſorem ſecutus eſt. Alia etiam ratio eſt, ex qua cognoſcas doceri non poſſe* Politicen. *Omnes auditores Socratis, & Platonis Tyrannici fuerunt, ergò doceri non poteſt, Si enim poſſet; utiq; ſanctißimus ille uir commodè id effeciſſet, cum et peritißimus eſſet, huicq; uni rei plurimum inſudaret. Athenæus lib. XII. narrat de Euphrato, qui apud Perdiccam Regem in Macedonia uiuens nòn minus populos uexauit, quàm ipſe rex. Is omnibus interclu ſerat aditum ad Regem Perdiccam, qui neſcirent* γεωμετρεῖν, *aut* φιλοσοφεῖν, *ideò cum Philippus ſucceßiſſet, peremptus eſt à Parmenione: Callippus Athenienſis, qui unà cum Platone in Siciliam nauigauit ad Dionem, cum illum uideret animum induxiſſe ſuaſu Platonis, ut* μοναρχίαν *relinqueret, ipſe appetens Tyrānidem, Regem primus peremit, ſed poſtea à Syracuſanis iugulatus fuit. Euagon Lampſacenus, & Democrates Rhetor ſuis ciuibus laborantibus mutuo dederunt grandem pecuniam, accepta arce ueluti pignore (nam non niſi philoſophis concredidiſſent) Sed mox cum Tyrannidem appeterent, interfecti ſunt à Lampſacenis. Timæus Cyzicenus, cum ſæpe largitiones facere crederetur, ut philoſophus nullius ambitionis cauſa, clàm per Aridæum quendam inuadere conabatur Tyrannidem, ſed deprehenſus, & conuictus iudicio* ἄτιμος *uixit. Alcibiadem quis non audiuit, qualis extiterit in rep. Atheniēſium? Narrat Thucydides lib. VIII cum reuocatus fuiſſet ab exilio, ita remp. illū adminiſtraſſe, ut per Tiſaphernē timeretur ab Athenienſibus, & per Athenienſes timeretur à Tiſapherne, ex quibus patet Politicā*

Omnes Socratis auditores tyranni.

Concluſio.

Contra prædictam opinionem.

doceri non poſſe, et diſciplina hac bonos homines non effici. Sed agedum, uideamus, quomodo refelli poßit hæc opinio: Quæ aſſerit Xenophon *lib.* ἀπομνημονευμ. *primo ſatis uidentur infirmare poſſe illorũ ſentẽtiam, ait enim* αὐτὸς δὲ Σωκράτης περὶ τῶν ἀνθρωπείων ἀεὶ διελέγετο. σκοπῶν τί εὐσεβὲς, τὶ ἀσεβὲς, τὶ καλὸν, τὶ αἰσχρὸν, τὶ δίκαιον, τὶ ἄδικον, τὶ σωφροσύνη, τὶ πόλις, τὶς πολιτικός. *Poſt aliquantò* φαίην δ' ἂν ἐγὼ μηδενὶ, μηδεμίαν εἶναι παίδευσιν παρὰ τοῦ μὴ ἀρέσκοντος, κριτίας δὲ καὶ ἀλκιβιάδης οὐκ ἀρέσκοντος αὐτοῖς σωκράτους ὡμιλησάτην αὐτῷ. ἀλλ' εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ὡρμηκότε προεστάναι τῆς πόλεως. *Huc ſpectat locus in magnis moralibus Ariſt. cap. 1. ubi refellit Socratẽ, qui aſſerebat uirtutes eſſe ſciẽtias.*

Prima ratio.

1. Argumentatio igitur hæc fuerit, Politica eſt aut ſciẽtia, aut ars, aut facultas, aut uirtus, aut obſeruatio, nã à Platone *interdum in eo lib. qui ciuilis inſcribitur ita uideo appellari, Sicuti et Cic. lib. 11. de* Orat. *Rhetoricam uocat; Si ſcientia, aut ars, aut facultas, aut obſeruatio eſt, patet eam poſſe doceri, nam quicquid per cauſam cognoſcitur, etiam doceri poteſt; itidẽ in artibus; quodcũq; eodem modo ſeſe habet, & redigi poteſt ad uniuerſalia; omnis enim diſciplina ab uniuerſalibus proficiſcitur; ſi uirtus (hoc enim aſſerere uidebatur* Plato, *uirtutes nõ poſſe doceri) ſi uirtus inquam eſt, cum ſit etiam ipſa habitus, doceri poteſt. Poteſt autem doceri, quia poteſt ſciri, Declarat hoc Ariſtot. lib. de moribus. x. ſub finem, ubi ait, uirtutem ſcire ſatis non eſt, ſed enitendum eſt ipſa uti.* Narrat Aelianus *lib. 1x. adoleſcentem quendam multos annos audiſſe* Zenonem, *hunc poſtea patrem interrogaſſe, ecquid ab eo didiciſſet, tum eum reſpondiſſe, ſe peropportunè oſtenſurum, patrem uerò eo reſponſo filij irritatum malè mulctaſſe uerberibus filiũ, tunc ipſum, cum adhuc urgeret pater, ut reſpõderet, dixiſſe. Se à* Zenone *didiciſſe, paternam iram molliter ferre.* Non *igitur ſatis eſt ſcire uirtutem* Politicam; *etiam uti ea oportet,* Nam *ſi uerba tãtum pollerent, ut homines bonos efficerẽt, plurima ſanè eſſent faciẽda, ut Ariſt. ex* Theognide *ait lib. x. de morib. Sed ſermones docentium habent tantũ uim prouocandi, & incitandi, neq; omnes ſanè, ſed eos ſolũ, qui apti effecti ſunt à natura ad uirtutem, & amatores honeſtatis paulatim eſſe cœperunt ex aſſuetudine, & educatione, nam natura id non fieri, ſed aſſuetudine, docet idem Ariſtot. lib. 11. de moribus ſub initium:* Dionyſius *iunior, qui multos crudeliter peremerat, è theatro diſceßit, ne Tragicis malis tactus fleret, irridens* Poetã, *qui id ſe aſſequi poſſe ſperaſſet, ij. n. qui ex affectibus uiuere aſſueti ſunt, uerbis incitari ad uirtutem non poſſunt. Neq; audit currus habenas (inquit ille). Sic igitur & hi præcipites feruntur in aliam partẽ à perturbationibus, quæ facilè uerbis extrudi ex animo non poſſunt, cum diuturno tẽpore fuerint confirmatæ.*

Nõ ſatis eſt ſcire Politicam, nã etiam uti ea oportet.

Boni homines fiunt aut natura, aut conſuetudine, aut doctrina; Natura *in noſtra poteſtate non eſt, ſed diuinum quiddam, ut ait Ariſt. lib. x. de moribus ſub finem, & lib. 11. ſub initium, & hoc innitebatur* Plato; *ſed cur ille de educatione tàm diligenter eſt locutus in lib. de rep? Si natura tantas habet uires, non eſt opus educatione, et ſanè hæc opinio multos habuit aſſertores,* Nam *&* Galenus *diſſerit, animi mores ſequi corporis habitudinem. Quidam Lacon*

Boni fiunt homines tripliciter.

Contra Platonem.

Galeni ſententia.

" *dam Lacon alterum reprehendebat (ut ſcribit Aelianus) quod nimis muliebriter*
" *fleret, at ille. Quid faciam uis? (inquit) nam cogor ab imbecillitate naturæ meæ. Verum Ariſtoteles aliter ſentit lib. I I. de moribus ſub initium, ac aſſuetudini, & educationi omnia tribuit, hactenus de Natura: Doctrina uerò non in omnibus uim habet, ſed animum auditoris ante cultum eſſe, & benè ſubactum oportet, ad rectè gaudendum, & horrendum. Quod ex Poëtica etiam imitatione fieri docet Ariſt. Vt.n. terram, quæ ſemina ſit productura, ſubactam eſſe oportet, ſic etiam hominis animũ; nã qui uiuit cum perturbatione, nõ audiet uerba illa. Quare mores præcedant oportet aliquo modo uirtuti affines, qui ex educatione parantur. In primis igitur educationis eſt cura ſuſcipiẽda, neq; puerorum tantũ (ut Ariſt. ait) ſed etiã uirorum, ut qualibet ætas uirtuti aſſueſcat. Xenophõ lib. I. παιδείας ex uetere Perſarum diſciplina narrat, ſingulis ætatibus diuerſas exercitationes, et ſtudia attributa. Idem ait, eas leges magis eſſe probandas, quæ ſtudent bonos homines efficere, ne peccent, quàm, cum peccarint, plectere, more planè medicorum, qui, qua ratione ſeruari bona ualetudo poßit, magis docent, quàm quo pacto uri, aut ſecari oporteat; Diuerſos uerò mores induci ex educatione ſatis patet: Alcibiades, quòd magnam partem educatus fuit apud Perſas, illorum referebat mores; & illud non temerè de quodam prolatum, quod refert Ariſt. lib. I I I. Rhet. ἢ θρᾷττης. quod ex barbara matre naſci probro dabatur. Demoſthenes in oratione πρὸς Λεπτίνην acriter reprehendit aduerſarium, quòd ex rep. Lacedæmoniorum exempla proferret, non enim ſimilis noſtra reſp. & aliter educantur, & aſſueſcunt Lacones, ac Athenienſes, quod ſcilicet diuerſis utantur legibus. Lex erat olim de connubijs Romæ lata, quæ tantas excitauit turbas, ut nè patritia plebeio nuberet; Eam legem ſi tuliſſet quiſpiam in Rep. Athenienſium, quæ Populi utebatur adminiſtratione, omnibus fuiſſet accepta, & grata; ſed ne ferre quidem eam fuiſſet neceſſe. Nimirum igitur & mores, & leges ex educatione diuerſæ ſunt, quare plurimi refert, quo quiſq; educetur modo. Plato dicere ſolitus, ſe ne in Atho quidem montem altißimum, cuius uertex puriſſimum attingeret aërem, iturum, ut diutius uiueret. Diogenes contra, cum ægrotaret, ſeq; ſedulò curaret, quibuſdam admirantibus, ait, omni ſtudio ſe conaturum efficere, ut uiueret, eos enim qui ſciunt, quid agendum, quidue non in uita hac; eos, inquam, decere uiuere; reliqui uerò mortales quid aliud quæſo ſunt, quàm ſponſi Penelopes, nebulones, Alcinoiq;, & (ut ille ait) inania pondera terræ? Quid tu igitur dicas, aut ſentias de duobus his ſummis Philoſophis? quorum alter emori optabat, alter uiuere? probabilis quidem utriuſq; ſententia, ſed ſanè Ariſtot. lib. I I I. de moribus, ubi de fortitudine agit, Diogenis ſententiam*
" *magis uidetur probare, uirum enim fortem, inquit, non temerè aggredi pericula,*
" *quia cenſet ſe ipſum πλέονος ἄξιον. Hi uerò tã diuerſi philoſophorum mores, unde quæſo aliunde, quàm ex ipſorum ſecta, quam ſequuntur, quæ inſtar cuiuſdam eſt educationis, imò firmißima quædam educatio. Epicurei omnia commodis ſuis metiri nos debere docebant. Cic. igitur in lib. de Amicitia, amicitiam eos non colere poſſe ait. Idem ad Trebatium ſcribens, mandati, ſocietatiſq;, ac fidei bonæ*

Doctrina quã uim habeat.

Educationis cura quãta eſſe debet.

Ex educatione uarij exiſtũt mores.

bonæ iura omnia ab ijs tolli affirmat. Idem ad Att. lib. VII. *ait ne filiolis quidem oblectari poſſe, qui Epicurũ ſequuntur omnia ſuis commodis finientem. Verum de educatione hactenus. Nunc, quia diximus doceri poſſe* Politicen,*et duo ſunt diſcendi modi, alter qui ab uniuerſalibus, alter autem à ſingularibus proficiſcitur, dijudicandum, uter aptior, & utilior. Omnis ſcientia, et ars uerſatur circa uniuerſalia, ut docebat etiam Ariſtot. lib.* I. Rhet. *Neq; enim ars medendi intuetur, quid ſalubre ſit* Calliæ, *aut Socrati, ſed huic, uel illi hominum generi, uel illius, uel huius ætatis, & habitudinis, & idem lib.* X*. de moribus, ubi hanc quæſtionem pertractat, ait,* Verùm oportet, ut qui uult artifex euadere, ad uniuerſale pergat, & illud, quatenus fieri poteſt, cognoſcat. *Argumentatio alia, qua idem comprobatur, hæc afferri poteſt.* Rectè agere non eſt cuiuſuis, ſed ſcientis tantum. *Hinc illud.* Exerceat unuſquiſq;, quàm norit artem, & Horatius. „ Quam ſcit uterq; libens cenſebo exerceat artem, *quod in medicina, pictura, & alijs artibus quilibet uerißimum eſſe cognoſcet. Sed ſciens ab uniuerſalibus progreditur; ergo patet hanc eandem uiam in Politica tradenda, ac diſcenda eſſe ineundam. Verùm ecqui ſunt, qui profitentur ſe hanc artem tradere? philoſophi ne, & Sophiſtæ, ut Socrates, de quo* Xenophon *lib.* I. ἀπομν. *ſcribit. Solitũ illum nunquam diſſerere de rerum* Natura, *ſed de ijs, quæ ad uitam hominum inſtituendam, & mores ad probitatem effingendos pertinent, atq; ad Remp. rectè adminiſtrandam: Sophiſtæ quidem reprehenduntur ab* Ariſtot. *qui docentes* Rhetoricen, Politicen *ſe docere putabant, quod crederent eandem eſſe; id quod uideri poteſt ſumptum ex Platonis dialogo, qui inſcribitur ciuilis, quam rem uidit & Cicero lib. de Inuentione primo, ubi ait:* Ciuilis quædam ratio eſt, quæ multis, & magnis ex rebus conſtat, eius quædam magna pars eſt artificioſa eloquentia, quam Rhetoricam uocant. Nam neq; cum ijs ſentimus, qui oratoriam facultatem in eo genere ponunt, ut eam ciuilis ſcientiæ partẽ eſſe dicant. *Sophiſtæ igitur erant magis intenti ſcribendis orationibus iudicialibus, & alijs id genus artificioſis, ſed utiq; magis profuiſſent ſuis, ſi* Politicas *orationes ſcriptas reliquiſſent. Iſocrates in* Parænesi *ad* Demonicum.
„ ὅσοι δὲ τοῖς νεωτέροις „
„ εἰσηγοῦνται μὴ δι᾽ ὧν τὴν δεινότητα τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀσκήσουσιν, ἀλλ᾽ „
„ ὅπως τὰ τῶν τρόπων ἤθη σπουδαῖοι πεφυκέναι δόξουσι, τοσοῦτῳ μᾶλ- „
„ λον ἐκείνων ὠφελοῦσιν. *Pertinet igitur ad Philoſophos Politicam docere, quorum mens optimè & uniuerſalia intueri, ac colligere, atq; ex ijs artem conficere poteſt: Sed (ut etiam ſcribit Ariſtot. lib.* X. *de moribus) ijs, qui Politicen exactè noſſe cupiunt, experientia quadam etiam opus eſt, præter uniuerſalium cognitionem, ut medico, non tamen ipſa ſola peritum ſatis facere poteſt: Præclare igitur Iſocrates ad Nicoclem ſcribens ait* ἐμπειρία μέθετι, καὶ
„ φιλοσοφία. τὸ μὲν γὰρ φιλοσοφεῖν τὰς ὁδοὺς σοι δείξει, τὸ δὲ ἐπ᾽ αὐτῶν
„ τῶν ἔργων γυμνάζεσθαι, δύνασθαι σὲ χρῆσθαι τοῖς πράγμασι ποιήσει.

Ex duobus diſcendi modis, uter aptior ad Politicen.

Qui profiteatur ſe docere Politicen.

Sophiſtæ quales.

Philoſophi docent Politicen.

Experientiam quoq; requiri.

S E D *dicamus iam de materia ſubiecta Politicæ: Politica, quatenus ars eſt præceptiones tradens nõ ſanè circa aliud uerſatur, quam circa* συναρμογὴν τῆς πόλεως. *Vt etiam præclarè docebat Hippomachus Pythagoreus in ſuis*

De materia ſubiecta Politicæ.

Obiectio.

Politicis, de quo multa legere eſt apud Stobæũ. Sed obijciat ſe nobis hoc loco aliquis quod Ariſtot. ſub initiũ Lib. I. Magnorum Moralium ait; Politica eſt eadem, quæ moralis; ſi enim hoc uerum fuerit, circa mores uerſatur, & leges. Nam idem Ariſtot. ait lib. x. de moribus, opera ciuilis ſcientiæ eſſe ipſas leges. Inquit enim, leges autem ciuilibus operibus ſimiles ſunt.

Solutio.

Verùm, quatenus ad hoc, quod poſteriore loco dictum eſt, leges, cum ſint opera, non uidétur materies appellari poſſe ciuilis ſcientiæ. Nam materies eſt ea appellanda, ex qua opus cõficitur.

Ex qua materie cõſtét leges.

Leges igitur quærendum ex qua materie conficiãtur. Vtiq; ex æquo, et honeſto, nõ eo, quod Natura ſtatuit, ſed quod cõſuetudo, & mores introducũt. Si n. ex eo, quod à natura præſcribitur, conflaretur, idem eſſet apud omnes gentes honeſtum, & æquum. Verùm quis nõ uideat ſecus rem ſe habere? Nã apud Tauroſcythas fas eſt, religioſumq; etiam cenſetur hominem mactare, cum apud nos id ſummum ſcelus, ac flagitium quouis ſupplicio dignum exiſtimetur.

Materies Politicæ docentis, ex qua.

Politica autem (de docente loquor) materiem alteram, ex qua ſua cõficit concluſa, habet multa ſingularia, ſeu particularia ciuiliũ actionum & euétorum ex ſeruatione diuturna collecta: quibus ſigillatim conſideratis; ſua concluſa, & uniuerſales præceptiones ratiocinãdo conficit. Exemplo hæc ab arte medendi ſumpto confirmari poſſunt; nam ipſa materiem, circa quam uerſatur docens, habet ſanitatis, & morbi rationem, huius quidem pellendi, illius uerò inducendæ, & ſeruãdæ. Materiem uerò ex qua conſtituit ſuas præceptiones, arripit ex multis ſingularibus, & particularibus euentis morborum, & ſanitatis, quæ obſeruauit eodem modo ſemper ſe habuiſſe.

Reliquæ diſputationis partes reſeruãtur in aliud tẽpus.

Sed quoniam uos iã lõgo orationis meæ curſu uideo defatigatos, hic finem facio, & in alium diem, quod reliquũ eſt, differo.

Hortatio ad Patritios Venetos iuuenes.

Vos modo hortor nobiliſsimi iuuenes nobiliſsimorum Senatorum filij, ut, cũ uos Natura procrearit ad tantæ Reip. ſpem, & paulò poſt à patribus ueſtris tàm amplam remp. illorũ ſtudio ſeruatam, & auctam difficillimis his temporibus accepturi ſitis, iiſdem artibus, quibus illi, eam adminiſtrare, & conſeruare ſtudeatis. Vigilandũ uobis eſt, ac ſemper quidem uigilandum; dandaq; opera, ut & fortitudine, & modeſtia, & prudentia ea ſitis, quam omnes, qui ueſtro parent imperio, nõ modo cum admiratione intueri, ſed etiam imitari poſsint. Tam multa oppida, & urbes, tam multæ prouinciæ, et gentes in ueſtra conquieſcunt fide, et ſapientia. Cogitate igitur, à uobis multò maiora expectari, quàm à quouis gregario homine. Efficite ut ad Remp. adminiſtrandam non niſi inſtructi optimis diſciplinis accedatis; hæc enim ſola ratio eſt gloriæ parandæ, & augendæ. Equidẽ, Quod ad me attinet, ſic habetote, me ueſtri honoris, & commodorum eſſe cupidiſsimum, nihilq; magis optare, quàm, poſtquàm perhonorifico S.C. huc me patres ueſtri euocarunt, ut uos publicè inſtituerem præclaris artibus, quæ literis continentur, uobis aliqua ex parte ſatisfacere.

FINIS.

BIBLIOTEC ROM

ERRATA.

Pag.	Verſ.	
1	25	*quum ſinguli.*
6	36	*ut uirtus.*
10	14	*antecedit operationem*
11	1	*intelligi uolumus.*
19		*In Marg. Illius primi & præſtantiſsimi.*
21	9	*difficiles?*
29		*In Marg. pro ſapientia.*
33		*In Marg. Maiorẽ uim ad perimendos &c.*
		& debet aſcribi lineæ, quæ eius paginæ eſt. 25.
41	42	*fœmina.*
57	8	*ſe ipſam collegerit.*
60	2	*quem aliquando fratri.*
62		*In Marg. non adiuuare homines.*
66	15	*alterutram in partem.*
93	21	*ſin autem quoquo.*
95	32	*non inde eſt.*
	33	*ſed cognitionis.*
96	13	*præſcriptum ſe format.*
	31	*ſciẽtia tractãtur. Ex his.*
98	28	*ac ſi quid luctuoſum ei contingat.*
99	46	*Arabe.*
100	19	*imitationis actio.*
102	17	*diſcedere conentur.*
	28	*Iudicum, &.*
105	30	*Argenteus.*
	31	*ferreus.*
107	7	*felices.*

Pag.	Verſ.	
107	15	*aut expeditiſsima.*
110	4	*conſtituatur.*
	24	*Miſit me (aiunt).*
	41	*Innouetur.*
111	9	*Particulares ſua.*
119	39	*Remp. counit, conglutinatq́;.*
123	24	*qua adminiſtratio.*
125	38	*adhiberi nolunt.*
126	4	*tamen in eius.*
	41	*tota ſe inclinatione.*
129	6	*poſſe, cùm per ſingula.*
136	3	*humana uoluntas.*
138	16	*parìum numerorum, &.*
	34	*ob facilitatẽ & pſpicuitatem, Dialectica.*
140	24	*ſacerdoticæ denominari.*
141	30	*quæ paucorũ dominatu.*
143	5	*delectationes etiã aleæ.*
144	8	*uiuatur atq;.*
	11	*ſunt nummi*
152	13	*in quem tranſmutetur.*
	24	*tranſmittet, quam uelut præſtantiorem.*
	36	*imitati ſunt, quam.*
154	35	*cum ualuerit.*
157	13	*eum deferat.*
161	31	*hoc non minimum eſt.*
169		*In Marg. qualis eſſe debeat.*

Reliqua ſi quæ erunt, quæ pauca & leuia eſſe crediderim, induſtrius Lector facilè animaduertet.

VENETIIS *Apud Gualterum Scottum*
M. D. L I I.

BIBLIOT.CA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LABORATORIO L. GOTT
VIA DEL BOSCHETTO 67 -